BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
B
59
NAPOLI

XLIX
13
59

GRAMMATICVS PROTEVS,

ARCANORVM SOCIETATIS IESV DÆDALVS,

A

LAVRENTIO FORERO SOC. IESV THEOLOGO DE-DOLATVS, ET, DETRACTIS ALIIS atq; alijs laruis, genuino ſuo vultu repræſentatus.

Acceſſit

AVCTARIVM ANI-MADVERSIONVM IN GASPARIS Scioppij Eccleſiaſticam Aſtrologiam.

INGOLSTADII,

Cum facultate Superiorum.

Apud GREGORIVM HÆNLIN.

Anno M. DC. XXXVI.

NAPOLI

FACVLTAS R. P. PROVINcialis ſuperioris Germaniæ.

EGo Gualterus Mundbrot Soc. IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis poteſtate mihi facta ab Adm. R. P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali Societatis noſtræ, *Grammaticum Proteum & Arcanorum Societatis IESV Dædalum*, à Laurentio Forero Societ. IESV dedolatum, & acceſſione Animaduerſionum *in Gaſparis Scioppij Aſtrologiam Eccleſiaſticam* auctum, atq; ab aliquot Societatis Theologis lectum approbatumque, in lucem edi permitto. eamq; facultatem mea manu & officij ſigillo confirmo. Auguſtæ die 9. Iulij. 1636.

GVALTERVS MVNDBROT.

Ad Lectorem.

Miraris, humaniſſime Lector, probos ab improbis tam improbè diuexari? Quieſcat admiratio tua: Antiquum hoc bellum eſt, quod virtuti ſcelera, veritati falſitas, tenebræ luci indixerunt: neq; debellabitur prius, quam hæc mundi machina deſtruetur. Quis vnquam Sanctorum fuit, in quem non omni inſidiarum genere degraſſata ſit impietas? Nec ipſe Dei Filius ab his ſpiculis fuit tutus; quem tandem ignominioſiſſima mors excepit in Cruce; cuius notiſſimum eſt oraculum: Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſupra Dominum ſuum. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; *& quidem* perſequentur vos gratis; *ſolo videlicet nocendi maledicendiq; ſtudio inflammati.*

Vetus mos malorum, vt hoſtes ſint bonorum.

Matt. 10. Luc. 6.

Pſal. 118. 119.

Grãma-cicus Societati infenſus. *Hoc incendio quis dubitet, quin flagrantiſſimè ardeat Grammaticus ille, qui finem nullum facit vipereo dente rodendi viſcera Societatis, eamq́; infamibus chartis per vniuerſam Europam iniurioſiſſimè traducendi? Eò autem nocentior & periculoſior eſt hic hoſtis, quò amiciorem vultum, maiorémq́; nunc præſefert ſpeciē pietatis.* Nullæ enim ſunt occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum, qui palam aduerſarius eſt, facilè vitare poſſis, *inquit Cicero orat. 3. in Verrem.*

Simulat Lutheranum, vt noceat Catholicis. *Ante hac quidē in* Actione perduellionis, *& alijs quibuſdam libellis, apertè Lutheranum habitum indutus, minùs fallere potuit Orthodoxos, quibus dudum perſpectum fuit, & adhuc eſt, quid Lutheri Aſſeclæ falſis ſuorum Miniſtrorum perſuaſionibus exſtimulati, de Ieſuitis & ſentiant, & loquantur. At poſtquam irritus ſpei ſuæ, mutauit conſilium, Catholicíq́; nominis eſcâ aduncum hamum occuluit,*

Mox mutat habitum.

luit, ſunt non pauci, qui eum auidè deuorent, proniq́ ad aſſentiendum credant, illum, tanquam Religionis noſtræ tribulem, prorſus aliud nihil quærere, niſi ſummum ipſius Eccleſiæ bonum, ſalutemq́ plurimorum.

Quis enim non optima quæq́ concipiat animo, quando tantam videt prætexi Societatis iuuandæ atq; inſtaurandæ *cupiditatem? Quis dolis ductari ſe arbitretur, cum audit verba ad commouendam cõmiſerationem tam flebiliter compoſita? Quis non fide dignanda omnia putet, quæ tot, tamq́ graues Catholici ſcriptores aſſeueratione maxima confirmarunt? An parum eſt*, à Ioanne Mariana *ſummæ auctoritatis in Societate viro, eiuſdem Societatis næuos tam liberè, & abſq́ velo ad nudum detegi & oſtendi? An nihil momenti habent* Cauſæ illæ publici erga Ieſuitas odij, *quas* Fortunius Galindus Cantaber *non alio fine, quàm vt Societatis vulneribus mederetur, in lucem dedit? An* Bernardini Aduerſarij fallax prætextus.

Giraldi Patauini pro Senatu Veneto Apologia *deridiculo eſt habenda? An Em:*^mi *Cardinalis & Archiepiſcopi Pragenſis iudicium* & Cenſuram *de erectione Carolo-Ferdinandeæ Academiæ contemnendam exiſtimabimus? Quid de Patribus Capuccinis dicam*, qui Inſtructionem Secretam Societatis *in ſcriniys litterariys Padebornenſis Rectoris inuentam, patulo Orbi exhibuerunt? Quid de* Fratris Iuniperi Anconitani *Minoritæ, &* Danielis Hoſpitalij ad Reges & Principes Catholicos Conſultatione? *An non omnes iſti ſunt viri Catholici? Sunt publici boni amantes & ſtudioſi? Et tamen quanta ſunt ea, quæ de Societate litteris prodiderunt?*

Specioſum profectò eſt hoc argumentum, quod etiam rectiſſimas mentes poſſet in transuerſum rapere, ſi innocentiam ac veritatem indefenſam relinqueremus. Id quod haud dubiè animaduertit callidiſſimus Grammaticus noſter, qui in Arcanis Societatis hunc veluti dupliciarium

um militem conſultò in prima acie collocauit, quando ſub ſimulata Typograhi perſona ſic eſt præfatus: Vt Lector Catholicus habeat, vnde ſine affectu iudicium ferre poſſit, hæc Miſcella vulganda duximus. Talia enim ſunt, quæ nec ab Aduerſarijs Eccleſiæ Catholicæ profecta, nec gratis conficta, ſed vel Ieſuitas ipſos Auctores habent, vt inſtructio ſecreta, & P. Marianæ obſeruationes, vel Catholicos cæteroquin ſcriptores, quibus nihil minus cordi fuit, quàm Sectariorum commodis hac in parte velificari.

Sed ô Sinoniam fraudem! Ne credite Teucri. *Mille doli, mille inſidiæ, mendacia mille hîc latitant; quemadmodum ad veritatis lucernam, imò ad ipſos ſolis radios me omnibus liquidum facturum optima fide recipio. Etſi enim* Tractatus *illi, quos complectitur* Arcanorum *libellus, diuerſiſsimis Auctorum nominibus inſcribantur; certiſsimum tamen ſit lectori, eam atrocem eſſe fallaciam, &*

Monſtroſa aduerſarij nomina. *præſtigias ad decipiendum eruditiſſimè conſtructas. Idem enim Grammaticus, qui ante hac diu vſitato artificio, ſe Paſcaſium Groſippum, Theophilum Sanctaſidium, Oporinum Grubinium, Holofernem Krigsöederum, Meitingenſis ſcholæ Monarcham, Chriſtianum Gottliebium, Georgium Pomerium, Philoxenum Melandrum, Sanctium Galindum, Fratrem Iuniperum de Ancona Minoritam appellitauit, is nunc in iſtis* Arcanis Societatis *Fortunium Galindum, Auguſtinum Ardhingellum, Bernardinum Giraldum; Danielem Hoſpitalium ſe nuncupat, ſibiq́ id negotij datum exiſtimat, vt prodigioſa nominum varietate Orbi vniuerſo illudat, ipſaq́; mutabilitate mutabilior, Protei perſonam perſæpius repetitam Sycophantiam proteruiſſimè agat.* Cur vocetur Proteus.

Quare omnium iſtorum tractatuum auctoritas plus ponderis ad oppugnandos Ieſuitas habere non poteſt, quàm teſtificatio vnius alicuius hominis, quem ſi oſtendero & eſſe Societatis noſtræ, & ipſius ve- Vnius hominis

us veritatis capitalem inimicum, & nequaquam Zelo honoris Diuini, ſed Oeſtro odij, ac inuidiæ percitum, ad iras ſuas in innoxios deſpumandas proſilire, omnem prorsùs illi fidem detraxero. Ac licet in infinitum multiplicet infames ſuas ſcriptiones, ſingulisq́; alia & alia peregrina nomina præfigat, apud eos tamen, qui hæc attenta mente conſideraturi ſunt, nunquam perficiet, vt vanè creduli aliud ſibi perſuadeant, quàm ex eadem officina prodijſſe vniuerſas. auctoritas contra totum ordinem nullius eſt ponderis.

Res certè poſtulat, vt eorum cauſa, quibus nec AntiMelander, *nec* Ant-Anatomia, *nec* Mantiſſa *noſtra in manus venit, paucis commemorem, quibus artibus & armis iam à longiore tempore, Proteus iſte contra nos apparauerit tam horrificum, & omni odio imbutum bellum.* Cauſæ, quæ circumferuntur, cur Proteus ſit Ieſuitarũ hoſtis.

Viginti, & ampliùs ſunt anni, cum non obſcurus rumor per Italiam atq́; Germaniam ijt, Grammaticum iſtum, pluſquam Philippicas *aut Verrinas in Societatem meditari, eúmq́; in finem vndiq́;*

& vndiq; materiam corradere; quod vel ideò non abſimile videbatur vero, quia nemini latebat, quàm liberè & in familiaribus colloquijs ad amicos, & in euulgatis libris, atq; ſcriptis epiſtolis, ad alios paſſim ille dicere ſoleret, ſibi in Societate quàm plurima diſplicere, ſeſeq; Ieſuitas non niſi eminùs, & de longinquo ſalutare.

1. Cauſa. quia eſt de familia prædicantium Acatholicorum oriundus.

Huius alienationis varia perhibentur cauſæ. Putant nonnulli, inſito quodam, vel potius innato illum odio erga Societatem flagrare, quòd ea ſtirpe ſit oriundus, ex qua propè ab ipſo Lutheraniſmi exordio, non pauci Prædicantium, *vt vocant, ſeu* Miniſtrorum verbi, *officio per Palatinatũ, diuerſis in pagis ſunt functi, vti ex ipſis tabulis* Regiminis Ambergenſis *magnæ auctoritatis vir mihi monſtrauit: vbi eius nominis plures reperi* prædicantes: *Hinc fieri poſſe, vt licet verbis Catholicam nunc profiteatur Fidem, habeat tamen cognatarum venarum fibras, nonnullas, in quibus tetrum* adhuc

adhuc corruptumq́; ſanguinem foueat, Ieſuitis infenſum; præſertim cum & ſcripta illius non ex omni parte ſpirent ſanum ac optimum odorem..

Alij verò exiſtimant affectatum ab eo iam dudum in litteras regnum, inuidentiæ erga Societatem fomitem miniſtraſſe. Notum enim omnibus eſſe, quàm immodice ille ſe ſuaq́; æſtimet, quantoq́; opere vniuerſis perſuaſum velit; Ieſuitis Muſas omnes iratas eſſe; ſibi ſoli à Superis eas contraditas ad cuſtodiendum; quare cum videat, honeſtis diſciplinis etiamnum in Ieſuitarum Scholis honorificam ſedem, non ſine parte laudis, eſſe conſtructam, eum de litterarijs faſcibus deſperare: ideoq́; iniquis, atq́; retortis oculis Societatem intueri. 2. Cauſa. affectatũ ab eo in litteras regnum.

Fuerunt inſuper ex amicis illius, qui dicerent, ab aliquibus è Societate Patribus, ſeu dicto, ſeu facto, neſcio qua in re, *fuiſſe hunc hominem offenſum, præſertim Græcij & in Italia; idq́; fatentur expreſſè Amphotides ſcioppianæ, pag. 129. Hinc illas lachrimas.* 3. Cauſa. putat ſe læſum à Societate.

Ac

Cur Grāmaticus oderit Bernardinum Caſtorium.

Ac I. Aiunt, Romæ ante cōplures annos ipſum voluiſſe intra Collegij Germanici parietes velut in ſtabili domicilio nidulari; cuius conatui cum ſe P. Bernardinus Caſtorius illius Collegij Rector oppoſuiſſet, quòd illius conuictum atq; conſuetudinem Germanicæ iuuentuti putaret minùs commodam, iacta eſſe irarum ac vindictæ ſemina, etiam multis pòſt annis pullulatura.

Bilem Grāmatico mouet, quod Ieſuitæ Macchiauellum improbent.

II. Aiunt, quoq; Ieſuitarū quorundam editis libris bilem ei fuiſſe commotam, quòd vel ea defenderent, quæ ipſe improbabat, vel ea improbarent, quæ ipſe defendebat. Exempli cauſa; Petrum Ribadeneiram in Principe Chriſtiano, *Adamum Conzen in* libris de Republica, *acriùs in Macchiauellum inuehi, eiusq; Pſeudo-Politicen peſtilentiſsimis libris adnumerare: Id ægerrimè ferre Grammaticum; qui deleturus hanc Macchiauelli maculā,* Pædiam politices *conſcripſerit, typisq; Romanis in Orbem emiſerit.*

Ratio docendi Ie-

III. Hiſce aiunt accedere eam docendi rationem à Societate obſeruari ſolitā, quā ipſe

ipſe ſexcentis obelis confodiendam cenſeat. Neq; enim Grammaticam Emmanuelis Aluari, neque libros aliorum Ieſuitarum, qui politiores litteras attigerunt, ipſo iudice, ſolæciſmis & erroribus carere. Cum ergo idem ſummus Latinitatis vindex ab omnibus audire velit, virum videri nemini debere, ſi ſua, Reiq; publicæ intereſſe putet, Societatem ab hoc publico docendi munere remoueri, & quæ in Latium Barbaries inuehatur, vniuerſos commoneſieri. In quem finem & nouam Grammaticam, præfixo Paſcaſij Groſippi nomine, euulgandam curauerit, & per Orlandum Peſcetium Veronenſem, pro meritis Emmanuelem Aluarum caſtigârit.

Ieſuitarum Grāmatico diſplicet.

IV. Aiunt in proximis Comitijs Electoralibus, Ratiſponæ anno. 1630. Grāmaticum à S. Cæs. Maieſtate & Electoribus illic congregatis per chartam memoriæ cauſa oblatam, ſuppliciter poſtulaſſe, vt ſibi, ob eximia in S. Rom. Imperium merita, ſeu honorarij, ſeu ſtipendij loco deinceps

In Comitijs Electorum Ratiſp. bona ſpes Grāmaticum fefellit.

inceps aliqua non leuis pecuniæ ſumma, annuatim pendenda, decerneretur, ex qua, dum viueret, liberalius haberet alendi ſui ſubſidium & adiumentum: atq; vt concepto deſiderio ſperatus reſponderet euentus, hoc negotium Confeſſarijs *Imperatoris, & Electorum calidiſsimè commendaſſe. Cum autem ad finem procurrerent Comitia, nec tamen ipſe ſua vota videret, ſed ab hac ſpe repulſum ſe intelligeret, tum deniq; ſtomachum illius, iam pridem in Ieſuitas acida ructantem, euerſione maxima tentatum fuiſſe, quod crederet, fruſtrationem illam tam ingentis boli, & velut Theſſalicæ bucceæ, à nemine alio, niſi à Ieſuitis* confeſſarijs *eſſe iniectam.*

Quidam æmuli Societatis hominem magis concitarunt.

Atq; hoc æſtu dum agitaretur, ſuperueniſſe alios, qui hominem commotiſſimum magis concitarint, caminoq; ardenti oleum affuderint. Nam eodem Comitiorum tempore Ratiſponæ famoſa contra Societatem volumina ab ijs, à quibus minime debuerat, fuiſſe magno numero

diſſe-

diſſeminata: quorum partibus, tantò faciliùs acceſſerit Grammaticus, quantò minùs dubitauerit, quin, ſi eorum cauſam defendendam ſuſciperet, promptiſſimè poſthac eſſet ab eis in menſæ aſſeclam admittendus, quorum ſalinum ſæpè antea deguſtaſſet.

Hæ circumferuntur à quibuſdam, (vt alias taceam) tam inexpiabilis odij in Grammatico erga Ieſuitas cauſæ, quas vt conſilium non eſt nunc accuratius examinare, ita naris tam obeſæ nullus fuerit, qui, ſi hominis ingenium vehemens cognouerit, non validè mecum ſenſurus ſit, ab iſto Aduerſario Societati omnia atrocia eſſe expectanda; minimeq́ vulgarem iram eſſe, quæ tot annorum ſpacio ſub cineribus fuit enutrita. Attamen quia nihil ſimulatum ſolet eſſe perpetuum, erupit tandem in flammam.

Non enim multò poſt dicta Electorum Comitia, videlicet Anno 1631. proximè Rauenſpurgium, è notis ſeu latebris, ſeu Vineis, vernaculâ linguâ prodijt, Sueuiamq́

amq́ omnem peragrauit manuſcripta quædam, ſed acerbiſſima Satyra, cuius titulus erat, Catechiſmus Patris Schereri, *quæ Cæſarem infantiæ, Electores Catholicos iniuſtitiæ, Ieſuitas vero Confeſſarios magnæ arguebat negligentiæ & malitiæ. Et huius Catechiſmi auctorem fuiſſe Grammaticum, non ſolùm ſcribendi modus ſingularis, ſed etiam ipſiſſima ipſius* loquela manifeſtum fecit; *Quicunq́ enim homini familiariores erant, alia ex ore illius non audiebant, quàm quæ illo ſcripto totidem verbis continebantur. His adde grauiſſimam teſtationem cuiuſdam Comitis & Perilluſt. Viri in illis Sueuiæ partibus, qui per litteras ad Aulam Cæſaris miſſas, paratum ſe obtulit, & ad plures huius rei conſcios patefaciendos, & ad hunc ipſum fabricatorem calumniæ è ſuo latibulo ſeu Vineto extrahendum, quod haud dubiè factum fuiſſet, ſi Suecicus turbo non interueniſſet.*

Catechiſmus P. Schereri ficitius.

Hæc Proluſio cum Grammatico tam benè feliciterq́ ceſſiſſet, mox decretoria arma

ma arripuit, & anno 1632. Actionem perduellionis in Ieſuitas S. R. Imp. hoſtes (*hæc enim erat libri inſcriptio*) *itidem Germanica lingua euulgauit. Ne tamen ipſe agnoſceretur, non modo Lutheranum ſimulauit, ſed & Philoxenum Melandrum, (confictà quidem, attamen ingenio & moribus ſuis valde appoſita nuncupatione) ſe appellauit. Etenim iam inde antiquitus vſitatum fuit (Athenæo, Ariſtotele & Plutarcho teſtibus) vt Philoxeni aut in paraſitorum, aut in calumniatorum cenſu numerarentur, quo in genere decantatiſſimus ille fuit, qui gruis collum ſibi, quo diutius ciborum poculorúmque ſapore oblectaretur, exoptauit.* Melandri *verò cognomen, quia neſcio q̄d infauſti ominis apportat, & ob furuam ſuam ſignificationem etiam Stygio Panurgo à Germanis accommodari ſolet, ad amuſſim conuenit in Grammaticum noſtrum,* nigræ ſucco loliginis *plenum, dignúmque illo Horatij elogio;* Hic Niger eſt, hunc tu Romane

Actio perduellionis in Ieſuitas à Grammatico diuulgata.

caueto, *à qua nigredine nec proprium ipſius nomen multum abludit. Putes profectò eum Athenis in* Templo Exſecrationis *votum aduerſus Ieſuitas concepiſſe, adeo magnam in illa* Actione perduellionis *mendaciorum maledictorúmq; molem congeſſit; vt in Anti-Melandro Monacenſibus typis expreſſo, luculentè docui: neq; quidquam vltra modum dicturus ſum, ſi eum omnes partes aterrimi hominis illic egiſſe pronunciem. Nam vt hæc* Actio *quàm latiſſimè ſpargeretur, edidit eandem iterum, iterum, iterumq;, etiam cum alio titulo, nempe* Flagelli Ieſuitici; *qua fraude non pauci decepti ſunt, vt bis eundem librum emerent, rati ob diuerſitatem inſcriptionis etiam libros eſſe diuerſos.*

Alij libelli famoſi cõtra Societatem.

Huic deinde Actioni eodem adhuc anno. 1632. ſuppetias tulit Grammaticus, emiſſis duobus alijs opuſculis *Germanicis, nec pilo melioribus; quorũ alterũ hanc frontem oſtentabat;* Colloquium inter Paulum V. Papam, Philippum Hiſpaniæ

niæ Regem, & Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, ex Ieſuitarum Monacenſium & Ingolſtadienſium ſecretis conſilijs inſtitutum; & in bonum ac cautelam omnium Proteſtantium publicatum: *Erat autem hoc Colloquium iam olim anno 1608. conſcriptum potiſſimùm ad inuidiam Societati conflandam; ſed quia tunc opportunam occaſionem euulgandi auctor non habuit, & vel Paulum V. vel Regem Hiſpaniarum, vel etiam aliquos Ieſuitas timuit, aliquantiſper id ſuppreſſit; donec per Suecicum bellum, licentiæ laxata via eſt, ne ſcilicet tam nobilis fætura ſuo Domino decoqueret. Alterius verò opuſculi inſcriptio erat,* Myſteria Patrum Soc: IESV. *In vtroq; horum machinator doli vultum magis Lutheranum gerit, quàm Catholicum, præſertim in* Myſterijs, *quibus valdè iocularitèr, & cum rugoſis ſannis, irridet auctoritatem Summi Pontificis,* Eccleſiaſticam immunitatem, & Sanctorum inuocationem, *de qua re inueni*

ueniet Lector plura in Sectione prima Mantiſſæ.

Anatomia Societatis.

Cæterum quia ignorare non potuit, ſibi à Catholicis pauca creditum iri, ſi ſe Catholicæ fidei hoſtem apertè, vt in iſtis libellis fecerat, oſtenderet, ideo mox anno 1633. Anatomiam Societatis IESV *Latinè edidit, in eáq; verbis ad fallendum faberrimis, Catholicæ fidei, & S. Romanæ Sedis obſeruantiſſimum ſe iactauit, cuius cenſuræ ac iudicio totum librum non ſine ſimulata reuerentia ſubiecit.*

Vt autem etiam huic lucubrationi ampliorem ad expatiandum campum patefaceret, pluribúsq; perſuaderet, ſibi ſanctiſſimum eſſe ſcopum propoſitum, confeſtim alteram eiuſdem editionem, neſcio in qua vrbe Galliæ (quam ille ad ludibrium aurium Lubdunum *appellat) ſub falſo nomine* Sanctij Galindi è Societate IESV, *ſubdolè procurauit; vnde plurimi in eam opinionem venerunt,* Anatomiam *iſtam ab aliquo Ieſuitarum eſſe conſcriptam, quod tamen à vero erat remo-*

Fraus Grãmatici.

motiſsimum: Qui enim vel obiter libros alios huius Grammatici peruolutarunt, iÿ facilè commeminerunt, quàm ſolenne illi antehac fuerit, compendia dictis facere, rerúmq; tractandarum ſummam atq; capita in Tabulas *ordine quodam redigere: Cum ergo prorſus ad eundem modum concinnatæ Tabulæ ternæ & denæ in* Anatomia *viſantur, putant nonnulli eas omnino ſufficiens argumentum eſſe, cur dicant, à Grammatico iſto, non autem ab aliquo alio* Anatomiam *eſſe fabrefactam.*

Quæ aſſeueratio etiam inde firmitatem & robur capit, quòd eo ipſo tempore per Suecicum Colonellum Sperreitter, *Biberaci (quæ ciuitas Sueuiæ eſt) fuerint in dolio clauſo intercepta* Trecenta exemplaria *huius* Anatomiæ *per Sueuiam diſtribuẽda, vnà cum epiſtola ipſius huius Grammatici manu ad quendam Organædum vel* Componiſtã, *vt vocant, Weingartenſem exarata, à quo petiÿt, vti* conquireret, quidquid vndique in Ieſuitas exijt, quocunq; idiomate:

Epiſtola Grāmatici Biberaci in dolio reperta.

quæ epiſtola in originali Biberaci in Bibliotheca M. Melchioris Silueſtri Eccardi *(Lutherani)* Miniſtri Eccleſiæ ibidem primarij, menſe Auguſto an. 1633. relicta eſt, *vti teſtatur* Conſiſtorium Wirtenbergicum Stutgardianum *in libro quodam, in cuius principio epiſtola iſta ex ipſo* Autographo *deſcripta legitur; de qua in progreſſu copioſiùs diſſeretur.*

Vt autem de hac ipſa Anatomia Latinè conſcripta etiam ad ærariam plebem aliqua portio notitiæ, (rectiùs dicam, malitiæ) perueniret, non pauca inde excerpſit Aduerſarius, iterum amictus Lutherana veſte, atq; in Germanicum libellum, cui Ieſuitæ Exenterati *nomen eſſe voluit, cum crudeliſsimis calumnijs, tranſtulit, quo libello omnibus notis maledicentiæ inſigni, non minùs vniuerſam* Religionem Catholicam, *quàm Societatem probroſè ridendam Acatholicis propinauit. Vnde etiam ob hanc cauſam, non immeritò Romæ* Ieſuita *iſte* exenteratus

Ieſuita exenteratus.

aucto-

auctoritate Pontificia, (perinde vt Actio perduellionis, *&* Anatomia Societatis*) dignus ſtigmate fuit iudicatus, vltráq; Herculeas columnas exulare iuſſus.*

Vixdum hæc aliquantulum legi cæpta fuerant per Germaniam, cum è Lutherano repente non Catholicus duntaxat, ſed etiam Monachus factus eſt noſter Grammaticus, mutatione perquam lepida: quando Francofurtenſibus Nundinis an. 1634. emiſit Conſulationem *quampiam* de cauſis & modis religioſæ diſciplinæ in Societate IESV inſtaurandæ, *eiq;* Conſul-tatio Fr. Iuniperi de Ancona.
nomen Fratris Iuniperi de Ancona Minoritæ *præfixit; quo aſtu effecit, vt plurimi, qui eum librum legerunt, tanto plus fidei illi haberent, quanto minus exiſtimarunt aliquem Religioſum è tam ſancto Ordine in Societatem ſiniſtro affectu duci. Eſſe autem hanc nefariam fraudem à Grãmatico iſto in iniuriam tum Societatis tum ipſius* Ordinis Seraphici *excogitatam, Sectione ſecunda Mantiſſæ per-*

*ſpicuè demonſtraui, vbi etiam obtrecta-
tori huic habitum monachi detraxi.*

Fatentur certè paſſim Reuerendi Patres Franciſcani, nullum eſſe, quàm latè orbis patet, in ſua Congregatione, talem Fratrem Iuniperum Anconitanum, *qui ex India redux, à ſuis ſuperioribus Româ in Galliam, & Germaniam, his proximis annis, fuerit miſſus Legatus. Nihil igitur eſt hoc aliud, niſi contumelioſiſſimum commentum; Cui velut auratum monile in collo appendit* Ludouici Soteli *epiſtolam, omni genere falſiſſimarum accuſationum opulentam, de qua quid ſentiendum ſit, tertia Sectione eiuſdem Mantiſſæ docui.*

Ludouici Soteli epiſtola.

Iſtis tot, tamq́; diuerſis variatus figuris atq; coloribus Proteus noſter cum videret necdum ex ſententia animi ſui rem aduerſus Ieſuitas ſibi ſuccedere, neq; per tot fraudes & machinas ſe optatis potiri poſſe, nihilominùs nondum cedendum ratus, experiri vltima ſtatuit, aliúdq; volumen proximè antegreſſo anno 1635.

per

per typos aut Gebennenſes aut Baſileenſes, (vt communis fama teſtatur) in lucem edidit, illúdq; Arcana Societatis *nominauit; in quod ex prioribus, & iam ante confutatis, atque etiam Romæ damnatis ſcriptis (Actione videlicet perduellionis, & Anatomia) magnam partem fellis, cicutæ, & ſucci veneniferi, non ſine actu nouarum calumniarum, comportauit. O quàm improbè ſudat in hoc libro, vt perdat funditus Societatem, & loco ipſis Inferis inferiore ſepeliat? Vix cogitari facies poteſt, in quam ſe non vertat. Iam non tantùm noua nomina, ſed etiam noua crimina fingit: iam antiqua & dudum veritatis calce protrita impudenter repetit; iam eadem alio iuſculo, alióq; aromate condit: iam Cantaber, iam Italus, iam vult Germanus haberi, vt omnibus gentibus fucum faciat, & ſe non eſſe, qui eſt, & eſſe qui non eſt, perſuadeat: Quis igitur neget, quin hunc rectè* Proteum *dixerim ac Vertumnum?*

Arcana Societatis.

cum Appēdicibus vtiliſſimis

Quid Societati propoſitum.

Cæterum Societati ſtat firma ſententia, fidem DEO datam, pactámq; in peragendo ſuo munere perpetim ſeruare integram; famam verò ſibi ad ſalutem proximi procurandam tam neceſſariam non negligere, atque pro inimicis ſuis conſtanter demiſſéq; in cœlum preces effundere, & hoc quidem conuenienter Chriſti verbis, Matth. 5. v. 44. orate pro perſequentibus & calũniantibus vos. *illud verò ex doctrina M. Gregorij Eccleſiæ Catholicæ Doctoris; Homil. 9. in Ezechielem dicentis,* Hi quorum vita in exemplũ imitationis eſt poſita, *(quales Auctore S. Thoma Opuſc. 9. c. 14. ſunt religioſi)* debent, ſi poſſint detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant. *Solatio autem maximo Societati inter maleuolentiſſimas has obtrectationes, erit mens conſcia recti, diuinarúmq; firmitudo promiſſionum, quæ iubent imperterri-*

to animo eſſe timentes Dominum, quibus omnia cooperantur in bonum. *Licet igitur tot capita aſſumat Grammaticus, quot Lernææ recreuerunt hydræ, omnémq; Furiarum cœtum ex Erebo in concilium vocet, fundamenta tamen Societatis, ſupra Eccleſiæ, quæ inſtitutum approbauit, ſolidiſſimam Petram locata ſuis machinamentis nunquam conuellet, nunquámq; labefactabit, ſed potius ſibi ipſi inuret infamiam nominis ſempiternam.*

Hæc ſunt de quibus Lectorem præmonendum duxi. Nunc ipſum Arcanorum *libellum aggrediemur, qui cum nouem contineat diſtincta opuſcula, eorum ſingula ſingulis capitibus, DEO adiuuante, expediam: quibus ſi* Auctarium *acceſſerit, nõ poterit Aduerſarius conqueri, me minùs fuiſſe liberalem.*

GRAMMATICI PROTEI

Caput Primum.

DE INSTRVCTIONE SECRETA pro Superioribus Societ: IESV.

AN non indignari debeo Magiſtro tuo, Grammatice, qui te, neſcio quâ mercede, tam parum ſapere docuit, vt in prima acie tuæ accuſationis contra Ieſuitas, collocares *Secretam hanc Inſtructionem*, quæ glorioſiſsimum præbet Societati defenſionis argumentum? Nam lippis & tonſoribus notum eſt, *Inſtructionem* illam *Secretam* iam anno 1612. (hoc eſt pluribus annis, antequam eam Patres Capuccini Paderbornæ in Collegio, vt tu ais, inuenirent) à maleuolis librario prælo mandatam, pérque Poloniam, Galliam, Germaniam, Italiam diſperſam, deinde Cracouiæ anno 1615. ab eiuſdem loci Epiſcopo ac Adminiſtratore damnatam, & poſtea Romæ anno 1616. 10. Maij à *ſacra Congregatione Indicis* publico quoq; interdicto proſcriptam: inſuper anno 1618. à Iacobo Gretſero tribus *libris Apologeticis* confutatam, & de innumeris fraudibus ac mendacijs conuictam;

Inſtructio Secreta falſi dudum

uictam: poſthæc in *Ant-anatomia Societatis* ſect. 6. iuſtis telis confixam; denique Romæ anno 1634. 23. Auguſt. à *S. Congregatione Indicis*, tanquam partem Anatomiæ, rurſus nigro carbone notatatam eſſe. Quis ergo conſpecto tuo *Arcanorum* Libro, non ſtatim ſic ſecum ratiocinetur? Qui principio orationis eſt tam impudenter, & perfrictâ fronte mendax, quam in reliquis fidem mereatur? Tota autem ferè Europa compertum habet, *Inſtructionem* hanc *ſecretam* eſſe vetulum, falſidicum, iniurioſum, manifeſtarium, conculcatiſsimum Commentum, cui nec robur, nec firmitas, nec vlla ſimilitudo veri ineſt. Igitur improuidiſsimè egiſti, quando te aditum ad credulitatem tibi per tam liquidam, omniũmq; linguis conteſtatam mendaciorum farraginem paraturum ſperauiſti. Ac niſi aliunde plus ſatis conſtaret tuus in Societatem extrema maleuolentia ſuffuſus animus, abſolui de præuaricatione vix poſſes. Quod enim tuendæ Societatis innocentiæ, quod propulſandis tuis reliquis calumnijs ſolidius excogitari queat argumentum, quàm ſi omnes intelligant, hunc primum & maximum tui Operis arietem prorſus ſtramineum eſſe, & non ſolùm ad ſupremum Eccleſiæ tribunal Pontificio fulmine iam ambuſtum, atque in numerum flagitioſorum, ac vetitorum voluminum, authoritate Eccleſiaſtica adſcriptum, ſed etiam

eſt conuicta & damnata.

Inde defenditur Societas, vnde eam aduerſarius lædi exiſtimauit.

tiam ſolidiſsimis Apologijs ita contuſum & conquaſſatum, vt hucuſq; nemo fuerit, qui ea, quæ vel in *Apologetico* Iacobi Gretſeri, vel in *Ant-anatomia* ad defenſionem Societatis dicta & ſcripta ſunt, vllo verbulo refelleret. Quæ profectò res nobis certiſsimo eſt argumento, te aut graui dementia, aut inopia magna materiæ laboraſſe; quando obſoletis, & falſiſsimis hiſce criminationibus armatus, ad nouum bellum contra Ieſuitas voluiſti procedere.

Neque ex eo, qnod ais à Patribus Capuccinis illam *ſecretam Inſtructionem* anno 1622. (quo Chriſtianus Halberſtadienſis Paderbornam diripuit) in ſcrinio Rectoris illius inuentam fuiſſe, quidquam firmamenti accedit accuſationi tuæ. Nam de hoc ipſo facto, cuius te ſolum & vnicum teſtem habemus, nos certos per legitimam probationem nondum reddidiſti. Quis enim tibi in hoc credulas aures accommodet, qui in alijs toties orbem fefelliſti? imò qui hac ipſa in re etiam in Patres Capuccinos iniurius fuiſti, quos duplici de crimine ſuſpectos reddis, quando ais, illos Bibliothecam Societati iniuſtè ereptam, (adeoq; rem citra dubium alienam) dono acceptaſſe: deinde per ipſos clàm inuentam *Inſtructionem ſecretam*, ad aliorum manus, vſque ad publicam Societatis infamationem perueniſſe; quorum prius iuſtitiæ, poſterius aduerſatur, etiam charitati.

Patribus Capuccinis iniuriam facit Grammaticus.

Adhæc

Adhæc habuerit ille Rector in ſcrinio ſuo talem chartam, non tamen huic eſt neceſſariò conſequens, eam à Superioribus ipſi fuiſſe traditã, vt illuc dirigeret proram & puppim gubernationis ſuæ; ſed habuit aliunde acceptam, & tanquam à calumniatore aliquo Societatis improbo vulgatam, apud ſe retinuit, vt cùm poſtularet vſus, poſſet ora loquentium iniqua, validiore peſſulo obſtruere, ſi ipſa calumniæ charta ad manum adeſſet. Quo modo à viris inſigniter Catholicis, quibus ea licentia à maioribus eſt permiſſa, aſſeruantur nonnunquam Hæreticorum libri, cæteroqui prohibiti, vt ſuo tempore, ex eorum lectione certiùs errores profligare, atq; Catholicæ Fidei dogmata fortiùs poſsint defendere. Et in hunc finem fuiſſe detentam, cùm à Paderbornenſi, tum à Pragenſi Rectore ſecretam illam Inſtructionem, ſi modo vera eſt tua narratio, nullo modo eſt dubitandum.

Nonne tu ipſe, mi Grammatice, & in Actione perduellionis, & in Anatomia Societatis palàm fateris, plerôſq; de Societate eſſe viros in virtute & probitate conſtantes? Igitur ne ipſa quidem improbitas dicet, eos, in quos conuenit tanta commendatio, per tot annorum ſpacia tacituros, & nec verbulo contra hiſcere auſuros fuiſſe, ſi Superiores Societatis, clàm à P. Generali, ad officij ſui munus tam ſceleratis, atq; ipſi Inſtituto Socie-

Suo gladio cæditur aduerſarius.

cie-

cietatis, ê diametro aduerſantibus monitis & artibus inſtruerentur. Quomodo enim fieri poſſet, vt capitalis hæc fraus tot nec luſciofis, nec hebetatis oculis perpetuò occultaretur? Haud raro ſuſcipiunt Rectores negotiorum causâ ſatis longa itinera; ſæpe inopinatò à P. Generali iubentur in alium locum concedere, aliiſque officijs fungi; nonnunquam citiùs, quàm pro ipſis alij ſubſtitui queant, per aliquod infortunium vita decedunt. Interea eorum habitationem *Miniſtri* Collegiorum, & alij optimæ notæ Socij ingrediuntnr, quibus nihil penitus illic clauſum, nihil eſt impenetrabile. Quis autem dubitet, quin per huiuſcemodi caſus, aliquando à quopiam Religioſo, virtutis atque integritatis amante, talis inſtructio reperta, atque ex angulo extracta fuiſſet, ſi à Rectoribus ſoleret aſſeruari? niſi fabulosê dicas, eam per aliquem Gygis annulum humanis aſpectibus eſſe ſubductam.

Quàm pleno præterea ore laudas P. Ioan-
Pag. 103. nem Marianam? Appellas eũ *Ieſuitam Prin-*
104. *cipem, annoſiſſimum, doctiſſimum, ſummâ prudentiâ virum, diuinum hominem, cui nihil veritate antiquius, qui rem Societatis optimè ſcire potuerit, & de ea mentiri non quicquam voluerit;*
Pag. 206. *cuius ſumma virtus, integritas, in ſcribendo & loquendo libertas, prudentia, littera Orbi vniuerſo, præcipuéq; Regibus ac Principibus multò ſint notiores, quàm vt vllius prædicatione commen-*

Argumētum du-

mendari debeant; Denique qui ut de Societatis conſeruanda, & à maturo interitu vindicanda rationibus Societatem admoneret, ſcripſerit integrum librum de Regimine Societatis. Hæc inquam, maximarum laudum præconia, ex tuo calamo profecta, euidenter conuincunt te falſitatis. Si enim vir fuit P. Mariana, qualem tu prædicas, & in Societate vitam tam vitalem vixit, omni ferè quercu annoſior, per nullam calliditatem, etiam occultiſsimam, fieri potuit, vt illius ſcientiam tam diu fugeret ſecreta illa Inſtructio; quandoquidem in alijs erratis Societatis notandis, tua opinione, tam oculatus, tam vigilans, tam attentus fuit, vt plurima retruſa, & non niſi paucis cognita patefecerit. Atqui Mariana in toto illo libro, quem tu illi adſcribis, huius *ſecretæ Inſtructionis* nuſquam vel minimo apice mentionem fecit; quo cuilibet prudenti clariſsimum indicium datur, prorſus malignum & calumnioſum figmentum eſſe, quidquid de hac *Inſtructione* per ora hominum diuulgatur. Si enim aliàs tam ab omni prauo affectu fuit alienus Mariana, & pro veritate tuenda, Deiq; gloria propaganda nullius hominis, rationem habendam exiſtimauit, incredibile prorſus eſt, eum ſilentio preſſurum fuiſſe tantum ſcelus, ſi illo Societas contaminaretur. ctũ à Ioanne Mariana.

Accedit aliud ex iam dicto libro, non contemnendum argumentum. In proœmio il-

Vide Anatomiam Societatis pag. 52 de libro Marianæ.

lius num. 4. hæc leguntur. *In Societate tam multa ſeditiones ac tumultus fuerunt excitati, vt miraculi ſimile ſit, inueniri aliquem, qui non fuerit illis implicatus.* Et cap. 3. n. 24. *Totum Societatis regimen fundatum eſt in Syndicationibus ſeu Delaturis, quæ ſunt tanquam fel toto corpore diffuſum, ita vt nemo vel fratri ſuo germano fidem habere poßit, ſed metuere neceſſe habeat, ne Delatorem agat:* Item cap. 4. n. 28. *In Societate ab aliquot annis multa fuerunt rebelliones, aut ſeditiones, ex quibus magni & diuturni diſguſtus, ſiue animorum exacerbationes promanarunt:* Et cap. eodem. n. 36. *Potentia Generalis eſt valde debilis, ſimul ac reſpectum & auctoritatem apud ſocios amiſit; cum multa ſint rationes, quibus ei reſiſti, & cuniculi aduerſus eum agi poßint.* Vide nunc, quem ex his nodum facturus ſim, ad te conſtringendum! Si in Societate omnia plena ſunt ſeditionibus, *rebellionibus, Syndicationibus, delaturis, animorum exacerbationibus, ita vt nec fratri germano ſuo fidere quiſquam poßit*, nulla profectò hominũ etiam vaferrimorum induſtria, vel arte caueri potuit, ne tot annorum interuallo iſta ſecreta Inſtructio per aliquem de Socijs proderetur; cum vix aliquid ſub ſole reperiatur efficacius ad patefaciendum occulta ſcelera, quàm diſsidia & odia mutua ſceleratorum. Neque dicere poteris, promptum fuiſſe Generali Societatis propulſare hoc periculum; Si enim potentia eius eſt tam debilis, tamq; facilè

facilè per cuniculos poteſt euerti, nequicquam laborauiſſet, ſi ora tam inimicè & animis, & voluntatibus inter ſe diſsidentium voluiſſet obſtruere.

Adhæc notiſsimum eſt, conſuèſſe Societatem, ſecundùm Conſtitutiones ſuas, quorundam nomina, ſiue ob grauiora delicta, ſiue ob deploratos mores, ſiue ob alias iuſtas cauſas, de ſuorum numero expungere. Quis autem dubitet, quin ſæpe inter iſtos reperiantur aliqui irarum & odio erga Societatem pleni? præſertim ſi ſuo vitio dimittantur, de quibus expectabantur vuæ, & pro ijs tulerunt labruſcas; videlicet pro demiſsione animi & obedientia faſtum atque proteruiam, pro modeſtia audaciam, pro concordiæ ſtudio animum pacis turbatorem. Vt ergo tales verorum criminum ſuſpicionem deinde apud alios à ſe remoueant, falſis facillimè onerant Societatem, eámque eo liberiùs infamant, quo minùs ab ea amplius quidquam habent metuere periculi; quippe ab eius imperio iam penitus liberi & ſoluti. Nullus autem hucuſq; extitit, tametſi ex ijs non pauci aliorum Præſides ac Rectores, & ſubinde etiam Prouinciales fuerunt, qui iſtius *ſecreta Inſtructionis* Societatem inſimulauerit. Credere autem nemo poteſt, eos talem occaſionem Societati malè faciendi neglecturos fuiſſe, ſi in ea tam impijs monitis Superiores priuatim eſſent inſtructi.

Argumẽtum ab ijs, qui è Societate dimittũtur.

P. Floranantius non ſiluiſſet.

Quid iam de Patre Florauantio ſentiendum? quem tu *priſca virtutis ac fidei virum* vocas (pag. 106. Arcanorum) & eo nomine ſuper ſidera tollis, quòd fuerit & Societatis iuuandæ cupidiſsimus, & Summo Eccleſiæ Paſtori Vrbano VIII. gratiſsimus; à quo maximi beneficij loco poſtulauerit, cum primùm ab eodem ad Cõfeſſarij munus fuiſſet adſcriptus, vt *ſua Sanctitas* de inſtituendâ *reformatione* Societatis IESV, curam ſuſcipere, atque ab ea certiſsimum interitum amoliri vellet: quæ ſi conſona ſunt veritati, an tu putas illum *Inſtructionem ſecretam*, quæ tanti momenti tibi videtur, vſque adeò obliuioni daturum fuiſſe, vt de ea in aurem Pontificis aliquid inſtillandum non putaret? Cum enim & ipſe iuſſu R. P. Generalis, non modò Laureti ſocijs præfuerit, ſed etiam Romæ in *Domo profeſſa Viceprapoſitum* egerit, vtique etiam ab eodem Generali hanc *Inſtructionem ſecretam* eum accepiſſe putandum, ſi illa, vt tu contendis, omnibus Superioribus dari ſolet. Itaque illius non potuit eſſe ignarus. Quare aut monuit de ea S. Pontificem, aut *vir priſca virtutis ac fidei* non fuit. Si autem monuiſſet, quis dubitauerit, quin *ſua Sanctitas* ob tam nefariam fallaciam in Generalem Societatis dudum acerrimâ caſtigatione animaduertiſſet; quod tamen factum non eſſe tota Roma teſtabitur.

Reſtat igitur, vt hæc *ſecreta Inſtructio* ſit nihil

nihil aliud, niſi ab improbo aliquo calumniatore in Societatem iniurioſiſsimè ficta procusáq; calumnia; quam particulatim cōfutauit Iacobus Gretſerus in Apologetico contra Monita priuata Societatis, vt plura in eam verba profundenda non ſint. Videatur etiam ſectio 6. Ant-anatomiæ noſtræ.

Caput Secundum.

DE CAVSIS PVBLICI ERGA IESVITAS ODII.

HÆc eſt inſcriptio ſecundi Opuſculi, quo librum *Arcanorum* Grammaticus, ſub nomine Fortunij Galindi Cantabri (videlicet in Germania nati) voluit exornare; qua inſcriptione fingit aſtutè, & tanquā indubitatum ponit, Societatem publicè omnibus eſſe inuiſam; quod manifeſtæ veritati repugnat. Nam ſi de Aduerſarijs fidei noſtræ Catholicæ ſit ſermo, non inficiamur eos erga Ieſuitas peiùs, quàm erga alios Catholicos eſſe affectos. Cuius tamen rei notior eſt cauſa, quàm vt egeat explicatione. Non enim qui gregi ſunt inimici ſolent amare ouium cuſtodes. Si verò de Catholicis loquamur, non eſt odium commune omnium in Societatem, ſed tantūmodo aliquorum. Nemo autem hoc mirabitur, qui cum ani-

mo ſuo cogitauerit, quàm infamia & horrenda ſcripta iam à multis annis contra Societatem, per omnes ferè Europæ partes, ingenti numero, à maleuolis fuerint emiſſa, quæ haud dubiè in plurium manus inciderunt, qui non confeſtim partem alteram audierunt, nec audire, etiam potuerunt. Vnde perquam facile fuit, illos in eam opinionem de Societate adduci, quæ odij potiùs materiam, quam amoris ſubminiſtrauit. At hi ex ignorantia atque errore oderunt Societatem, haud grauatè odium depoſituri, ſi meliora fuerint edocti.

Cauſæ odij in Ieſuitas.

Sunt deinde & alij Societatis oſores, non Societatis culpâ, ſed ſuâ ipſorum malitiâ, eâq; duplicis generis. Prima eſt LIVOR, ſeu INVIDIA: altera eſt FLAGITIOSA VITA.

Inuidia.

Prô quantum liuor malum! Licet quædam ad *Inſtituti* ſui normam rectiſsimè, modeſtiſsiméq; agat Societas, nequit tamen effugere obtrectationes quorundam Catholicorum, qui adeò impatientes ſunt alieni luminis, vt ſibi ereptum putent, quidquid alijs honeſtæ laudis accedit: idcircò de Societate fanda & nefanda confingunt, ſcribunt, dictitant, in vulgus iaculantur, vt noſtrum nomen denigrent, vt noſtram famam lacerent, & Palamedem hunc innoxium Vlyſſeis fraudibus ac dolis perdant. Inter hos non paucos videas, quos ſummis Societas affecit beneficijs, & aliquando etiam ab extrema in-

inopia ac mendicitate vindicauit. Sed nihil hoc eſt noui. Omnis ætas tulit inuidos, tulit ingratos. Non enim minùs virtutis comes eſt inuidia, quàm ſolis vmbra. Quamuis autem miſerum videatur, habere tot inuidos, melius tamen eſt habere bona, quibus inuideant mali, quàm habere mala, qnibus ſuccenſeant boni. Cui vnquam candidior innocentiórq; mens fuit, quàm Dauidi, quando Philiſtæo giganti caput à ceruicibus amputauit? Et tamen inuidentia exitiabili commotus Saul, ægerrimè tulit *Epinicium* in laudem Victoris à mulierculis decantatum; *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia. Diſplicuit enim ſermo ille in oculis Regis dixítq;, dederunt Dauid decem millia, & mihi mille; quid ei ſupereſt, niſi ſolùm regnum? Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* 1. Reg. 17. Videlicet vt aranea quolibet innoxio flore venenum ſugit, ita mala mens, & ſuſpicionibus grauis etiam ex innocentiſsima vita ſcabram contrahit rubiginem.

Corrupta quorundam Vita.

Homines porro corruptæ vitæ, peruerſorúmq; morum Societati aduerſari, plus mirabilitatis non habet, quàm ſi aquam pugnare cum ignibus dicas. Quomodo enim ſceleribus dediti, & rerum caducarum illecebris ita immerſi, vt altiora & cœleſtia vix extremis labris aliquando guſtent, amare poſsint virtutis & honeſtatis præcones pu-

blicos & Doctores? *Contra virum iuſtum peccator eſt* (inquit Eccleſiaſticus c.33.) *& contra malum bonum eſt, & contra mortem vita.*

Hæc autem adeo contraria ſtudia non ad communia fœdera iungunt, verùm armant potiùs ſæua ad certamina dextras, perpetuiq; belli fomitem accendunt. Cum enim ſimilitudo ſit mater amoris; diſsimillima autem ſit ratio Societatis & iſtorum hominum, quos tam triſti ſidere afflauit Saturnus, nunquam ſtabilem coibunt nobiſcum amicitiam, ſed ſemper fortiter inuidebunt famæ alienæ, qui deſperarunt de ſua; & odio proſequentur illos, quos ſe nouerint meliores.

Malus Dæmon Ieſuitis infeſtus.

Neq; dubitandum eſt, quin etiam Tartareus ille hoſtis operam ſuam impigrè nauare ſoleat, ad augendum odium, & acuendam iram maleuolorum in Societatem, quam non poteſt non peſsimè odiſſe, cùm videat ſuo imperio ab eadem non leuia damna dari: ideo ex omni angulo Stygia ſua flabra emittit, atq; cauis ſpirat mendacia follibus, vt Ieſuitas ſternat, & quidquid eſt mortalium in illos concitet, & obarmet. Ac certè niſi Superûm nos protegeret clementia, iam dudum rem ex voto confeciſſet.

Sed *DEI miſericordia eſt quod non ſumus conſumpti:* pro cuius glorioſiſsimo nomine parata eſt Societas non ſolùm aſpera hominum odia, & crudeles iras, verùm etiam equuleos,

laos, fidiculas, vncos, & quæcunque ingenioſus Diabolus inuenerit tormenta, lætiſſimo animo tolerare. Hæc enim ſunt veſtigia, quæ nobis calcanda non ſolùm innumeri Sancti reliquerunt, ſed inprimis *DEI Filius*, qui tametſi ipâ innocentiâ fuerit innocentior, *neque dolus inuentus ſit in ore eius*, nihilomnius *homines odio iniquo oderunt eum, & poſuerunt aduerſus eum mala pro bonis, & odium pro dilectione illius.*

Quare cupiens, quoad fieri poſſet, ſui quam ſimillimos eſſe diſcipulos ſuos, illos ad huiuſmodi odium magno animo perferendum (Ioannis. 15.) egregio ſermone animauit. *Si mundus vos odit*, (inquit) *ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret. quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum, qui miſit me. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum; ſed vt adimpleatur ſermo, qui in le-*

Chriſti monito ſe arment Ieſuitæ.

ge eorum ſcriptus eſt; Quia odio habuerunt me gratis.

Hæc à Suprema VERITATE pronunciata veritas neque Apoſtolos, neque alios ſanctos fefellit, ſed in omnibus fidem habuit. Nam in Apoſtolorum odium atque exitium penè ab vniuerſo orbe fuit conſpiratum; doctrinam eorum plurimi ſunt execrati: Reges & *Principes perſecuti ſunt eos gratis; Vitam illorum æſtimauerunt inſaniam, & finem illorum ſine honore.* Crux Chriſti, cuius ipſi & amatores, & præcones erant, *Iudæis fuit ſcandalum, gentibus ſtultitia.*

Et exemplo Sanctorum.

Poſtera deinde ætas non ſolum vidit ſanguinis torrentes ex cædibus martyrum defluere, ſed etiam ad inuidiam crudelium oculorum, de craticula in epulas ambuſti corporis prouocari Tyrannos; cuiuſmodi crudelitatis exemplis plena ſunt veterum Annalium monumenta, quæ poſt Neronianas arenas, Decianos ignes, Diocletiana præſepia, Traiana marmora, commemorant innumera alia in Chriſtianos milites, non ſine immani odio, & mendaciſsimis calumnijs, deprompta inauditæ ſæuitiæ inſtrumenta & cruciamenta, quibus horrendum in modum graſſata eſt malignitas in innocentes.

Quare tantùm abeſt, vt Societati ignominioſum ſit odio haberj à *mundo*, vt ob eam cauſam potiùs vehementer lætari, ſeſéque eximiè fortunatam exiſtimare debeat cum Apo-

Apoſtolis, *quod digna habita ſit pro nomine IESV contumeliam pati, atq; gloriari poſſit in cruce Domini N. IESV Chriſti.* Si enim ſimilis eſſet vitâ ac moribus huic mundo, *quod ſuum eſt, mundus diligeret.* Nunc verò quia illam tantopere auerſatur, quid inde conficitur, niſi Societatem *de hoc mundo non eſſe?* Cuius mundi antiquiſsima Cantilena eſt, Sapientiæ ſecundo: *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Item, *Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſsimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ illius. Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum.*

Quis autem negauerit, quin eâdem malitiâ excæcatus ſit Grammaticus noſter? qui tam varijs commentis, tam improbis conatibus aſsiduè laborat, vt Societatem *ſermonibus odij circumueniat, & circumdet*, omniúmq; auribus *vanitates, & inſanias ſuas falſas* inſpiret?

Culpam quidem, eámq; non vnam duntaxat in Societate hærere clamitat, ob quam iure aliorum odium ipſa incurrat; proinde indignam eſſe illa gloria, quæ ijs debetur, qui *Legatione pro Chriſto fungentes* aut virtutis, aut orthodoxæ fidei cauſâ, oblocutionibus ac odijs hominum exagitantur. Atq; vt huic ſuo effato authoritatem adiungat, (Crimina falſa impingit Societati aduerſarius.)

profert in medium non pauca, nec leuia, crimina, quibus Ieſuitæ infamiam ſibi publicámq; vituperationẽ videantur arceſſere. Sed qui hæc iſtâ rationis ſtaterâ, non autem populari trutinâ examinauerit, ſi modo oculos non perdidit, clariùs ipſo ſole videbit, accuſationis huius capita pedibus carere, nullique ſolido fulcimento inſiſtere, ſed partim euidenter falſa, partim in crimen non vocanda, partim eius generis eſſe, quæ velut arcana cordis omnem humanam ſcientiam tranſcendunt, nequeúntq; ab vllo, niſi ab eo, qui ſolus ſcrutator eſt inacceſſi pectoris, cognoſci. In rem ipſam veniamus.

PRIMA CVLPA, QVÆ IMPINGITVR IESVITIS.

De aulis Principũ.

CVlpa Ieſuitarum (inquit Arcanorum ſcriptor pag. 34. & 35.) *quæ ipſos inuiſos reddit, hæc eſt, quòd nonnulli plus aulis & conſilijs ac negotijs Principum immiſcentur, & monopolium quoddam gratiæ apud Deum & Principes inſtituere conantur, vt omnes ad ſe conuolare, & non modò apud Principes, ſed etiam apud ipſum* DEVM *ipſis interpretibus vti poſtulent; eos verò qui apud Franciſcanos, Dominicanos, Auguſtinianos, alióſq; peccata confitentur, pro viris minùs honeſtis habeant. Itáq; videre eſt in Aulis, vbi Ieſuitæ dominantur, pietatem eſſe quæſtuoſam.*

Reſp.

Reſp. In plurimis locis, quibus Societas domicilia habet, nulli prorſus ſunt Principes, nec Aulæ Principum; vt in *Prouincia Superioris Germaniæ* duodecim Collegia conteſtantur. Illic igitur ex aulæ frequentatione eam culpam non contrahit Societas, quã ipſi impingit Aduerſarius.

Deinde Societas in Aulas Principum ſe non intrudit; neque vnquam aut voce, aut manu ſupplice quemquam eorum rogauit, vt is non alium, niſi è Societate conſcientiæ ſuæ curatorem admitteret; ſed ſicubi ad hoc munus euocati ſunt Ieſuitæ, factum id eſt libera ſibi talem confeſſarium deligentium voluntate. Neque quidquam iuſtæ cauſæ ſuppetit, cur Ieſuitæ tale officium vltrò oblatum, debeant detrectare. Cum enim ex ſuarum legum præſcripto, omnium hominum generi libenter & gratuitò *ſpiritualem* ſuam operam impendant, annon grauiter culpandi forent, ſi eam ſummis hiſce capitibus vellent ſubtrahere? Non igitur illis vitio vertendum eſt, ſi faciant, quod ſine violatione Legum ſuarum omittere non poſſunt; præſertim quando vident nonnullos etiam alios Religioſos, quibus alioqui Regulæ ſui Ordinis id non præcipiunt, idem tamen factitare.

In quas Ieſuitæ ſe non intrudũt.

Debuiſſet autem Aduerſarius exprimere, qualia ſint illa conſilia ac negotia Principum, quibus *plus Ieſuitæ in Aulis immiſcean-*

tur.

tur. Si enim de merè politicis loquitur, verum non eſt, Ieſuitas ijs immiſceri. Quis enim vnquam in tali Senatu Ieſuitam vidit aſsidentem præſidi, & in publicum de re politica conſulentem? aut quis eum audiuit cum Principe talia pertractantem? Si verò de negotijs ad conſcientiam pertinentibus loquitur, nondum fidem fecit, limites officij ſui excedere Ieſuitas. Quis enim Mercurius ad Grammaticum detulit, aut per quem tubum opticum ille conſpexit, quæ de ſella ac tribunali conſcientiæ, Confeſſarius Principis pronunciauerit, quæque illi in auriculam inſtillârit? Eius itaque culpæ arguit Ieſuitas, quam in eis reſidere, etiamſi ruperit ſe, demonſtrare tamen legitimè nunquam poteſt.

Etiam politica negotia poſſunt aliqua ratione ad Confeſſarium ſpectare.

Quamuis autem ad Confeſsionem non attinet politica tractare, quà ſunt politica, negari tamen minimè poteſt, quin eadem ſub confeſſarij iudicium, aliquâ aliâ ratione cadere poſsint. Vtique ſunt politica, leges condere, pacem componere, bellum gerere, ius dicere, præmia bonis diſtribuere, pœnis malos afficere, artes liberales & mechanicas fouere, forum, nundinas, exercitia equeſtria & alia inſtituere; & tamen hæc omnia potuit etiam princeps vitiosè & perperam agere, atque ſic in conſcientiam delinquere; ſiue ob prauum aliquem finem, quem ſibi propoſuit; ſiue ob *media*

& adiumenta non conceſſa, quæ adhibuit; ſiue ob alia adiecta illicita, quæ cauere aut remouere debuit. Annon igitur iſto reſpectu & cum Principe, & cum Conſiliarijs Principis de ijs rebus agere nonnunquam poteſt, qui ad conſcientiam Principis dirigendam & moderandam eſt conſtitutus? Hoc autem cum agit, iniuriam ei irrogaueris, ſi illum extra oleas ferri, & ſua ſepta tranſilire dixeris.

Quæ de *monopolio gratiæ apud DEVM & homines*, Grammaticus addit, ſunt palam nota mendacia, & confutata, leguntur in Antanatomia ſect. 3. n. 7. vſque ad 28. Cuius generis & illud eſt, quod ait, *à Ieſuitis pro viris minùs bonis haberi eos, qui apud Franciſcanos, Dominicanos, aut alios peccata confitentur.* Tam abſurdam delirationem non puto vlli, etiam ſomnioſiſsimo Ieſuitarum vnquam veniſſe in mentem. Aut oſtendat Grammaticus aliquem idoneum teſtem, qui de hoc crimine conuincat Ieſuitas.

De monopolio gratiæ iā dictum in Ant-anatomia.

Ipſe potius videat, quomodo ſe calumniatum non eſſe hac in re alijs perſuadeat, cum eodem loco dicat ſolere quoſdam prius monachis *atrociora peccata* confiteri, quàm ad Ieſuitas veniant; ſtipes ſit, qui conſecutionem non intelligat. Sed illum audiamus. *Si quis* (inquit) *crebro Ieſuitis confiteatur (poſtquam ſcilicet atrociora peccata priùs monacho alicui confeſſus eſt) & in audienda miſſa vtroq;*

genu

genu continuò nitatur, pectus etiam fortiuſculè oppugnauerit, ſeu pugno percuſſerit, Sodalitati B. Virginis nomen dederit, pueriles eorum comædias ac fabulas, quamuis pædagogicarum ineptiarum, & præſtigiarum pleniſſimas, plauſu proſequatur, in omnibus denique rebus ſuum eis ſtudium probauerit, hunc continuò pium ac Deo deuotum hominem eſſe, & Principibus accuratè cōmendari, officiiſq; lucroſiſſimis affici oportet: in quibus ſi poſteà vel facinoroſiſſimè ſe gerat, Principes depeculetur, prouinciales ſpoliet, dum tamen Collegio mittat munera, eiſq; ſi qua pecunia commiſſa, ſi qua mulcta pecuniaria impoſita ſit, maturè indicium faciat (ne quis eos ſcilicet in ambienda ea pecunia apud Principes anteuertat) eum tueri nequanquam ſibi religioni ducant; quippe qui Societatem opibus, potentia, Principúmq; gratia florere, minimè gloriæ DEI diſconducere intelligant &c. Hæc ille.

Noua calumnia.

Quos Ieſuitæ Principibus ſoleant commendare.

Reſp. Cum homines (quod olim Momus carpſit) feneſtrâ in pectore careant, per quã, quæ intus latent, conſpici poſsint, neceſſe eſt, vt per exteriora indicia de ijs iudicemus. Si ergò Ieſuitæ Principi, præſertim ſciſcitanti, commendent aliquem vt pium, vt Deo deuotum, qui ea præſtare ſolet, quæ apud omnes Catholicos pro notis piæ mentis habentur, nihil profectò agunt à recta ratione alienum, nec aliquid dignum reprehenſione: quin imò grandi iniuriâ afficerent talem, ſi de eo, qui poſt tot argumenta pietatis

tis ac virtutis, nullius compertus eſt mali, non bene loquerentur. Eſſe autem ſigna virtutis, ac deuoti Deo animi, frequenter Miſſam audire, ſub eâdem duplicato vtróque poplite humi procumbere, pectus pugno tundere, cætum Sodalium B. Virginis adire, crebrò per piacularem confeſsionem conſcientiam purgare, nemo, qui non eſt hoſtis orthodoxæ fidei, negauerit; niſi etiam illum *publicanum* calumniari velit, qui in templo *à longè ſtans nolebat nec oculos in cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum; & deſcendit iuſtificatus in domum ſuam.* Luc. 18. Quod ſi nonnunquam eueniat, vt quis ſimulatione fallaci tam Principem; quàm eum, qui Principi illum commendauit, decipiat; aut concitatam de ſe expectationem nō tueatur, nec ſuſtineat, id humanorum euentuum conſtanti inconſtantiæ, non autem Ieſuitarum malitiæ eſt adſcribendum. Quis enim eſt, qui omnes rerum exitus in poſterum ita prouiderit, vt non aliquando coniectura eum fefellerit? In memoriam redeat Grammaticus, quoties commendauerit quempiam, aut commendatum ab amicis in ſuam pædagogicam familiam admiſerit, qui poſtea in veſtigio virtutis conſtans non permanſit?

Meritò autem inconſideratiſsimæ temeritatis hîc accuſo Aduerſarium, quòd auſus ſit dicere, aliquos priùs *atrociora peccata mo-* Temeritas aduerſarij.

D *nacho,*

nacho, deinde leuiora *Ieſuitis confiteri*. Vnde enim ille hanc rem occultiſsimam nouit? Cum namque nec Monachus ipſe ſit, nec Ieſuita, ſcire nullo modo poteſt, quæ, quantáꝗ peccata alij, ſiue apud Monachos, ſiue apud Ieſuitas in confeſsione ſecreta explicârint. Eſt igitur audacia ſumma huius hominis, qui pro compertiſsimo affirmat, cuius ne minimam quidem habet cognitionem. Qui autem de rebus ſibi ignotiſsimis ita apertè ac ſine pudore mentiri non veretur, annon etiam alia, quæ de *concupitis pecuniarijs mulctis*, de *miſsis ad Collegia muneribus*, de *patrocinio facinoroſiſsimorum ſuſcepto* addidit, malitiosè confinxerit? Profectò præter nudam, omníꝗ teſtimonio deſtitutam aſſeuerationem, nec pilum, nec apicem probationis affert. Quis autem innoxius pronunciabitur, ſi hoc genus accuſationis ſufficere ad condemnandum reum iudicetur?

De Comœdijs.

Quod verò etiam comœdiæ per Ieſuitarum diſcipulos in theatrali conſeſſu ſubinde exhiberi ſolitæ, in oculis Grammatici crux ſunt, nihil miramur, nihil etiam moramur; memores eorum, quæ S. Nilus in ſuo libello Aſcetico ſcripſit: *Homines ex inuidia plerúmꝗ vituperant, etiam quæ honeſta ſunt*. Opto tamen vehementer, ne *Ludio* noſter *Proteus*, qui plurimis annis tot perſonas egit, támꝗ varia genera ludicri celebrauit, comœdiam ſuam tandem in miſerandam fabulam

bulam vertat, néue Tragico fine claudat. Interim Ieſuitis in ſtudio erit, Actiones ſuas Scenicas, non ſolùm ſine ſua aliorúmq; fraude, ſed etiam cum pio emolumento ſpectantium exhibere. De hac re inueniet Lector plura in Ant-anatomia ſect. 9. à n. 26. vſque ad 44.

Quorundam Principum factum laudabile.

Cæterùm laudem aliquam meretur, quod pag. 36. tam ingenuè laudat *Sapientiam quorundam Principum, qui quamuis Ieſuitas ament plurimùm, eos tamen in Collegio ſuo continent, neque pedem in Aulam ponere permittunt, niſi cum vel Confeſſore eis opus, vel alioquin neceſſitas aliqua Ieſuitis ad Principem accedendi imponitur.* Quiſquis Principum id facit, rectiſsimè facit; & hoc ipſum eſt, quod in deſideratiſſimis habet Societas, quæ ad id *Confeſſarios Principum* ſingulari cura, & per peculiarem *Inſtructionem* dirigit, admonet, hortatúrq; *vt in ea ſolùm incumbant, quæ ad Principis conſcientiam pertinent, vel ad illam referuntur:* cuius Inſtructionis partem in Mantiſſa ſect. 2. c. 3. circa finem recitaui. Qui alia mente, alióq; fine ad aulas Principum ex Ieſuitis itare ſolet, aut in illis morari, eum ego neque in numero bonorum Ieſuitarum habendũ, neque in tali officio cenſuerim tolerandum.

Cur porro Grammaticus tam impensè velit Ieſuitas ab Aulis remoueri, has ſubiungit pag. 37. cauſas. 1. *Quia ſint homines de ſchola, pædagogiciq; loci ac iudicij, qui facilè ab-*

Cauſas recéſet Grāmaticus, cur Ieſuitæ ab Aulis ſint remouendi

errent, & alucinentur in dandis conſilijs politicis & œconomicis; Vnde omnis rei malæ geſtæ in ipſos culpa imponi ſoleat. 2. Si etiam nihil eiuſmodi vſuueniret, tamen S. Petri exemplum aularum relinquendarum conſilium ſubijcere debere; qui ſemel modò Aulam ingreſſus ter Chriſtum negauit: Ieſuitas autem ſe plùs S. Petro Chriſtum amare vix videri velle.

Grāmaticus ſibi ipſi repugnat.

Reſp. Etiam pueri in Dialectica ſciunt, indubitatum ſignum falſitatis eſſe, inter ſe pugnantia dicere. Ieſuitas, ait aduerſarius, *eſſe homines de ſchola, pædagogicíq; loci ac Iudicij, facilè aberrare & alucinari in dandis conſilijs politicis & œconomicis.* Idem verò paulo poſt diſertè contrarium dicit, quando pag. 45. ait, *in contrahendis rebus maioris paulò momenti, inq; nuptiarum conciliaturis, nihil felicius, niſi Ieſuitis proxenetis tranſigi. Pontificem Paulum V. in cura rei familiaris* (aut œconomicæ) *ſiue conſtabilienda, ſiue locupletanda Ieſuitarum procuratore vſum eſſe, qui inueniendi argenti technás inſtituere, & difficulates nummarias expedire nouerit.* Item pag. 46. *Ieſuitas quoquè in eorum cenſum venire, qui aurum & argentum vnde vnde, quo iure, quáq; iniuriâ, eruere & cumulare ſciant.* Et pag. 56. *In Societate maioribus officijs præfici, qui ſint firma fronte præditi, minimeq; incallidi, quiq; momenta atq; articulos omnes commoditatis teneant.* Quid ad iſta nares corrugas Grammatice? Cernis, quàm imperitus gladiator ſis? Ieſuitas

peti-

petiſti, teipſum tetigiſti. Turpiſsima hæc eſt Antilogia, quæ te mendacij manifeſtè reuincit. *Qui enim momenta & articulos omnes commoditatis tenent; qui minimè incallidi ſunt; qui difficultates nummarias* tam dextrè *expedire nôrunt; qui aurum & argentum cumulare ſciunt, & in contrahendis rebus maioris momenti tam felices ſunt*, tu illos contemptim *homines de ſchola, pædagogicíq; loci ac iudicij* dixeris? Tu illos ad *danda Conſilia politica & œconomica* ineptos iudicaueris?

Deinde annon & tu aliquando ſcholæ limina adijſti? annon etiam pædagogum egiſti? Fateris enim pag. 48. *te Romæ adoleſcentes ad Ieſuitarum ſcholas deduxiſſe*. Vnde ergo tibi nata eſt tanta ſapientia politica, vt etiam *Pædiam Politices* ſcriberes, ſi illius tam inopes atque inanes ſunt homines pædagogici? Quaſi verò non alijs quoque ſit æquus Iupiter? Non cupio quidem Ieſuitas ob ſcientiam ſeu politicam, ſeu œconomicã commendare, quos magis decet conari, vt cum S. Paulo *ſciant IESVM & hunc crucifixum*, quàm vt ſciant artem comparandi opes, hoc eſt, *volatica ludibria temporum, & lucrum luteum*, vt vocat S. Auguſtinus lib. 5. conf. c. 11. iuuat tamen oſtendere, quàm obtuſa atque inertia tela ſint, quæ in Ieſuitas è tua pharetra contorſiſti.

Grãmaticus faſſus eſt ſe pædagogum fuiſſe. Vnde ergo illi ſcientia politica?

Exemplo S. Petri monentur non ſolùm Ieſuitæ, ſed alij quoque, vt in Aulis Princi-

 pum,

pum, velut in lubrico, circumſpecti ſint, atque cauti, ne cadant; non autem, vt illic nunquam omnino ſint; alioqui nec monachis in monaſterio morari fas erit, cùm & illic aliqui corruerint. In Aula quidem procliuior eſt lapſus, non tamen eſt cum Numinis auxilio, ineuitabilis Stetit erectus Ioannes, vbi cecidit Petrus. Lubeat S Thomam de hoc argumento diſputantem audire, qui in Opuſculo *contra impugnantes religionem* c. 19. iſta ſcripſit. *Nituntur* (inquit) *concludere, quòd Religioſi nullatenus debent in Curijs regum vel principum conuerſari. Sed hoc manifeſtè falſum oſtenditur ex hoc, quod multi ſancti viri cum regibus & principibus commorati ſunt. Ioſeph enim commoratus eſt in Curia Pharaonis, de quo in pſalmo.* 104. *dicitur, Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Moyſes etiam in domo filiæ Pharaonis nutritus eſt, & inſtructus omni ſapientia Aegyptiorum perhibetur, Actor.* 7. *Nathan etiam propheta inter familiares Dauid & Salomonis computatur. Daniel etiam in Curia regis Babylonis conſtitutus eſt Princeps ſuper omnes prouincias Babylonis, & poſtulauit à rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Sidrach, Miſach, & Abdenago. Ipſe autem Daniel erat in foribus regis, Daniel.* 2. *Gloſſa. à regis latere non recedens, honoratus, familiaris. Nehemias etiam Pincerna Regis Perſarum fuit, vt habetur Nehem.* 1. *Mardochæus etiam factus eſt princeps in Curia*

S. Thomas opuſcul. contra impugnantes Religionem.

Quomodo fas ſit religioſis verſari in Aulis Principum.

Curia Aſſueri, Heſter. 8. *In nouo etiam Teſtamento in Regum palatijs aliqui ſancti morati fuiſſe leguntur. Vnde Phil vlt. dicitur, ſalutant vos ſancti, maximè qui de Domo Cæſaris ſunt. Sebaſtianus etiam in Curia Diocletiani inter primos palatij fuiſſe legitur &c. Non eſt ergò illicitũ viris perfectis, viris religioſis in Curijs Regum commorari.* Hæc S. Thomas, quibus ſi quis addiderit, quæ de his in Ant-anatomia ſect. 3. monopolio. 2. ſect. 10. n. 15. & 25. in Anti-Melandro parte. 3. c. 2. obiect. 3. n. 122. diximus videbimus leuiſsimas aranearum telas eſſe, quas obtexuit hîc Aduerſarius.

SECVNDA CVLPA IESVITARVM.

Odium etiam ipſis commouet *(* inquit Grammaticus pag. 38. *) quod palàm eſt, eos nimium ſeipſos amare, nimiſq; precioſos operarios eſſe, qui quidem putent, ſe minùs Eccleſia nauare operam poſſe, ſi non omnibus rerum copijs & commoditatibus affluant; quid autem fiat Monachis, aliiſq;, qui & ipſi prodeſſe publico poſſent, edantnè an eſuriant, parùm penſi ducant; modò ipſis de copioſis fructibus annuis ſatis prouiſum ſit, quibus magnificas palatiorum moles excitare poſsint. Itaq; ſæpè nihil verentur principibus ac proceribus oneri eſſe, magnáſque in ærarijs eorum vel cum integrarum prouinciarum damno maximo, lacunas facere, cùm tamen* Ieſuitas nimio precio conſtare publico.

Veluti Religioſi, & publicæ Vtilitatis ſtudium profeſſi, id vnicè dare operam deberent, vt ſua opera quàm minimo hominibus conſtaret. Summam huius accuſationis in margine addit. *Eos*, id eſt, Ieſuitas, *etiam odioſos reddit, ſua inſatietas, qua non parum principes & prouincias grauant.*

Inuidia magnum precium ſibi fingit, vbi non eſt.

Reſp. Tolle maleuolentiam ac inuidiam, & de inſatietate Ieſuitarum, *omnis iniquitas oppilabit os ſuum*; multóque minora, pauciora, & viliora videbuntur, quæ ſunt in Collegijs noſtris, quàm nunc per vitrum coloratum, multíſq; prauis affectibus malè imbutum nonnullis appareant. Quis frugaliùs vixit? quis ab omni commoditate corporis magis abhorruit? quis auaritiam vehementiùs deteſtatus fuit, quam Seruator noſter? Et tamen liuor fecit, vt Iudæi eum *hominem Voracem, potatorem vini, publicanorum*, hoc eſt, auaritiæ deditorum *amicum*, patronum & fautorem dicerent. Deſinamus ergò mirari, ſi Societatem eodem ſputo & luto aſpergi videamus, quod in illam nitidiſsimam *faciem, in quam deſiderant angeli proſpicere*, improbi ſunt eiaculati.

Quanto autem conſtent hominibus Ieſuitæ, nulla ex re certiùs comperiri poteſt, quàm ex ipſis *Fundationibus Collegiorum*, quibus inſpectis monſtrabitur digito, Ieſuitas neque copijs, neque cõmoditatibus affluere. Quæ enim, obſecro, eſſe poteſt rerum affluentia,

entia, vbi annuatim in ſingula capita (iſtis præſertim calamitoſis in Germania temporibus, quibus ob penuriam omnia veneunt quam plurimo) centum tantummodo floreni, aut ſexaginta *ſcutati* aſsignantur ad victum, veſtitum, cætera omnia neceſſaria cõparanda? Cedo mihi vnum è mille triuialis ſcientiæ magiſtris, qui pueros gratis prima elementa docere, & ſimul tam exiguo ſtipendio libenter velit eſſe contentus? Et tamen ſanctè auſim aſſeuerare, complura eſſe Societatis Collegia, quæ tantundem nec habent, nec habere ex Fundatione poſſunt; proinde niſi maxima illic & induſtria, & parſimonia adhiberetur, inter faſtidioſiſsimos labores fortiſsimè ſocijs quotidie eſſet eſuriendum. Exemplũ, quanto conſtent Ieſuitæ.

Non longiùs abibo. Teſtatiſsima res eſt, & publicè nota, Societati in Academia Dilingana, ſi eam velit in florenti ſtatu conſeruare, & nullam partem prætermittere officij ſui, viginti ſex, aut ſeptem ſociorum bonâ, & confirmata valetudine corporis præditorum numero eſſe opus. Si ergo iam de fructibus annuis in Fundatione aſsignatis (qui ſunt ter mille floreni) decidantur impenſæ faciendæ in templum pro cera, oleo, ornatu ſacrorum; item in ſarta tecta cùm templi, tùm Collegij; deinde in itinera neceſſariò ſuſcipienda, in tabellarios, in Bibliothecam, & medicinas, quibus & valen- Collegium Diliganum.

tium ſanitas conſeruetur, & ægrotantes à morbis è Scholaſticorum laborum contentione prouenientibus liberentur; remanebunt ſingulis pro victu & veſtitu, haud plures, quàm octoginta, & ſæpè vix octoginta floreni; quantum videlicet pecuniæ in *Seminarijs* ſtudioſorum pauperum, Principes & Magiſtratus ſolent attribuere Alumnis ſuis. Quibus tamen ea pecuniola tam caris annis vix ad cibum & potum ſufficit, nedum ad veſtitum, libros, & alios vſus quotidianos. O igitur regificum Ieſuitarum luxum! O effuſam in delicias intemperantiam!

Quæ tamen non ideo commemorare volui, querulis vt vocibus auras impletum irem aduerſus pios, & optimos Fundatores, quibus Societas ſe longè plurima debere libens meritò profitetur, proq; benefactis gratam, & nullo tempore intermorituram memoriam, iuxta & fidiſsimam operam in Catholicæ Eccleſiæ emolumentum ſpondet; ſed vt orbis vniuerſus videat, quantopere fallantur ij, qui clamitant, Ieſuitas in ſumma rerum abundantia viuere, grandiq; precio conſtare publico, quando ex eorum Sodalitate Rectores Academici, Cancellarij, Doctores Theologiæ & Philoſophiæ, non precioſiùs aluntur, quàm egentiores adoleſcentes ſolent, qui in ſcholis Grammaticæ verba Latina formare, aut in Dialectica figurare Syllogiſmos adhuc diſcunt.

Quod

Quod ſi ergo nonnunquam eueniat, vt Ieſuitæ in talibus Collegijs, ſiue ob ædificiorum ruinam (quid enim ſub ſole eſt ab omni corruptione liberum?) ſiue ob aliquem alium infortunatum grauiorem caſum, ad Fundatores, alióſq; Patronos, cogantur auxilij flagitandi causâ recurrere, nemo, niſi inuidus aut inſanus dixerit, Ieſuitas vltra, quàm par eſt, Principibus ac proceribus eſſe oneri, magnáſq; in ærarijs prouinciarum lacunas facere, præſertim cum Principibus minimè ſit difficile, eos à genibus ſuis repellere, & poſtulata eorum, ſi aut non neceſſaria, aut Prouinciæ eſſe noxia iudicauerint, denegare.

Non eo inficias, quædam Collegia in Germania habere in ſingula capita etiam plus, quam centum aut ſeſquicentum florenos; huius tamen generis non plurima numeraueris; & plerumq; in illis aluntur ſupra deſignatum numerum, vel aliqui ſenio & morbis confecti, ne tenuioribus Collegijs ſint graues; vel aliqui iuuenes, vt ſtudiorum curricula abſoluere, & decedentibus alijs in laborando poſsint ſuccedere. Quis autem ideo iure exiſtimet Ieſuitas in magna vbertate ac copia rerum viuere? cùm neque in iſtis locis vtantur lautiore victu, precioſiore veſtitu, aut habitatione commodiore.

Quomodo aliqua Collegia plus habeant.

At *Ieſuitæ parum penſi ducunt, quid fiat Monachis, aliiſque, qui & ipſi prodeſſe publico poſſent, edantne an eſuriant.* Reſp.

Grãmaticus operâ Ieſuitarum adiutus.

Reſp. 1. Ipſe Grammaticus haud abnuet, ſe eſſe in eorum cenſu, *qui prodeſſe poſſunt publico*; & tamen meminerit ſine dubio, quàm fuerint pro ipſo ſoliciti Ieſuitæ Dilingani, ne eſuriret Ratisbonę anno 1630. cum ad ea Comitia iturus Dilingæ ad hoſpitem non illaudatum diuertiſſet; de quo ipſius Illuſtriſ. Principis Auguſtani teſtimonium non grauatè obtinebit, ſi requiſierit.

2. Demonſtret, vbi gentium Ieſuitæ Monachis eſuritionis cauſa fuerint, iiſque vel religioſę charitatis officia negauerint, quando ea neceſsitas, atque occaſio data poſtulauit; vel auxilia commendatitia apud Principes & alios non præſtiterint, quando ſpes fuit in rem ipſorum aliquid adijciendi? Teſtabuntur libenter *Reformati* Patres *Franciſcani*, & Carmelitæ, vt & Patres *Capuccini*, quoties defenderim apud ſum̃os viros cauſam ipſorum, fide integrâ, ſtudio feruenti, curâ ſedulâ, euentu felici, ſiue de exſtruendo pro ipſis nouo Monaſterio, ſiuę de alio in ipſos conferendo beneficio ageretur: neque mihi ignotum eſt, idem ab alijs Societatis Patribus eſſe alibi perquam ſtrenuè & ſæpiſſimè factitatum.

P. Iulius Priſcianenſis Monaſteriorum Sueuiæ

3. Si de Monachis *Ordinum non mendicantium* loquatur, quis in Sueuia ignorat, quantam diligentiam, induſtriam, vigilantiam, laborem antehac per plurimos annos P. Iulius Priſcianenſis Dilinganæ Academiæ Re-

ctor,

ctor, & ſubinde Cancellarius, ac poſt illum alij Patres Societatis adhibuerint, vt Prælatos præcipuorum cœnobiorum, non ſolùm ad accuratiſsimè formandam ex *Regula* diſciplinam, ſed etiam ad rectiùs atque vtiliùs inſtituendam œconomiam inducerent? ſic enim fore exiſtimarunt, vt plures Religioſos ad diuinum cultum alere, & egeſtate oppreſſis liberaliùs ſubuenire, & Eccleſiam tot vndique calamitátibus laborantem, maioribus poſſent ſubſidijs fulcire. Hoccine eſt *nihil penſi ducere, quid Monachis fiat?* Illis autem, quę dixi, teſtimonium perhibebunt libenter nō ſolum plurimi ex antiquioribus Religioſis & Prælatis, qui P. Iulium Priſcianenſem *Præceptorem*, & *Reformatorem* ſuorum Monaſteriorum laudare ſolent, ſed etiam Auctor Hiſtoriæ, ſeu Vitæ Wilhelmi Rothenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, de quo inferius plura. quaſi Apoſtolus.

De Ieſuitarum palatijs, ad rauim vſque vociferetur Grammaticus ſi lubet; nemo illi credet, qui ipſa conclauia, ſeu cubicula Ieſuitarum aliquando intùs perluſtrauerit; in quibus neque pauimenta teſſellata, neque picta laquearia, neque aulæa Babylonica, neque veſtes Attalicæ, neque lecti eburnei, neque vaſa Corinthia, neque alia precioſa cernuntur, qualia in Magnatum Palatijs oculos titillant; ſed menſa lignea, pluteus ex rudi aſſere, libri neceſſarij, & cuiuſque officio conuenientes, lectus vilis, ſcabellum quo nitimur De Ieſuitarum palatijs.

mur inter precandum, ſedile, candelabrum, hydria, vaſculum & ad atramentum, & ad *aquam benedictam* capiendam, denique crucifixi, & vnius atque alterius ſancti, vulgaris imago. Extra hæc vix ſcarabæi vmbram inuenies: quæ curta ſupellex ſi tibi palatia magnifica repræſentat, non prohibebo, quo minùs etiam togam Ieſuiticam appelles deinceps regiam purpuram. De hac re videre poterit lector, ſi lubeat, plura in parte 3. Alfonſi Rodriquezij Tract. 3. c. 7. & in Commentarijs Aſceticis Iulij Nigroni in Regulam 7. communem, num. 18.

Cur aliquando exterior ſpecies Collegiorum ſit ſpectabilior.

Si fortè alicubi exterior ſpecies alicuius Collegij magis vulget, quàm liuor tuus poſſit ſine obliquatione luminis obtueri, quid faciendum nobis eſt? omnia ſolo æquanda? Quieſce mi homo, & noli dubitare, quin Ieſuitæ ſemper malint ædificia ad diuturnitatẽ valida, quàm ad ſplendorem concinna: plures tamen ſunt cauſæ, ob quas nonnunquam exterior ſtructura fieri poteſt elegantior 1. Quia ſic placet Fundatoribus, qui nolunt ſua dignitate indignum poſt ſe relinquere monumentum. Hos, vt meritò reuereri debemus, ita non poſſumus cogere, vt ſui ipſius non aliquam quoque habeant rationem. Quis enim ſuum nomen, non potius velit marmori inſcriptum, quàm ligno à vermibus non multò poſt corrodendo? 2. Extruuntur nonnunquam collegia in aliqua parte ciui-

ciuitatis valde conſpicua; cupiunt autem tunc, non ſine ratione, Principes ac Magiſtratus, vt talia ædificia ſint vrbibus ornamento, non ſint dehoneſtamento. 3. Quia fundatores non tam Societati, quàm Deo ædificant Collegia & Templa; ideo putant non eſſe immoderatam liberalitatem, quæ etiam profuſa videtur, cum nihil non debeant Deo. 4. Quia peculiare eſt Societati, præter habitationem & templum, habere etiam Gymnaſia, quæ ob diſcipulorum multitudinem, Claſsium varietatem, quotidianam frequentiam, non modò capaciora, ſed etiam robuſtiora, & ſpectabiliora eſſe decet. Cum enim & honeſtatis, & ſanitatis, & litterariarũ exercitationum ratio poſtulet, vt ſcholæ non ſint tetræ, horridæ, anguſtæ, & textrinarum inſtar tenebroſæ, ſed amplæ ac lucidæ, fieri non poteſt, quin ſi obſeruetur ſecundum leges architecturæ artificioſa partium diſpoſitio, elegans aliquo modo ædificium conſurgat; vnde non modica ædibus noſtris adiungitur acceſsio, & nonnulla etiam externa amplitudo; propter quã Collegia ſæpe videntur multò laxiora, & ſplendidiora, quàm re ipſa ſint.

Iniquiſsimum autem eſſet, ſi id Societati odium commoueret apud homines, quod cauſa amoris eſſe debuiſſet. Cuius enim eſt vtilitas, quæ ex Gymnaſijs percipitur? Nonne prouinciæ? Gymnaſia profectò ſunt publica

Non eſt æquum vt Societati obſit, quod

debet prodeſſe. blica Muſarum domicilia, virtutis ſacraria, ſapientiæ templa, in quibus educatur nobilitatis flos, alitur ſpes patriæ, erudiuntur ciuium pignora, imbuuntur Græcis Latiníſq; litteris, magnatum liberi, informantur optimis moribus, inſtituuntur auitæ religionis præceptis, vt ſuo tempore inde Eccleſiarum præſules populorum præſides, animarum curatores, ad omnia ferè officiorum genera idonei miniſtri prodire poſſint. Ieſuitis verò, qui gratis & ſine mercede docent, quid relinquitur, niſi grauis regendæ juuentutis cura? aſsiduus labor? fatigatio continua? quotidianus clamor? ſcholaſtici pulueres? & poſt hæc omnia, ſæpè apud nonnullos animus vehementiſsimè ingratus?

Hæc ſi rectè expendantur animo, prudentem puto fore neminem, qui non mitiùs de Ieſuitarum Collegijs ſentiat, quam Grammaticus noſter; præſertim ſi etiam cogitet, quàm ſæpè ſub eodem tecto quinquageni, octogeni, & plures ſocij habitent; nimis autem durus alienæ habitationis arbiter fuerit, qui viros religioſos, publicam ſcientiarum traditionem profeſſos, inter diurna nocturnáq; ſtudia atque innumeras moleſtias, in caliginoſas cellas, & arcta atque vento imperuia ergaſtula, quibus nec ſartores ſe patiuntur includi, velit cõpingere. Certè quod deeſt nõnunquam ædificiorum latitudini (vt ſolet in ciuitatibus) altitudine compen-

ſan-

ſandum, ac neceſsitati, non magnificentiæ, deputandum eſt.

Quo ſcuto etiam Ordinem ſuum defendit S. Bonauentura q. 6. in regulam S. Franciſci, aduerſus eos, qui ſciſcitabantur; *Quid eſt, quod vos altas & magnas domos erigitis, & oratoria ſumptuoſa, & latas areas, magno precio comparatis, cum ſitis pauperes & mendici, & contemptores mundanorum eſſe debeatis?* Reſpondit. *Quia verò intra ambitum ciuitatis, vt dictum eſt, cariores ſunt areæ, quod non poſſemus facilè ſufficientiam congruæ latitudinis habere, vt omnes officinæ deorſum collocarentur, iuxta ſe inuicem, oportet aliquando, vt vna ſuper alteram locetur, ita quòd vtraq; aëris reſpiraculo nō careat, & ex hoc Domus noſtræ magnæ apparent, & excelſæ ac ſumptuoſæ, & paupertati diſsimiles, cum tamen hoc paupertas magis efficiat; quia ne circa dilatemur, inferiùs anguſtamur; & quia circumſepti ſumus domibus aliorum vicinorum, & quia in ciuitate ſæpè inſurgunt incendia latè peruagantia, ne vel domus, vel Eccleſia, vel libri, vel alia neceſſaria frequenti diſcrimini ſint expoſita, & in continuo tremore infirmantium corda ſint inde ſuſpenſa, & ne ipſi vicini noſtri à nobis per incendia moleſtentur, vbi poſſumus, facimus domos lapideas, vt nec igne, nec vetuſtate citiùs deſtruantur; quia non ſolùm corporibus, ſed etiam cordibus magna eſt deſtructio, noua ſæpiùs ædificia conſtruere, maximè illis, qui non habent ſumptus, niſi quantum valent collige-*

S. Bonauentura eodem telo ſui Ordinis hoſtes repulit.

re mendicitate. Hæc S. Bonauentura; qui clariſsimè oſtendit, quomodo ſubinde cogatur religioſa paupertas compendium in altitudine quærere, quando latitudine deficitur. Societati autem non rarò vſuuenit, vt, quia per gymnaſia & templa maxima pars fundi atque areæ habitationi extruendæ adimitur, debeat deinde eò altiùs educere fabricam Collegij, quò anguſtiori ſpacio coarctatur. Ex quo ipſo integra & ſincera mens Societatis magis perſpicitur, quæ boni publici cauſa (nam illis vſibus tantùm ſeruiunt Gymnaſia & templa noſtra) priuata ſua domicilia cum ſuo maximo incommodo arctioribus terminis circumſcribit.

Admonitio S. Bonauenturæ.

Non eſt autem mihi prætereunda moniunciula S. Bonauenturæ, quæ eodem loco additur. *Non tamen intendo* (inquit) *in his excuſare, niſi, quæ valde neceſſaria ſunt, & rationabiliter. Vbi autem ſuperfluitas, curioſitas, & irreligioſitas, & regulæ, & paupertati noſtræ derogantes eſſent ſtructuræ; reprehendo tecum, & omnia alia, quæ Deo diſplicent, tàm in moribus, quàm in rebus.* Nam reuera non decet, *vt illi, qui renuntiarunt pompis ſæculi, & in paupertate, ac humilitate vera promiſerunt Domino famulari, ſuperflua in ædificijs procurent; proximos ſcandalizent, inquietudine fratrum, propter talia ædificia, ſpiritum ac deuotionem extinguant; alijs pauperibus eleemoſynas præripiant & apud alios odium ſibi concilient &c.* Quæ ſalu-

ſaluberrima ſanctiſsimi viri monita nemo etiam Ieſuitarum reſpuet, niſi qui religioſos errare non poſſe exiſtimat, ac ſe hominem eſſe ignorat.

Pergit porro Grammaticus, & pag 40. & 41. de miraculis litem mouet Ieſuitis; *Itaque Deus* (inquit) *minùs etiam conatibus eorum benedicit, neq; miraculorum gratiam, item vt alijs religioſis Ordinibus, largitur. Sunt enim modicæ fidei, manúſque oculatas habent, nec ferè credunt, niſi quod vident. Sic enim affectos dicit Chriſtus eos, qui parùm in fide firmi ſunt. Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt, &c. Magnoperè quidem ipſi animis anguntur, quod miraculorum dono multò cæteris religioſis inferiores inueniantur, & quotieſcunq; caſu aliquid rari ab ipſis patratur, continuò miraculum clamant. Sed nondum adhuc Deus vlli ex Societate tãtum largitus eſt, vt eius conſecrandi, & Diuis adſcribendi ſeu canonizandi ſatis iuſtas ſe cauſas Eccleſia habere crederet; non quidem quod Societatis inſtitutum non æquè ſanctum aut Eccleſiæ fructuoſum ſit, quàm Franciſcanorum, Dominicanorum, ac ſimilium. Sed quia Ieſuitis occaſionem ſuperbiæ naſci non vult.* Obiectio. Ieſuitas non claruiſſe miraculis.

Reſp. *Regi ſæculorum ſit gloria*, qui tam prouidè cauet, ne nobis *naſcatur ſuperbiæ occaſio*; ideo tantùm abeſt, vt dicendus ſit *conatibus Societatis benedicere*, vt potiùs illam per huiuſmodi cautelam ſingulari, eóque miraculis Prouidẽtia diuina laudatur.

longè anteferendo beneficio afficiat; cum multò pluris ſit in oculis Dei verè *humilis* ſine miraculis, quàm ingentium patrator miraculorum, ſine humilitate. Poſſum enim, vti reor, abſq; Apoſtoli iniuria, verba illius (1. ad Corinth. 13.) in hunc modum vſurpare: *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, humilitatem *autem non habeam, factus ſum velut as ſonans, aut cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*, humilitatem *autem non habuero, nihil ſum.* Tantò igitur Societati melius eſt conſeruari ſine miraculis in ea virtute, quæ Deo tãtopere placet, quantò verius eſt, quod per prophetam dicitur: DEVS *humilia reſpicit in cœlo & in terra.*

Reſponſio de miraculis.

Libenter fatemur, antiquorum Ordinum eximium eſſe fulgorem, etiam *à miraculis*, quibus Ordinibus Societas lubens meritò cedit, quia junior eſt. Nondum tamen *abbreuiata, neq; paruula facta eſt manus Domini:* quæ etiam per hos ſeruulos ſuos poteſt mira efficere, ſi voluerit: ſi autem non voluerit, quid culpæ habet Societas? *Spiritus enim vbi vult ſpirat; & donum miraculorum* eſt *gratia gratis data,* quæ plurimis etiam Sanctis non obtingit. Si quis tamen hac gratiâ à DEO non donetur, nullo modo eſt conſequens, DEO illius ſtudium, & labores non probari; nec eſt indubitatum indicium, maioris eum eſſe ſancti-

ſtimoniæ, qui pluribus aut maioribus miraculis cæteros antecellit. Nam S. Petri vmbra ægris ſaluti fuit; de vmbra Chriſti Seruatoris N. Sacri Libri hoc non teſtificantur. Gregorius Thaumaturgus mõtem loco ſuo mouit. Quis Apoſtolorum hoc præſtitit? *Stephanus* dicitur feciſſe *ſigna & prodigia magna in populo.* Actor. 6. & tamen nec de Beatiſsima Virgine Deipara, nec de Ioanne Baptiſta inuenies tale elogium in *diuina ſcriptura.*

Adhæc quomodo planum & exploratum facies, Societatem hucuſq; nullis de cœlo donatam fuiſſe miraculis, nullúmque habere, quem Eccleſia publico Sancti honore dignata fuerit? Acta enim publica *Canonizationis* S.S. Ignatij & Xauerij, hoc eſt *Relatio facta de ijſdem in Conſiſtorio ſecreto coram S.D.N. Gregorio XV.* à Franciſco Maria Epiſcopo Portuenſi S.R.E. Card. à monte, die 19. Ian. 1622. longè nobis aliud demonſtrant; & te opinione tua vehementer falſum eſſe oſtendunt: *DEVM* ais, *nulli adhuc è Societate tantum largitum eſſe, vt eius canonizandi ſatis iuſtas ſe cauſas habere crederet.* Erraſti, mi homo; inuidia ac odium in Societatem tibi lumina ad videndam veritatem excuſsit. Iam credidit hoc Eccleſia, & adhuc credit, obmuginante licet te in angulo, & oblatrante. Sed canum latratus non feriunt cœlum. Simile quid obiecerunt olim ſanctiſsimo Carthuſianorũ Ordini illius Aduerſarij; ſed innocentiæ egregiè pa- tro-

Ioannes Gerſon defendit Carthu-

ſianos in ſimili criminatione. trocinatus eſt Pariſienſis Cancellarius Ioannes Gerſon in 2. parte operum, opuſc. 39. cuius hæc eſt inſcriptio, *Contra impugnantes Ordinem Carthuſianorum, quoniam pauca in eis reperiantur miracula, quaſi exinde viliores cenſendi ſint.* In hoc opuſculo inter alia hæc leguntur: *Quod autem ſimiliter dicitur, quod nec habeant Canonizatum niſi vnum, ſcil. S. Hugonem Linconienſem Epiſcopum; Reſp. Credendum eſt in infinitum plures mortuos ſanctos, & quotidie mori, quam hi ſint, qui canonizati ſunt. Neque enim antiquitus canonizabātur, ſed ex certiſſima vitæ ſanctitate colebantur: vt B. Maria Magdalena: Ioannes Baptiſta, Apoſtoli, cæteríque plurimi, &c.*

Societas certè non inuidet vllam ſeu miraculorum, ſeu ſanctitatis palmam alijs Ordinibus. Gratiâ Dei ſumus omnes, quod ſumus. Ille enim eſt, *qui dat alij quinque talenta, alij duo, alij verò vnum.* Matth. 25. Si ergò tuo judicio Societas vnum tantummodo talentum accepit, *ſit benedictus DEVS; à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum deſcendens à patre luminum.* Modò igitur *non abſcondamus in terra pecuniam Domini,* mercedem vnius talenti citra dubitationem recipiemus: quibus in omnibus abundantiſsimè ſufficit ſanctiſsima, & iuſtiſsima Dei voluntas. *Nihil* (enim) *amatorem tuum* (inquit Kempenſis Doctor lib. 3. de Imit. Chriſti c. 24.) *& cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, ſicut*

aut voluntas tua in eo; & beneplacitum æterna diſpoſitionis tuæ; de qua tantum contentari debet & conſolari; vt ita libenter velit eſſe minimus, ſicut aliquis optaret eſſe maximus; & ita pacificus & contentus in nouiſsimo, ſicut in loco primo; atque ita libenter deſpicabilis, & abiectus, nullius quoque nominis & famæ, ſicut cæteris honorabilior & maior in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui omnia excedere debet, & plùs eum conſolari, magíſque ei placere, quàm omnia beneficia ſibi data vel danda.

Scire tamen ex te aueo, mi Grammatice, vnde tibi certum ſit, Ieſuitas animis angi, quod miraculorum dono cæteris ſint inferiores? Quid enim animos aliorum cruciet, cum ea ſit res abſtruſiſsima, tu compertum habere non potes, niſi per indicium aliquod tibi fuerit enunciatum. Quis autem Ieſuitarum hos angores mentis ſuæ tibi in Confeſſione aperuit? quis verbulo, ſcripto, aut alio ſigno patefecit? Vides, quàm iterum validè te ipſum ſaucies? quàm nihil contra nos ſolidi proferas? quàm temerè ea, quæ neſcis, effundas? quàm inconſideratè alienarum cogitationum ſcientiam, quæ ſolius Dei eſt, tibi arroges? Hoc profectò eſt, *os in cælum ponere* & in Dei tribunal pennis nimis audacibus inuolare. Adhæc ſi per Societatem tanquam per inſtrumentum Dei ea miracula fiunt, quę pluris æſtimanda ſunt, quàm multa alia ab alijs Ordinibus patrata, quis iuſtè Aut reſponde, aut obmuteſce.

poſsit illam in hac re carpere? ſic enim ſcribit eod. opuſculo Ioannes Gerſon, poſtquã plurima recenſuit antiqua miracula: *Hæc autem antiqua miracula*, inquit, *quotidie in myſterio renouantur in Eccleſia, quæ etiam tanto maiora ſunt, quanto non corporalia, ſed ſpiritualia. Primò maius eſt iuſtificare impiũ, quàm creare cœlum & terram, vt dicit Auguſtinus. Item quotidie per Dei gratiam ex nihilo, ſcil. peccatoribus fiunt Angeli, & ex terreſtribus fiunt cæleſtes.* &c. Cum ergo notiſsimum ſit, Societatis opera ac interuentu à DEO plurimos iuſtificari impios, & ex malis effici bonos, non poteſt illi meritò exprobari inopia miraculorum. Concludo cum cæleſti Magiſtro, Luc. 10. qui Apoſtolis gloriantibus, etiam Dæmonia ſibi ſubijci, reſpondit n. 18. 19. 20. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem; Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur; gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.*

TERTIA CVLPA IESVITARVM.

Obiectũ. De Ieſuitarum faſtu.

ODium quoq; Societati parit (inquit Grammaticus pag. 44.) *intolerabilis quorundam Ieſuitarum typhus ſiue faſtus, cùm quia Societas*

cietas multos excellenti doctrina præditos viros habuit, continuò ſe quoque pro talibus haberi poſtulant, quaſi magnificè ſe circumſpiciant, & conclament; Nos poma natamus. Itaque neminem iam pro oratore, poëta, philoſopho ac Theologo haberi volunt, niſi vel Ieſuita ſit, vel certè Societatis diſcipulus fuerit. Omni iuga deniq; ſapientiæ officinam, imò monopolium inſtituunt, neminiq; vel minimæ doctrinæ opinionem, niſi eam, Ieſuitis acceptam referat, relinquunt; eáq; ſcientiæ perſuaſione inflati doctiſſimo cuiq; ſuperciliosè imperare, eorum ſcripta non aliter, quàm claſſicorum ſuorum compoſitiones cenſura ſua vẽdicare, tyrannidem deniq; in litteris exercere audent.

Reſpond. Etiam hæc accuſatio non eſt, niſi ex maleuolentiæ fonte hauſta ſuſpicio, cuius omnia capita tam facilè à me negantur, quàm temerè abs te affirmantur. Cum enim tu *Accuſatoris* partes in te ſuſceperis, iure tibi occino, *Proba.* Quî autem poteris? Nam quales Ieſuitæ ſe haberi poſtulent, quóue loco in animo alios ducant, tanto minùs tibi explorata res eſt, quanto eſt occultior: neque vllus Ieſuitarum tibi aperuit ſcrinia pectoris ſui, vt cerneres, quid ille de ſe ipſo, & quid de alijs iudicaret. Neque ex Ieſuitarum editis libris aliud extundes, quàm illos modeſtè de ſe, de alijs verò honorificè ſcribere, & loqui. Cuius rei teſtem te ipſum contra te in Ant-anatomia ſect. 3. Monopolio 6.

Scioppij teſtimonium.

& 7.produxi. Agnoſcis,opinor,verba tua in Hypobolimæo Scaligero pag. 247. *Hoc certè toto illo tempore quo Catholicis ſum aggregatus, in Patribus Societatis illius animaduerti, quòd quò quisque eſt doctior, & vſu rerum inſtructior, eò ſit melior & humanior.* Quidquid ergò in hoc genere nunc iterum, iterúmq; obgannias, tuopte calamo conuinceris falſitatis. Vt liuorem in eo, qui candidiſsimus eſt, imaginatur liuidus oculus, ita ſuperbos alios cenſet, qui eſt ipſe ſuperbus. Qualem Apoſtolus monet: *In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas? eadem enim agis, qua iudicas.* ad Rom. 2. v. 1. Vide ergo, dum alijs ſuperbiæ crimen tam inconſultè imponis, annon tibi illud inhærere iuſtiſsimè credamus? Quid? Ieſuitæ tyrannidem in litteras exerceant? Superi hoc auertant. Si honeſti ſanguinis gutta tibi ineſt, oſtende ſcriptum, demonſtra factum, exprime vocem, produc teſtes, deſigna locum, adnumera tempus, quo Ieſuitæ impotentem hanc dominationem in litteras vel affectauerint, vel captauerint: Quid tibubas? Cur non nominas Theologos, Philoſophos, oratores, poëtas, quorum laudibus obſtrepere, quorum ſtudijs impedimentum inferre, quorum ſcripta cenſuræ ſuæ ſubijcere tentauerunt? Vbi gentium eſt illud monopolium ſapientiæ? vbi illa officina doctrinæ, in qua doctiſsimo cuique ſuperciliosè imperant?

An Ieſuitæ tyrannidem in litteras exerceant?

in qua

in qua excellentibus viris manus inijciunt, ne lucubrationes Reip. vtiles euulgent, ſuiq; nominis gloriam æternitati conſecrent? profectò hoc neminem noſtrum docet Societas, cuius ardens eſt votum, vt floreant, vigeant, triumphent, quibuscunq; eſt & cupiditas, & facultas promouendi bonas & caſtas litteras; tantũmq; abeſt, vt Ieſuitas ſint experturi aduerſarios, vt potius ſint habituri eos ſemper promptiſsimos adiutores. Laudamus, veneramur, ſuſpicimus omnes, quotquot in quocunque genere litterarum aliquam præſtantiam ſunt conſecuti; etſi nec Ieſuitæ fuerint, nec Ieſuitarum diſcipuli. Documento ſunt M. Antonij Mureti Epiſtolæ, Orationes, Poëmata, cómmentationes in Ariſtotelis Ethica; quæ omnia Ieſuitæ diligentiſsimè conquiſierunt, & ad nunquam intermorituram memoriam illius eruditiſsimi atque elegantiſsimi Scriptoris, deſcripta typis per vniuerſam Europam diſſeminarunt, diſcipulisq; ſuis impensè toto orbe commendarunt. Nec minùs laboratum eſt ab ijſdem, vt Philippi Menzelij Medici Ingolſtadienſis *Carmina*, vno volumine comprehenſa, in lucem emitterentur. Quantum verò operæ contulerit Iacobus Gretſerus, vt *Tomi Antiquarum Lectionum Henrici Caniſij* ad prælum librarium expedirentur, minimè obſcurè ferre aut diſsimulare ſolitus eſt ipſemet Caniſius, de quo di-

Iacobi Gretſeri laus.

cere teſtimonium Ingolſtadienſes Typographi, aliiq́ poſſunt. Quid de alijs viris eruditis dicam? quorum vix vllus fuit in Germania Orthodoxæ noſtræ Fidei addictus, in cuius amicitiam idem Gretſerus non fuerit adſcriptus, quibus omnibus ad varia opera lucubranda author, ſuaſor, impulſor, hortatórq; fuit: ad quam rem ſæpenumero offerebat auxilium, ſuggerebat conſilium, ſuppeditabat argumentum, nihil denique omittebat eorum, quæ ad augenda concelebrandáq; diſciplinarum ſtudia, tam Græca, quàm Latina, potuerunt aliquid adferre vtilitatis: Et quod fecit Gretſerus in ſuperiore Germania, idem fecit Andreas Schottus, ac M. Anton. Delrius in Belgio, Fronto Ducæus in Gallia, alij alijs in regnis per quàm ſtudioſè. Neque tacendus eſt hîc Antonius Poſſeuinus, qui in ſua *Bibliotheca* & *Apparatu ſacro* hoc vnum egit laborioſiſsimè, vt nemo bonorum authorum ſiue veterum, ſiue recentium, ignorabilis atque obſcurus permaneret; ſed cum præclara laudatione vnicuiq; locus appoſitus in Litteratorum choro attribueretur. Inſaniat autem, qui dicat, Ieſuitas doctiſsimo cuiq; ſuperciliosè imperare, ac Tyrannidem in litteras exercere, quando doctiſsimi cuiuſq; nomen propagare ad poſteros, & à longâ obliuione vindicare tam vigili cura, támque ſolicito labore ſtudent.

Abſque Ieſuitis fuiſſet, ipſe Grammaticus, (vt optimè nouit) multis defenſionis, & commendationis adminiculis apud Magnates perſæpe caruiſſet. Quare iniquiſsimè conqueritur à Ieſuitis viros doctos ſuperbè deprimi, ac ne emergere queant, impediri.

Longiſsimè hunc faſtum à nobis iubent abeſſe noſtræ *Conſtitutiones & Regulæ*, quæ vnicuique noſtrûm deſpicientiam & contemptum ſui, maximâ diligentiâ ſæpiùs ita inculcant, tanquàm in hac vna re incolumitas Societatis conſiſtat; quemadmodum reuera conſiſtit; ſicut enim corruere domum neceſſe eſt, ſi baſin, quâ nititur, fundamentum, quo ſuſtentatur, deſtruas, & conuellas; ita fieri non poteſt, vt vllus *Religioſus Ordo* ſaluus & integer conſeruetur ſine *Humilitate*; quæ à S. Cypriano meritò *ſanctitatis fundamentum*, à S. Hieronymo *prima Chriſtianorum virtus*, à S. Gregorio *magiſtra, parens, radix, & origo omnium virtutum* dicitur. Tantò igitur ſtudioſiùs curam huius rei gerere Societatem oportet, quantò impenſiùs conſeruationem ſui amat: Cum enim non ſolùm ob ingentem officiorum varietatem, ſed etiam ob magnam Collegiorum inter ſe diſtantiam, aliáſque grauiſsimas cauſas, neceſſe ſit, omnes ſocios ad obediendum eſſe perquàm celeres, & expeditos, licet illis ardua atque difficilia imperentur, cuiuſmodi ſunt, ſi repentè in longinquas & horridas terras ire iube-

Quantopere humilitas Ieſuitis per Regulas cõmendetur.

S. Cypr. ſerm. de Nat. Chriſti.

S. Hieron. Epiſt. ad Euſtachium.

S. Greg. lib. 23. moral. c. 13. & l. 27. c. vlt.

à præpoſito ſuo in Angliam proficiſci iubeatur, eum ex voto, quo ſe ad parendum obſtrinxit, ac velut ſacramento dicto auctorauit, confeſtim illuc ad paratam ſibi necem, mortémq; perſpicuam abiturum. Si autem obedientia tanto in precio & viu eſt apud Ieſuitas, abeſſe non poteſt, quin *Humilitatis* ſtudio ijdem exerceantur aſsiduè; quandoquidem hæ duæ virtutes peculiari, eóque indiſsolubili vinculo ſunt inter ſe connexæ. Quomodo igitur Ieſuitæ tam intolerabili atq; damnoſa tumeāt ſuperbia, vt præſtantiam ſibi ſolis tribuere, alióſque omnes infra ſe deſpectare velint?

Noli credere, mi lector, ad tantam fatuitatem redactos eſſe Ieſuitas, vt nunc tam vili aranearum texto ſuperbire velint, qui Deo factâ ſponſione voti, fulgentem etiam purpuram contempſerunt. Hęc enim eſt formula, quâ *profeſſi* noſtri omnem ambitum honoris tam intra, quàm extra Societatem cōceptis verbis eiurare ſolent. *Præterea promitto nunquam me acturum, vel prætenſurum, ne indirectè quidem, vt in aliquam prælationem vel dignitatem eligar, vel promouear. Promitto præterea nunquam me curaturum prætenſurúmue extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem, nec conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit, niſi coactum obedientiâ eius, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati,* Annon iuſtis nos ſannis rideret diabolus, ſi poſt tam ſeriam, tam ſeueram, tam conſtantem maxi-

Profeſſi Societatis voto ſe obligant, non admiſſuros ſe honores.

mo-

morum honorum renunciationem, ad iſtas pupas atque crepundia iam adhæreſcere, & vanæ gloriolæ auram, atque eminentiæ fumum è Grammaticis, Philoſophicis, Theologicis doctrinis ſtolidè captare, noſtrorúmque laborum fructum cum tam exiguo viliqne præmio commutare, peſsimo quæſtu, contenderemus?

Doceant itaque Theologiam, Philoſophiam, amæniores litteras, quibuſcunque volupe eſt; ſcribant volumina quantumuis magna, quantumuis multa, euulgéntque per orbem; ſcholas aperiant, erudiant iuuentutem, bono publico ſuis lucubrationibus ſeruiant, & in malam maximam rem abire iubeatur, quiſquis cuiquam in hoc officio eſt moleſtiæ, aut impedimento. Gaudebit profectò Societas, laudabítque benigniſsimam diuinæ prouidentiæ liberalitatem, quæ ſua dona pluribus impertitur, & tam egregios, atque præſtantes laboris nobis adiungit ſocios, qui Eccleſiæ ornamento cupiant eſſe, & emolumento. Si enim Chriſtum toto animi affectu diligimus, ſiue per nos, ſiue per alios, quod expedit, fiat, ſine inuidia nobis eſt lætandum, ſanctiſsimi Moyſis exemplo, *Numerorum* 11. qui à Ioſue certior factus de *duobus viris* (Eldad & Medad) *in caſtris prophetantibus*, atque rogatus, vt eis ſilentium imponeret, reſpondit, *Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus*

nus ſpiritum ſuum? Ita nemo dubitet, quin Societas etiam atque etiam optet,atque deſideret, vt omnes viri docti bonas litteras tradant, ſcientijs quàm latiſsimè propagandis ſe impendant, ingeniique ſui monumenta ſtatuant ſempiterna. Nemini cupimus gloriam in terris præripere; qui pro gloria cœleſti laboramus; ſi nonnunquam labimur, homines ſumus: ſi quis nos vincit, gratulamur publicæ vtilitati.neque turpe ducimus, ſi, cùm alios ad currendum incitauerimus, à nonnullis curſu anteuertamur. Ex optima mente conatus noſter prodijt; qui ſi laude eſt indignus, ſaltem his contumelijs, & hoc odio, quod in nos concitare vult Grammaticus, non eſt dignus.

Sed pergit aduerſarius pag. 44. & ait: *Quid quòd principum fauore ad patrocinandum ſceleratiſſimo cuiq;, ſæpe non ob aliam cauſam abutuntur, niſi vt ſuam potentiam oſtentent? vt nimirum alios in clientelam ſuam alliciant, quam manifeſtò noxijs vtilem fuiſſe conſtiterit. Quin vſque eo amabilis illa inſania & dominandi libido eos agit, vt ſubditis aduerſus Magiſtratum ſtimulandis exemplo eſſe audeant, & principes ſummos non in omnibus obſequio ſuo paratos contumelioſè tractent; cuius rei exempla in medium afferre poſſem, niſi ipſorum principum exiſtimationi conſulendum putarem.* Calumnia alia in Societatem.

Reſp. Etiam hæc vera non ſunt, ſed à Grammatico per calumniam,malitiámque

confiĉta; vt vel ex eo manifeſtum facio, quòd, quo animo, quôue fine Ieſuitæ alijs patrocinenrur, iterum res ſit non in oculis poſita, ſed in mente abdita, cuius cognitio in humanam aliorum intelligentiam nequaquam cadit. Cùm ergo tam temerè audeat ſuam diuinationem rurſus pro diuino oraculo nobis obtrudere Aduerſſarius, quod aliud falſum crimen non audebit in Ieſuitas ſtruere & adornare?

Fieri poteſt, vt bona méte commendetur, qui non eſt cõmendandus.

Non eſt credibile vllum Ieſuitarum adeò Dei vindicis obliuiſci, vt ſceleratiſsimum aliquem ſuo pallio foueat, ſuo patrocinio apud magnates defendat, ſi cõteſtatum ei ſit atq; liquidum, illũ flagitium hominis, ſcelerũmq; ſatorem ac meſſorem eſſe. Non tamen nego, quin euenire poſsit, vt nonneminem Ieſuitæ per errorem, pro viro bono habeant, & hoc nomine etiam apud alios collaudent, *cui tacitâ ſudant præcordia culpâ*: quia tamen ſolius Dei eſt profundas has cordis latebras, internáſq; voluntates penitus introſpicere, veniam meretur commendatio, quam ignoratio excuſat. Da mihi hominem, qui in commendandis alijs nunquam fuerit deceptus? *Quis eſt hic, & laudabimus eum?*

Ieſuitas porro hac in re potentiam ſuam oſtentare velle, nemo credet, niſi qui credit, eos neſcire, quid Paulus Apoſtolus ſcripſerit: *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed*

ſed potentia DEO, 2. Corinth. 10. v. 4. Igitur erras, Grammatice, qui perſuades hoc tibi: Ah! miſerrima eſt iſta potentia, quàm ſæpe vnico momento in tenues auras ille diſſipat, *qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles.* Tunc verè potentes erimus, cum demiſſo animo fuerimus. Quiſquis talis eſt, *potens in terra erit ſemen eius.*

Quæ ſit potentia religioſorum.

De inſania, quam nobis obiectas, aliud non reſpondeo, quàm quod olim S. Paulus ad conſimile probrum; *Non inſanio, optime Feſte, ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor.* Actor. 26. v. 25.

Ieſuitas deniq; *ſubditis aduerſus Magiſtratus ſtimulandis exemplo eſſe, & principes contumelioſè tractare,* planum nunquam feceris, ſi tantummodo aſſeueratione tua roborauerіs: tam grauis accuſatio debet ſolidioribus ſtabiliri firmamentis. Pluma leuior eſt fides tua, toties infirmata, & labefactata. Igitur pro gemina calumnia habebimus, quæ dicis: quamquam ea nobis patienter ferenda eſt; quia etiam DEI filius eam tulit, cum dicerent eius hoſtes; *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari.* Lucæ 23. v. 2. &, *ſic reſpondes Pontifici?* Ioan. 18. v. 22.

Subditos erga ſuos Dominos à Ieſuitis ſtimulari, calumnia eſt.

QVARTA CVLPA IESVITARVM.

Ieſuitas omnibus negotijs ſe immiſcere.

POſtremò (inquit Grammaticus Arcan. pag. 45.) *Curioſitas non poſtrema multorum aduerſus eos odij cauſa eſt. Romæ quidem omnibus omnium rebus ac negotijs ſe admiſcent, & nihil ſeu ſacrum, ſeu publicum, ſeu priuatum niſi ſe interpretibus, aut internuncijs tranſigi volunt. Itaq; qui Canonicatum, Abbatiam, Præpoſituram ambit, relictis rebus ad Ieſuitas aduolat. In contrahendis rebus maioris paulò momenti, inq; nuptiarum conciliaturis, nihil felicius, niſi Ieſuitis proxenetis tranſigitur, &c.*

Demonſtratur falſitas.

Reſp. An iſthæc conſonent veritati, judicium totius Romæ appello, & ad omnes eos prouoco, qui aliquando in Vrbe negotiorum causâ ſunt commorati. Non dubito, quin contra te communi teſtimonium ore ſint dicturi. In Societate, præſertim Romæ, ita vnicuique diſpoſitum eſt munus officij ſui, vt nemini ſit operis otium, nemini tempus, quod tractandis alienis cauſis poſſit conterere. Quæ ſunt illæ nuptiarum *conciliatura*, vt tu vocas, operâ Ieſuitarum confectæ? Quæ illæ Abbatiæ, Præpoſituræ, & Canonicatus, quos alij interuentu eorundem ſunt adepti? vbi teſtimoniorum tabulæ? Vidéſne quomodo iterum in aperta luce poſita ſint commenta tua? Deinde quod ſcelus eſt, aliquem Abbatiam, vel Canonicatum Ieſuitarum o-

perâ impetraſſe, ſi id bono Eccleſiæ ſit factũ? Quæ enim lex vetat, ne Ieſuitæ ſoliciti ſint, vt in Eccleſia aliquando viri doctrina, nobilitate, ac virtute præcellentes, quales è Collegio Germanico plurimi prodierunt, dignum obtineant locum?

At Pontifex Paulus V. (inquis) *in cura rei familiaris ſiue conſtabilienda, ſiue locupletanda Ieſuitarum procuratore vtitur, quem etiam opinio eſt, tametſi faciem vix hominis habet, & nihil admodum litterarum didicit, mox Cardinalem creatum iri, quia videl. cùm facundum pectus concuſſerit, inueniẽdi argenti technas inſtituere, & difficultates nummarias expedire nouit. Itaq; non modò quotieſcunq; velit, velo ſublato intrare excluſis, qui priores venerunt, Principum legatis, ſed etiam, quos viſum ei fuerit, alios ſecum introducere poteſt. Adeò præſtat acquirendarum pecuniarum, quàm animarum ſtudioſum & peritum eſſe, apud illos certè qui cùm animarum Chriſti ſanguine redemptarum curam in ſe receperint, vel quid anima ſit neſciunt, vel non pluris animam hominis, quàm piſcis faciunt, quod credo ſuũ officium Piſcatum quendam aliquando per ſtrepitum inaudierint; quibus propterea gratior fuerit, qui animam Auri eum Paracelſo, quàm animam Saxoniæ Electoris inueniſſe ſe nuntiet. Cùm ergo Ieſuitæ quoque in eorum cenſum veniant, qui aurum & argentum vnde vnde, quo iure, quáq; iniuria eruere & cumulare ſciunt, quomodo non πολλὰ πράττοντες ſiue Ardelſones &*

 Curioſi

Curioſi habeantur, qui quidem curam ſuam in negotia tam longè diuerſa ſimul intendant?

Reſp: Quid Ieſuitarum procurator apud Paulum V. egerit, puto tibi à neutro horum fuiſſe patefactum. Potuit enim causâ negotiorum, ad varias Prouincias Societatis ſpectantium, (quarũ procurator erat) pro ratione ſui officij, adire Pontificem Maximum, & ob veterem notitiam faciliùs in illius conclaue admitti: vnde non illico ſequitur, eum ad excogitandas artes cõficiendi grande peculium illuc ventitaſſe. Equidem minùs mirandum nunc eſt, in Societatem te bacchari tam petulantibus maledictis, quando videmus nec ab ipſo ſupremo *ſacrorum Præſule* iniurioſas manus te abſtinere; non enim cuiquam adeò obtuſa mens eſt, vt contumeliarum aculeos non animaduertat, quos Apoſtolico culmini infigis. Quiſquis Paulum V. Pontificem nouit, nouit etiam eidem animarum curam quàm maximè curæ fuiſſe; cuius rei illuſtriſsima proferri in medium documenta poſſunt. Quare non ex humano ore, ſed ex *Inferorum* ſpiraculis emiſſa calumnia eſt, quam in hunc Pontificem elatraſti; à quâ, ſi verus eſſes Catholicus, vel ipſius Religionis noſtræ causâ, vt de alijs nihil dicam, debuiſſes te cohibere. Si potuiſſet Paulus V. animam Electoris Saxoniæ cœlo inferre & in tuta ſalutis ſede collocare, boni paſtoris officium nequaquam neglexiſſet, ſed ſuam-

De procuratore Ieſuitarũ Romæ apud Paulum V.

met

met animam tradidiſſet. Dipondiariam auri animam, de qua cum Paracelſo nugaris, habeat, quemcunq; Epicuri vita delectat: procul hæc fuere à ſanctiſsimi huius Pontificis mente.

Quod Ieſuitas *Ardeliones* vocas, tibi libẽter ob Chriſti amorem ignoſco, ſimúlq; opto, vt nos tecum ardeamus eo igne, de quo idem Seruator dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Lucæ 12. v 49. Pag. 47. ais. *Mihi quidem iam multis abhinc annis, minimè curioſitas eorum (Ieſuitarum) probari potuit, cùm adoleſcentes quoſdam, amicorum meorum filios, quos Roma ad Ieſuitarum ſcholas deduxeram, & in diſciplinam dederam, tam ſubtiliter & ſigillatim de omnibus, quæ ad parentes, eorúmq; bona fortunáſq; pertinerent, examinatos comperi. Cum enim putarem eos à ſtudiorum præfecto ſeduci, vt eorum in litteris profectus exploraretur, concluſi fuerunt in cubiculo quodam, vbi Ieſuita quidam magnum volumen, cuiuſmodi ſunt menſariorum tabulæ, ſiue acceptorum expenſarúmq; Codices, protulit, in eúmq; omnia, quæ rogati reſpondiſſent, magna cum fide perſcripſit. Quæſtiones porro huiuſmodi erant. Quod ipſis nomen eſſet, quæ ætas, quas priùs ſcholas adijſſent, qui eſſent parentes, quæ illorum ætas, qui cenſus, haberéntne prædia & fundos, & vbi? quas cognationes, conſanguinitates, affinitates, & vtrum ex ijs adhuc hæreditatum aliquarum acceſſionem ſperarent; tum vtrũ ipſis*

Quo igne Ieſuitæ ardere cupiant.

Calumnia de ſuſceptione adoleſcentum in Gymnaſia Societatis.

ipſis eſſent ſorores, eaq́; innuptæ & nubiles, an iam nuptæ, & quibus? Hac vbi mihi domum reuerſi nuntiarunt adoleſcentes, non vſq; eo obtuſius aut ſtupidius fui, quin illud, quod ſibi cum eiuſmodi examinibus ac voluminibus volunt Ieſuitæ, planè perſpicerem. Cùm enim poſtea ſupplemento opus eſt, iuuenéſq; hortandi, vt eandem ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ, tum nequaquam diu in delectu laborare attinet. Statim enim ad libros eiuſmodi conſultum itur, qui optima fide referunt, quos bene nummatos, & amplorùm patrimoniorum hæredes cooptare in Societatem poſſint.

Modus examinandi adoleſcentes in ſcholis Societatis.

Reſp: Si ex innumerabilibus Ieſuitarum diſcipulis, duos aut tres non mercenarios teſtes produxeris, qui fateantur ſe, cum in Album ſeu *Matriculam ſtudioſorum*, vt vocant, referrentur, ad illas omnes quæſtiones præfecto Scholarum debuiſſe reſponſa dare, quæ in tali deinde libro fuerint annotata, fatebor & ego te probi hominis officio, vel ſemel veritatem dicendo, functum eſſe. Sed certus ſum, te hac in re, vt in alijs, eſſe vaniloquum & mendacem. Aliæ enim quæſtiones à Societate huiuſmodi Adoleſcentulis proponi non ſolent, quàm hæ: quod videlicet nomen, cognomen, patria, ætas, parentes, quæ parentum conditio, ſint ne nobiles, an non; diuites, an pauperes; quas item ſcholas priùs ipſi frequentauerint? quemadmodum iſtud paradigma, quod ex

Matri-

Matricula Dilingana totidem verbis tranſ-ſcripſi, docet; *Franciſcus Apronianus Pappus, Dilinganus, decem annorum, (cuius parens Dominus Ioan: Andreas Pappus, I.V.L. Reuerendſſ: Auguſtani Procancellarius) nobilis, auditor Rudimentorum admiſſus.* Et hic eſt modus in libro inſcribendi diſcipulorum nomina apud Ieſuitas non modò Dilingæ, ſed & alibi paſſim vſitatus. Vbi autem *hic* fit mentio *cognationis? conſanguinitatis? affinitatis? ſperatæ ad hæreditatem acceſsionis? Sororis nuptæ aut nubilis? &c.* nihil tale vſquam petitur, nihil ſcribitur.

Cur verò etiam parentum conditio exquiratur, præſertim, ſintne diuites, an pauperes, nobiles an de plebe, non illæ, quas tu maleuolè finxiſti, ſed longæ aliæ, eæq; juſtiſſimæ interueniunt cauſæ. Nam vehementer attinet ad *præfectum* ſcire, quantum ſumptuū quilibet per annum poſsit impendere, ne, ſi extra modum prodeat, &, quàm par eſt, effuſior ſit, boni ciues, qui litterarum ſtudioſis habitationem precio locant, eóſque conuictores habent, in fraudem agātur, ac damna faciant ſuis liberis flebilia, & nullis temporibus reſarcienda.

Cur parentum conditio ex diſcipulis exquiratur.

2. Cauendum eſt etiam ſedulò *præfecto*, ne ad ſcholas eos recipiat, quos inopia cogit quotidie cauam manum ad ſtipem corrogandam extendere; qua ratione mendicorum greges, & in detrimentum ciuium, & in dede-

Mendici ob graues cauſas ad ſcholas Societa-

tis non admittendi.

dedecus ac odium ſtudioſorum, in ciuitates introduceremus, alióſque honeſtos adoleſcentes à noſtris Gymnaſijs arceremus. Quis enim eſt, non dico, nobilium, ſed hominis inferioris etiam ordinis, cui permoleſtum non ſit, ſi audiat, filium ſuum in litterario ludo mendicabulis aſsidere? à quorum ſordibus, à quorum corruptis ac illiberalibus moribus, & nonnunquam corporis morbis quantum periculum imminere poſſet tenerrimæ juuentuti?

3. Nuſquam gentium gens eſt, apud quam non habeatur aliquis nobilitati honos; vnde & tu olim Grammatice, ad maiorem authoritatem tibi comparandam diligentem curam adhibuiſti, vt ſcriptis tuis ille titulus, *Nobilis Franco*, præpenderet. Quis ergo nobilium non ægerrimè ferret, ſi ſui filij alijs de vulgo in omnibus pares haberentur? ſi in publica præmiorum litterariorum diſtributione, quę quotannis ad inſtaurationem ſtudiorum iterari ſolet, nulla de claritate generis mentio fiat, quando nobilis eiuſmodi adoleſcens cæteris doctrinæ ac pietatis palmam præripuit.

Quare perplurimùm & Reip. & Societatis intereſt, à Pręfecto ſtudiorum interrogari adoleſcentes, priuſquam in numerum diſcipulorum admittantur, ſintne pauperes an diuites? nobiles, an ignobiles? vt vnuſquiſq; eo loco, quem ſtatus ipſius poſtulat, haberi

col-

collocaríque poſsit; neq; aliunde, quàm ex maleuolentiæ ſuffuſioné prouenire exiſtimandum eſt, ſi quis in ſiniſtram partem hoc factum interpretetur.

Pag. 49. Pergit Grammaticus. *Itaque non multò poſt cum adoleſcentulos illos prorsus nihil in ſcholis proficere intelligerem, niſi quod ſæpius fabellas aliquas ab oſcitante magiſtro in lectionis loco recitatas domi referebant, ſimul etiam, quod mihi alij quidam nobiliſsimi iuuenes, qui in contubernio & conuictu Ieſuitarum viuebant, affirmaſſent, Pæderaſtian quotidianum inter ſcholaſticos conuictores peccatum eſſe, quod quidem, ſi quis neſciret, vel ex ipſius Rectoris verbis, quibus ab eodem auditores dehortari minùs prudenter ſoleret, id addiſcere poſſet: quemadmodum etiam alicubi in Germania Ieſuitis in confeßione imprudentiùs ſciſcitantibus, adoleſcentes ad eius peccati notitiam inductos, eâque occaſione integra penè collegia contaminata fuiſſe, hominum ſpectatæ fidei teſtificatione mihi conſtat: propter has igitur, aliáſque cauſas nolui adoleſcentes illos deinceps in ſcholas Ieſuitarum mittere, ſed præceptori eorum domeſtico, vt domi eos doceret mandaui.*

O Grammatice graphico calumniator!

Reſp. Germanis tritum in ſermone prouerbium eſt: Nemo alium poſt fornacem quærit, niſi ipſe aliquando illic fuerit. Ideo metuo, ne aliqui dicant, te ea ſcribere, de quibus longior vſus plurima experientia, & exercitatio diuturna reapſe in tuomet contuber-

Grāmatice, in ſinum tuum immitte manum.

tubernio te erudiuit; Ego quidem inuidiā huius criminis nolim te onerare; quia tamē in his ipſis *Arcanis* tuis pag. 78. & 79. vt & in *Actione perduellionis* pag. 56. in *Ieſuita extenterato* paſsim, haud arcanò, ſed palàm, per ſpurcum calamum, in fœdiſsima verba ita diffluis, vt nec Thais, nec Lais propudioſiùs poſſit, nunquam profectò effugies, quin de te etiam boni malè ſentire cogantur. Meminiſſe oportuit, mi homo, quid Apoſtolus Epheſijs c. 5. ſcripſerit; *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis?* Tibi autem ſummæ curæ eſſe, vt exquiſita verborum turpitudine, res obſcœniſsimas oculis ſubijcias, perſpicuè nemo non videt.

Nouit is, qui ex alto omnia intuetur DEVS, quàm Ieſuitæ in ſcholis, ac Conuictorum domicilijs, vigilanter excubent, & quaſi continuè in acie ſtent contra occultum hoſtem, ne is in innoxiam juuentutem ſæuiat, nèue per familiaritates clamdeſtinas maculā caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat. Quâ laude nec tu ipſe Grammatice fraudaſti Ieſuitas, dum apertè faſſus es, eorum Rectorem auditores dehortari ab hoc ſcelere fuiſſe ſolitum: & quanquam addis, minùs prudenter illum, vt & Germanos nonnullos Confeſſarios in confeſsione egiſſe, imprudētiam tamen iſtam rite neutiquam demonſtraſti. *Confeſsio* enim ſecreta fuit, & hæc talia in ea dicta geſtáque contra prudentiæ regulas eſ-

ſe, tibi conſtare non poteſt, niſi ab eo, qui vt auſus eſt rem tacendam tibi dicere, *ſacraq́ Confeſsionis* jura ſacrilegè violare, ita quoque turpiter mentiri in Ieſuitas non dubitauit, ſeſéque fide indignum teſtem reddidit. Dehortatio verò á Rectore illo fieri potuit generaliter, vt ſcilicet in ea ætate auditores cupidinibus frenum tempeſtiuè inijcerent, vt nihil, quod ab honeſtate remotum, agerent, vt ſuæ pudicitiæ parcerent, & alienæ; ſi iam ſalax & malitioſus aliquis adoleſcens inde nigrior factus eſt, & ſalubria hortamenta, (vt Iudæi ipſius Chriſti monita,) in ſuam perniciem vertit, nullam imprudentiæ culpam ſuſtinent Ieſuitæ; alioqui cui *prædicatorum* fas ſit populum hortari publicè, ne laſciuis delitijs & ſe, & alios fœdare, deformaréque velit? cum etiam ad conciones illas ſacras non raró tenerioris ætatis pueri ac puellæ ſoleant ventitare.

Certè in conuictorum Collegijs, & ſcholis Ieſuitarum, non tantùm ſumma cautio eſt, atque prouiſio, vt nihil, quod caſtis moribus eſt inimicum, ſe inſinuet, ſed etiam adhibentur ea pietatis ſubſidia, quæ ſunt validiſsima ad appetitiones indomitas finibus ſuis continendas inſtrumenta; cuiuſmodi ſunt veſpertina & matutina precatio; quotidiana templi, dum diuina peraguntur, frequentatio; peccatorum frequens confeſsio; ſanctiſsimæ Euchariſtiæ crebrior vſus; Patro-

Ieſuitarũ diligentia in educanda Iuuentute.

tronorum cœleſtium religioſa per ſingulos menſes ſortitio; catechiſmus priuatus & publicus; conciones ſacræ; Beatiſsimæ Virginis ſodalitium; librorum piorum lectio; & denique, quantum humanâ induſtriâ fieri poteſt, fidiſsima cuſtodia, vigilantiſsimáque cura, ne otium, ne malorum ſocietas, ne libelli ſcurriles ac impudici, ne cibi potûſque immoderatio vllum apud adoleſcentes inueniat locum.

Quæ omnia, an per externos pædagogos pari ſolicitudine & fide, atque per homines DEO ad id ſacramento obligatos, adhiberi ſoleant, aliorum judicium eſto. Vtinam parentes nonnulli grandi malo ſuo non didiciſſent, quantùm errauerint, quando illius generis cuſtodes non optimos, ſuis filijs addiderunt? Iuuentus plurimis perturbationum fluctibus agitatur: & quam multi naufragia faciunt, antequam enauigent hoc fretum? illis præſertim remigibus, qui plerumque hanc ætatem paſsis velis in ſcopulos & ſyrtes prouehunt; videlicet *animorum inconſtantia, conſilij leuitas, effrenatio iræ, ſuperbiæ temeritas, ad omnem licentiam effuſio atq; procliuitas.* Si iam accedant *Naucleri*, hoc eſt, *pædagogi*, nauiter corrupti, qui cereos in vitium flecti, domeſtico ſuo exemplo de induſtria ad omne quoque corruptelarum genus ducant & impellant: qui teſſeris ad ludendum, poculis ad compotandum ſaltibus ad ſaltandum

Scopuli iuuentutis.

dum

dum eos inuitent: qui ferrum ad audaciam, faces ad libidinem eis præferant: prô! in quantam deprauationem, & turpificati animi fœditatem eos deuenire neceſſe eſt?

Quod ſi autem quiſpiam exiſtimet in Collegijs à multitudine, eſſe maiora iuuentuti metuenda pericula, quàm foris in paucorum conuictu, etiam ille procul abit à ratione: cũ nõ ſit credibile, quemquam aut melius perpendiſſe, aut rectiùs ſtatuiſſe, quo loco ſint litteris adoleſcentes informandi, quam Amplisſimos illos patres, qui in Concilio Trid. totius Chriſtiani Orbis vicem repræſentarunt: de quorum ſententia (ſeſſ. 23. c. 18. de Reform.) in quolibet Epiſcopatu *certus puerorum numerus, pro modo videlicet facultatum, & amplitudine Diœceſis, in aliquo collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti extructo alendus, religioſè educandus, & Eccleſiaſticis diſciplinis eſt inſtituendus: ita vt hoc Collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit:* vbi manifeſtum eſt, Concilium non voluiſſe, vt eiuſmodi adoleſcentes ſeparatim in priuatis ædibus, ſed coniunctim in aliquo Collegio viuerent, & liberalibus ſtudijs operarentur. Cùm ergo nullum relinquatur dubium, quin *ſancta Oecumenica Synodus* eam viam terendam voluerit, quæ ad optimam puerorum inſtitutionem perfectiùs tutiúſq; perducit, nihil decerpi ex dignitate ac commendatione Collegiorum putandum eſt, tametſi

Iudicium Concilij Trid. de educatione adoleſcẽtiæ.

metſi fortè in aliquo eorum adoleſcentes ſemel reperti ſunt, qui inuolutam tenebris nequitiam honeſtati præferre, & officinam virtutum in diuerſorium flagitiorum conuertere voluerunt. Quis enim locus eſt, vſque adeo ſcelerum immunis, vt non aliquando in eum tortuoſa voluptas è latebris ſe conijciat, & aliquos incautos lædat? In ipſo ſole deprehenduntur maculæ. In angelis ſuis DEVS reperit prauitatem. Modò igitur faciant ſcholarum magiſtri, & Conuictorum præfecti ſuum cuſtoditè officium, culpandi minimè ſunt; tametſi aliqui induſtriam ipſorum fallant; niſi etiam in cœleſtes illos pœdagogos, quos Cuſtodes Angelos nuncupamus, impingere culpam velis, quod ex clientibus eorum longè plurimi, (licet erga eos magna obſequij cura, ſummáque fide tutelam ac magiſterium ſibi à DEO demandatum adminiſtrent) à tramite ſalutis in præcipitia, prauitatémque animi conuertantur. Verùm Grammaticum iterum audiamus.

De Curioſitate Ieſuitarum.

Pag. 50. *Sed etiam illud Curioſitatis ſuſpicionem Romæ, atq; haud ſcio, an & alibi, conflare eis ſolet, quòd complures primariæ matronæ tantum non quotidie ad eorum Eccleſiam accedere, ibíq; non minùs duabus, tribus horis deſidere, & cum Confeſſarijs ſuis ſerere ſermones ſolent. Et tamen veriſimile non videtur, eas quotidie tam multa peccare, quibus enumerandis tantum tempus ſit neceſſarium. Itaq; cum mulieres ſint futiles, ac rima-*

rimarum plenæ, neq; res arcanas facilè continere ſciant, non videntur alio conſilio quotidie tam diu à Ieſuitis detineri, quàm vt ab ijs multa expiſcentur & audiant: cùm præſertim ſe nouarum rerum audiendarum cupiditate teneri non obſcurè ferant. Itaq; certatim à maximo minimo quoq; viſitantur, totóſq; ſæpe occupant dies in admittendis ſalutatoribus, quorum alij alijs ſuccedunt &c. Itaq; opinio eſt plerorumq; omnium, non eſſe vllum totius orbis ſiue Regem, ſiue principem, qui perinde, ac P. Generalis omnium, quæ in vniuerſo orbe, etiam apud Antipodas aguntur, notitiam habeat: non modò quia Rectores ac Prouinciales per orbem totum diſperſi, vi ſacramenti, quo ei auctorati ſunt, octauo quoq; die ad eum ſcribunt, ſed etiam quia quotidie partim qui operâ ipſorum indiget, partim qui noui aliquid audire deſiderat, partim qui nouarum rerum nuncium aliorum ſiue litteris, ſiue ſermone accepit, ſiue ad ipſum Generalem, ſiue ad alios Ieſuitas aduolat.

Reſp. *Turpe eſt Doctori, ſi culpa redarguit ipſum.* & quæ in alijs vituperat, ipſe facit. Tu Ieſuitas de curioſitate vehementer accuſas; & tamen quæ hic ſcribis, perſpicuè oſtendunt, te in danda obſeruationi opera, quæ, & quales matronæ ad templum Ieſuitarum quotidie accedere, & quamdiu illic morari ſolerent, oppidò fuiſſe curioſum. Deinde hæc ipſa, quæ nobis exprobras, præter te auctorem ac teſtem habent neminem. Grãmaticus facit, quæ carpit.

Qui autem tibi credit affirmanti, cur non etiam mihi credat neganti? nec ſatis eſt, ſi dicas, *hanc eſſe opinionem plerorumque omnium.* Eſt enim antiquiſsimus hic mos calumniatorum, teſte S. Hieronymo, epiſtola ad Furiam, vt de fama aliorum detracturi, *rumores turpiſſimos ſerant, & quod ab ipſis egreſſum eſt, id ab aliÿs audiſſe ſe ſimulent, ÿdem auctores & exaggeratores.*

Apertum mendaciũ Grãmatici.

Manifeſtum profectò mendacium eſt, in vlla Eccleſia Societatis fieri, vt vel vna fœminarum, (*nedum complures*) *confeſſarium, tantùm non quotidie accedat, & duabus tribúſue horis cum illo ſermocinetur.* Non enim ſolùm ſacerdotibus noſtris tantum otij non conceditur, vt omnes quibus Ieſuitarum vita eſt perſpecta, norunt, ſed etiam Rectores Collegiorum conniuere in ea re nequaquam poſſunt, cum verbis explicatiſsimis *Regula Sacerdotum* 16. & 17. confeſſarijs grauiter mandet, vt *in audiendis confeſſionibus fœminarum, ſeueros potiùs, quàm familiares ſe exhibeant; eas autem, quæ crebriùs confitentur, breuiter expediant, nec de rebus ad confeſſionem non pertinentibus in confeſſione loquantur: extra confeſſionem verò ſi oporteat eas alloqui, longum ſermonem ne miſceant.* Si ergo iam duas, & tres ipſas horas eiuſcemodi ſermunculis contra regulæ præſcriptum quiſpiam dependeret, enimuerò non euaderet grauiſsimam obiurgationem, ſimúlque à *pænitentiaria ſede* ſine mora certiſsimò dimoueretur. Non

Non diffiteor quibuſdam in locis inueniri pias aliquas fœminas, quæ pluſquam tribus horis, etiam quotidie remaneant in Eccleſijs Ieſuitarum, aſsiduò diuinum Numen precibus & obteſtationibus percolentes, ac veniam cœleſtium irarum, finémque calamitatibus publicis expoſcentes; quarum inſtitutum, ſi maledico dente carpis, Grammatice, facis idem, quod tempore S Hieronymi fecerunt obtrectatores ipſius, à quibus vir ſanctus in circulis, in conuiuijs, in popinis, in tonſtrinis, fuit dirisſimis ſermonibus laceratus, quòd ſuo conſilio atque ſuaſu Marcellas, Melanias, Albinas, Felicitates, Paulas, Iulianas, Demetriades, aliáſque nobiliſsimas virgines & viduas ad capeſſendam melioris vitæ viam, ruptis vanarum ſolicitudinum vinculis, induxerit, ſtudióq; pias ante DEVM preces & lachrymas diu noctúque proſternendi inflammârit. Quis autem hæc allatrare & rodere auſit, niſi quem non pudeat etiam in Prophetiſſam illam Euãgelicam conuitium jacere, *quæ vſq; ad annos octoginta quatuor vidua, non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens, nocte ac die?* Lucæ 2.

Quantum porro fidei mereantur ea, quæ de ſalutatoribus, de Patre Generali, de nouorum nundinationibus in Ieſuitarum Collegijs adnectis, ex illo ſplendido ac multiplici mendacio tuo conijcere licet, quo aliàs erubeſcere neſciam tuam chartam, non paulò ſe-

ſeciſti fulgentiorem. *Rectores*, inquis, *ac prouinciales per orbem totum diſperſi, vi ſacramenti quo* (Generali) *auctorati ſunt, octauo quoque die ad eum ſcribunt.* In hoc autem te inſignitè falſidicum eſſe, ex ipſis Societatis Regulis demonſtro; quæ in *Appendice ad Regulas Admonitoris* §. *Formula ſcribendi.* n. 7. hæc habent. *Prouinciales omnium prouinciarum Europæ ſcribant ad Generalem ſemel quolibet menſe; Rectores autem & Superiores Domorum, & Magiſtri Nouitiorum tertio quoque menſe.* & n. 8. *Prouinciales Indiarũ ſcribant præpoſito Generali, quando ſe obtulerit nauigationis commoditas. Rectores verò & Superiores Domorum, ac Magiſtri Nouitiorum ex Indijs ſemel; ex Braſilia & noua Hiſpania bis in anno, ſi ſe obtulerit occaſio* Si iam ad calculum Lector reducat, quoties mentiendo, intra tam breuem periodum, veritatem contaminaueris Grammatice, inueniet ſubductam longè maiorem ſummam, quàm tu Antagoniſtæ tuo, grandi volumine, antehac in Hypobolimæo numeratum es admenſus; qui ſi adhuc viueret, nunc tibi medium oſtenderet vnguem, & cachinnatione falſiſsima, impudens oſtuum poſtularet àd verberandum. Si enim ex integro & dimidio anno, item ex trimeſtri, & menſtruo ſpacio potes vnam hebdomadam conficere, ne tu omnes Arithmeticos vocaueris in certamen: neque amplius Troiæ obſidio fuerit decennis, Quod ſi octauo quolibet die tam Prouin-

De litteris Ieſuitarum.

uinciales, quàm Rectores omnes ex vniuerſo Orbe ad P. Generalem ſcriberent, tam immanis euaderet epiſtolarum cumulus, vt ad eas legendas, eidem Generali neq; mens, neque corpus, neque tempus poſſet ſufficere; vt ſileam de impenſis, quæ forent intolerabiles.

Vt autem omnes intelligant, qua de re ſoleant & debeant Rectores ac Prouinciales ſcribere Generali, etiam ex Regula id demonſtro, cuius hæc ſunt verba *Loco cit.* §.10. *Superiores Domorum & Collegiorum & Magiſtri Nouitiorum ſcribunt ad Generalem, quæ alicuius momenti fuerint, etiamſi approbante Prouinciali fiant. Illa verò potiſsimùm ſcribant, in quibus Prouincialis admonitus, vel non prouidet, vel prouidere nequit, vel poſtquam Prouincialis cum illis tractauerit, ipſi ab eius iudicio diſſentiunt: ſed tunc quidem addant, quid Prouincialis reſponderit, & quibus rationibus ipſi ab eo diſſentiant; interim tamen ei per omnia obediant.* & §.11. *Cùm Prouinciales ſcribent Generali, curabunt vt ſtatum Domorum & Collegiorum ſuorum ac totius Prouinciæ bene explicent, & ſuppleant, ſi quid intellexerint, quod ſuperiores Domorum & Collegiorum minùs declarauerint; & in vniuerſum ita ſcribere debent, vt Generalis omnium rerum, omniúmq; perſonarum, ac Prouinciarũ ſtatum, quoad eius fieri poſſit, ante oculos habeat.* Ex his omnium oculis ſubijcitur vaniſsimum illud commentum tuum, de tot

De qua re debeant Rectores & Prouinciales ſcribere P. Generali.

veluti alatis Mercuriolis, ac rerũ nouarum ad Generalem ex omni angulo nuncijs, cum ad eum nihil ſcribatur ab vllo, ſeu Prouinciali, ſeu Rectore, niſi quod pertineat ad Societatis gubernationem; quod vnum ſi rite atque ad normam *Regulæ* fiat, nihil cuiquam vacuæ chartæ commemorandis à noſtro *Inſtituto* tam alienis negotijs relinquetur: Ideo P. Generalem magis ſcire quid in toto orbe paſsim geratur, qnàm vllum Regem aut Principem tam falſum eſt, quàm quod falſiſsimum. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, Vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*; Inquit S. Paulus; quæ Apoſtolica monitio vt Patrem Generalem minimè fugit, ita ab eodem, tanquam viro religioſo, & plurimis alijs in via virtutis præpoſito, ſic penſi haberi ſolet, vt ſuâ vitâ, ſuiſq; moribus, quos oculi totius Romæ intuentur, ſatis ſupérq; omnibus palam faciat, ſe multò meliori pabulo, quàm iſtis incertis nouarum rerum rumuſculis ſuam mentem ſaginare. Athenienſes & eorum imitatores huiuſcemodi *Rumigerulos* agant, nouiſq; aut hauriendis, aut percenſendis intenti ſint: ad Generalem Societatis nihil ſcire, *toto quid fiat in orbe, quid Seres, quid Thraces agunt; quæ bella gerantur:* quem magis delectat pia meditatio *Nouiſsimorũ*, quàm curioſa indagatio *Nouorum*.

Cæte-

Cæterùm quæ ex libro 7. c. 21. Ioannis Sarisberienſis pag. 52. 53. & 54. affers (à quo ais Ieſuitas ante 500. annos fuiſſe deſcriptos) ea more tuo falſis interiectis interpretationibus, mala fide, deprauas: deinde etiam dolosè diffuis, & aliter, quàm in authore illo legantur, connectis: denique in Ieſuitas quadrare, præter affirmationem tuam, nullo argumento probas.

Hinc tamen clariſsimè videmus, etiam ſuperioribus ſæculis fuiſſe repertos homines, qui ſacris Ordinibus obtrectare non vererentur. Horum ingentem catalogum cõfecit Ioannes VVolfius I. C. centuria 13. *Lectionum memorabilium*, qui in S. Dominici & Franciſci familias paulò poſt illarum primordia, furioſiſsimis chartis ſunt debacchati; inter hos recenſetur principe loco *VVilhelmus de S. Amore*, Magiſter Pariſienſis & Canonicus Belouacenſis; Odo de Doaco, Nicolaus de Baro ſuper Albam, Ioannes de Sicca villa Anglicus, & alij. Objiciebantur autem religioſis illis viris ſequentia, eodem referente VVolfio.

Iiſdem calumniis nunc impetuntur Ieſuitæ, quibus olim Dominicana & Franciſcana Familia.

1. *Quod prædicant non miſsi, vel non canonicè miſsi.*
2. *Quod prædicant contra, vel præter veritatem diuinæ ſcripturæ.*
3. *Quod penetrant domos, id eſt, rimantur proprietates cuiuſque.*
4. *Quod quærunt vanam gloriã huius mundi.*

5. *Quod commendant ſeipſos, & oſtentant ſua opera.*
6. *Quod præferunt ſe alijs hominibus etiam religioſis.*
7. *Quod ingerunt ſe Curijs, vel amant fieri Curiales.*
8. *Quod vacant amicitijs huius ſæculi acquirendis.*
9. *Quod vt placeant hominibus, adulantur.*
10 *Quod oderunt eos, qui volunt illos probare vtrum ſint veri Apoſtoli.*
11 *Quod ſuper priuatis iniurijs iudicia & lites aſſumunt.*
12 *Quod amant curare negotia aliena, vt ſuauiùs viuant.*
13 *Quod prædicant propter quæſtum.*
14 *Quod importunè petunt, & indifferenter recipiunt nō ſolùm ad neceſſitates, ſed etiam ad otium & voluptates.*
15 *Quod circumueniunt homines fraudulenter, & res eorum blandè extorquent.*
16 *Quod quærunt cibaria lautiora.*
17 *Quod procurant ſe per maiorū epiſtolas cōmendari.*

S. Thomas Aquinas & S. Bonauentura pro

Ad has, aliáſque calumnias refutandas duo maximi viri à duobus *Ordinibus* ſunt conſtituti, videlicet S. Thomas de Aquino, & S. Bonauentura, qui integris Apologijs reſponderunt calumniatoribus; quibus tamen conſtans ſilentium non impoſuiſſent, niſi Apoſto-

ſuis Ordinibus pugnarunt.

)lica quoque ſedes tam illis, quàm pooribus temporibus, innocentiæ defennem ſuſcepiſſet, eámque, caninis dentibus eripuiſſet decretis & litteris, præſertim ex *Clementina*; vt videre eſt ex varijs Pontificũ vnica, de *Exceſſibus Prælatorum*; quæ incipit, *Frequens & aſſidua.* & ex cap. 3. Exijt, in 6. *de Verborum ſignificatione*, paulo poſt initium, vbi hæc leguntur. *Sed nec ſic contra Fratres ipſos minores, & contra Regulam hoſtis antiqui ceſſauit aſtutia, quin potius contra eos nitens ſuperſeminare Zizaniam, interdum æmulatores agitatos inuidia, iracundia, & indiſcreta inſcitia concitauit, mordentes fratres & eorum Regulam, quaſi illicitam & inobſeruabilem & diſcriminoſam caninis latratibus lacerantes, non attendentes hanc ſanctam Regulam, Vt prædicitur, præceptis & monitis ſalutaribus inſtitutam, Apoſtolicis obſeruationibus roboratam, per plures Romanos Pontifices approbatam, & etiam per ſedem Apoſtolicam confirmatam, &c.* Ad horum Pontificum clara & illuſtria exempla, fecit quoq; Pius IV. Pontifex, vt antehac Societas Apoſtolicæ defenſionis clypeo haud timidè protegeretur; cuius hoc extat *Breue* ad Cardinalem Ottonem Truckſeſsium Epiſcopum Auguſtanum lectu dignum.

PIVS. PP. IIII.

Exemplũ defenſionis Pon-

VEnerabilis frater noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Poſteaquam renuncia-

tificiæ pro Societate.

ciatum nobis fuit de libellis probroſis, quos quidã, nec DEVM timentes, nec hominũm iudicia reuerentes, ad odium, infamiámque conflandam Ordini Societatis Ieſu, cõponere, & per Germaniam, aliáſque prouincias diſſeminare auſi ſunt: ſanè id grauiter tulimus, pro eo, ac rei indignitas, & tam grauis magnitudo ſcandali poſtulauit. Agnouimus artes, & verſutias hoſtis antiqui, qui cùm doleat in diuerſis ipſius Germaniæ partibus, & aliјs locis multa eius Ordinis, fuiſſe instituta Collegia, qui diuino cultui, & animarum ſaluti diligenter inſeruiant: eorum pia ac ſalutaria opera impedire conatus eſt, excitando obtrectatores iſtos, & impellendo; vt crimina, & probra aduerſus totum eum ordinem, & quaſdam perſonas nominatim cæteris notiores confingerent. Ea tamen crimina etſi falsò eis obiecta eſſe facilè quiuis intelligere poterat: nos tamen non eſſe omnino negligenda putauimus. Itaq; ad explorandam certiùs veritatem, negociũm dedimus quibuſdam de collegio ipſorum Cardinalium viris admodum grauibus; vt diligenter de moribus & inſtitutis Collegij, quod in hac vrbe eſt totius Societatis caput, quærerent, & quæ comperiſſent, nobis referrent. Illi autem magna cura, nec minori fide mandatum noſtrum executi, renunciarunt nobis, & fratribus noſtris, crimina illa meras fuiſſe calumnias: ſe cùm diligenter, & ſeuerè in eius collegij mores, & vitam inquiſierint: comperiſſe eos viros bonos, & pios eſſe: ipſius verò ordinis inſtituta recta admodum & laudabilia. Cum igitur iudicium,

cium, quod de huius Societatis innocentia, & pijs ac laudabilibus inſtitutis ſemper fecimus, hac inquiſitione non confirmatum modò, ſed etiam auctum fuerit, æquum eſſe, & ad officium noſtrum pertinere exiſtimauimus, veritati & innocentiæ teſtimonium impertire. Itaq; ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Maximilianum Romanorum Imperatorem electum, & ad nobilem virum Albertum Ducem Bauariæ, quorum in notitiam eos libellos perlatos eſſe audieramus; litteras de iſtorum maleuolorum impudentia dedimus, hortantes eos ne quam eorum calumniis fidem habendam putent: ſed collegia ipſius Societatis IESV, quæ apud ipſos ſunt, eâ, qua conſueuerunt, benignitate complectantur, & foueant; ac ſtudiis ſuis bona eorum opera adiuuent. Etſi autem ſcimus, quantopere tu ſemper eam Societatem dilexeris, propter eius præſtantia in religionem Catholicam merita: tamen hortandum te quoque duximus, dilectiſſime frater, vt exiſtimationem eius à tam impudentibus calumnijs quàm diligentiſſimè poteris, tuendam ſuſcipias: & odium, atque infamiam, quam diabolico inſtinctu nonnulli ſuæ ipſorum ſalutis, & famæ prorſus immemores, labijs ſuis iniquis, & lingua doloſa in eos excitare conati ſunt: pro tuo perpetuo diuini honoris Zelo, & ſalutis animarum ſtudio reprimere ſtudeas. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXX. Decembris. M. D. LXIV. Pont. Noſtri. Anno quinto.

Finio hoc caput de odio in Ieſuitas, non

finio odium quod duraturum eſt, quam diu in Chriſti veſtigijs ſequendis illi durabunt. Non eſt igitur, cur ſe terreri patiatur Societas. Nunquam omnibus placebit: *& ſi adhuc placere hominibus vellemus, ſerui Chriſti non eſſemus.* Hoc odium caput noſtrum Chriſtus ſuſtinuit. *non eſt dignus qui ſit in corpore, qui odium ſuſtinere non vult cum capite.*

Caput Tertium.

AVGVSTINI ARDINGHELLI Paradoxa Ieſuitica.

ISTum videlicet titulum præfixit Proteus noſter ſuo tertio Opuſculo, quo ait contineri *impias, nefarias, ſcandaloſas, & peſtiferas Ieſuitarum Germanicorum ſententias, aduerſus omnes religioſos Ordines, quarum omnium neceſſaria, ſolida & modeſta refutatio habeatur in Congeminata Voce Turturis Dominici Grauina Theologi Dominicani, Neapoli nuper edita, Anno* 1633.

Confictũ authoris nomen. Sed commentitium atque adſcitum hoc nomen *Auguſtini Ardinghelli* eſſe, ex eo ferè cæcus videat, quòd iterum in toto hoc ſcripto appareant plurima vbique veſtigia, quæ Grammatici noſtri pedem, æquali prorſus per omnia dimenſione, ita referunt, vt ſiue mate-

materiam, ſiue ſtylum, ſiue ſcopum conſideres, aliud dicere non poſsis, quàm illum ipſiſsimum auctorem eſſe, qui in *Actione perduellionis*, in *Anatomia Societatis*, in Fr. Iuniperi *Conſultatione*, & in toto hoc libro *Arcanorum*, ſimilia, ſimillimo artificio, & propè iiſdem verbis ac lineamentis finxit, pinxit, ſculpſit, excudit. Quare licet totus oculus eſſes, omnéſq; mundi angulos, item vt ſol lumine ſuo, perluſtrare poſſes, nuſquam tamen *Auguſtinum Ardinghellum*, niſi intra cutem Grammatici noſtri inuenires; qui in Heluetia, hæc ipſa, quæ de Carolo Craſſo Imperatore in iſtis Paradoxis pag. 97. 98. & 99. leguntur, iam ante, quàm typis in lucem ederentur, quodam in monaſterio, præſente legato Catholicæ Reip. Lucernenſis, moleſta garrulitate, & audaci verborum iactatione faſtidioſiſsimè, contra Imperatorem noſtrum Ferdinandum, & Ieſuitas declamitauit; quemadmodum, qui interfuit, ſuis litteris eſt conteſtatus; cuius mihi ſtatim in mentem venit, ſimul ac legendi iſtius infamis ſcripti copia facta eſt.

Cum *itaq; in ipſo limine lectorem ſuppoſito nomine fallat*, quid in reliquis de illo ſperare habeamus, non difficile eſt intelligere.

Cæterùm Paradoxa Ieſuitica, quæ à pag. 58. vſque ad pag. 70. recenſet, & ex *Gemitu Columbæ* Bellarmini, & ex *Cauea Turturis* excerpta eſſe dicit, poſſum juſtiſsimo ſilentio præ- Cauſæ cur poſſem ſilentio hæc para-

doxa prę-terire. præterire. 1. Quia *Gemitus Columbæ* Bellarmini, per Magiſtrum S. Palatij Romæ publica auctoritate fuit approbatus, abſque vlla ſuſpicione *de ſub: & obreptionis vitio*, vti videre eſt in ipſo libello. Non ergo credibile eſt, in eo *impias, nefarias, ſcandaloſas & peſtiferas ſententias* contineri; proinde libellus hoc ſolo ſcuto munitus, ſatis ſeipſum cõtra quemcunque accuſatorem, nedum contra eiuſcemodi manifeſtum calumniatorem tueri poteſt: neque opus habet alia defenſione, aut ſi opus habet, ea pertinet ad reuerendiſsimum Magiſtrum S. Palatij; cui haud dubiè ſtudio erit, vt partes officij ſui non omittat, & Romæ *impia, nefaria*, ac *peſtifera* non fuiſſe approbata demonſtret. 2. Bellarminus etiam S. R. E. Cardinalis fuit: Ergò cauſa illius ad Romanum tribunal ſpectat; præſertim cum infamia illi inuſta, in ipſorum quoq; Eminentiſsimorum Cardinalium non leuem ignominiam perſpicuè cedat. Quem enim Purpurati illi Patres inter eximia ſui ſacri Collegij decora atq; ornamenta numerant, fideíque Catholicæ *propugnatorem maximum* appellant, hunc collocat *Ardinghellus* in principe loco eorum, quos ait *ſententias impias, nefarias, ſcandaloſas, & peſtiferas* euulgaſſe; perinde, quaſi Bellarminus impiorum ſcriptorum Dux & ſignifer fuiſſet, facémq; illis ad doctrinam peſtilentem ac nefandam prętuliſſet; quæ honorem Cardinalitij Ordinis pro-

Grauiſſima iniuria Collegio Cardinalium illata à Proteo.

profectò grauiſsimè lædunt: quem ſartum tectum nemo maiori jure cuſtodiat, quàm ij, quorum quàm maximè intereſt. 3. Per hæc *Paradoxa* præbetur ampliſsima occaſio ruinæ *Acatholicis*, qui & confirmabuntur in obſtinatione erroris ſui, & ſuauiſsimè ſibi gratulabuntur conſpecto hoc vulnere, quod non ſolùm Bellarmino, ſed & toti Cardinalium Collegio gladiator iſte inflixit. Quid enim poſthac authoritatis erit apud hæreticos Bellarminianis libris, ſi animos ipſorum perſuaſerit opinio, Bellarminum Cardinalem *impia, nefaria, ſcandaloſa & peſtifera* in ſua vltima ætate ſcripſiſſe? Offendiculum autem tam exitioſum de medio tollere quis meliùs poteſt, quis iuſtiùs debet, quàm Apoſtolica Sedes, cui ſuprema Eccleſiæ cura eſt à Deo commiſſa? Ex his ſatis liquere puto, mihi non leuia ſuppeditare argumenta, cur manum retrahere debeam à Bellarmini defenſione, & cauſam hanc grauiſsimam alijs qui maiore poteſtate pollent, relinquere, ne, quæ ſupra me ſunt, agere, aut in alienum agrum videar meam falcem immittere.

Caueam Turturis quòq; ex ipſius Aduerſarij confeſsione facilè oſtendam ad Ieſuitas nihil attinere. Ait enim ille in *Congeminata Voce Turturis* Ludouici Grauinæ, pag. 8. (cuius libri *Collectorem & Excerptorem* ſe palam profitetur Auguſtinus Ardinghellus) Auctorem Caueæ Turturis *fingere, ſe patrocinium Bellarmini*

Fatetur Aduerſarius caueam Turturis non à Ieſuita, ſed hoſte Ie-

Qui autem tibi credit affirmanti, cur non etiam mihi credat neganti? nec ſatis eſt, ſi dicas, *hanc eſſe opinionem plerorumque omnium.* Eſt enim antiquiſsimus hic mos calumniatorum, teſte S. Hieronymo, epiſtola ad Furiam, vt de fama aliorum detracturi, *rumores turpiſsimos ſerant, & quod ab ipſis egreſſum eſt, id ab alijs audiſſe ſe ſimulent, ijdem auctores & exaggeratores.*

Apertum mendaciũ Grãmatici.

Manifeſtum profectò mendacium eſt, in vlla Eccleſia Societatis fieri, vt vel vna fœminarum, (*nedum complures*) *confeſſarium, tantùm non quotidie accedat, & duabus tribúſue horis cum illo ſermocinetur.* Non enim ſolùm ſacerdotibus noſtris tantum otij non conceditur, vt omnes quibus Ieſuitarum vita eſt perſpecta, norunt, ſed etiam Rectores Collegiorum conniuere in ea re nequaquam poſſunt, cum verbis explicatiſsimis *Regula Sacerdotum* 16. & 17. confeſſarijs grauiter mandet, vt *in audiendis confeſsionibus fœminarum, ſeueros potiùs, quàm familiares ſe exhibeant; eas autem, quæ crebriùs confitentur, breuiter expediant, nec de rebus ad confeſsionem non pertinentibus in confeſsione loquantur: extra confeſsionem verò ſi oporteat eas alloqui, longum ſermonem ne miſceant.* Si ergo iam duas, & tres ipſas horas eiuſcemodi ſermunculis contra regulæ præſcriptum quiſpiam dependeret, enimuerò non euaderet grauiſsimam obiurgationem, ſimúlque à *pœnitentiaria ſede* ſine mora certiſsimò dimoueretur.

Non

Non diffiteor quibuſdam in locis inueniri pias aliquas fœminas, quæ pluſquam tribus horis, etiam quotidie remaneant in Eccleſijs Ieſuitarum, aſsiduò diuinum Numen precibus & obteſtationibus percolentes, ac veniam cœleſtium irarum, finémque calamitatibus publicis expoſcentes; quarum inſtitutum, ſi maledico dente carpis, Grammatice, facis idem, quod tempore S Hieronymi fecerunt obtrectatores ipſius, à quibus vir ſanctus in circulis, in conuiuijs, in popinis, in tonſtrinis, fuit dirisſimis ſermonibus laceratus, quòd ſuo conſilio atque ſuaſu Marcellas, Melanias, Albinas, Felicitates, Paulas, Iulianas, Demetriades, aliáſque nobiliſsimas virgines & viduas ad capeſſendam melioris vitæ viam, ruptis vanarum ſolicitudinum vinculis, induxerit, ſtudióq; pias ante Deum preces & lachrymas diu noctúque proſternendi inflammârit. Quis autem hæc allatrare & rodere auſit, niſi quem non pudeat etiam in Prophetiſſam illam Euãgelicam conuitium iacere, *qua vſq; ad annos octoginta quatuor vidua, non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens, nocte ac die?* Lucæ 2.

Quantum porro fidei mereantur ea, quæ de ſalutatoribus, de Patre Generali, de nouorum nundinationibus in Ieſuitarum Collegijs adnectis, ex illo ſplendido ac multiplici mendacio tuo conijcere licet, quo aliàs erubeſcere neſciam tuam chartam, non paulò

feciſti fulgentiorem. *Rectores*, inquis, *ac prouinciales per orbem totum diſperſi, vi ſacramenti quo* (Generali) *auctorati ſunt, octauo quoque die ad eum ſcribunt.* In hoc autem te inſignitè falſidicum eſſe, ex ipſis Societatis Regulis demonſtro; quæ in *Appendice ad Regulas Admonitoris* §. *Formula ſcribendi.* n. 7. hæc habent. *Prouinciales omnium prouinciarum Europæ ſcribant ad Generalem ſemel quolibet menſe; Rectores autem & Superiores Domorum, & Magiſtri Nouitiorum tertio quoque menſe.* & n. 8. *Prouinciales Indiarũ ſcribant præpoſito Generali, quando ſe obtulerit nauigationis commoditas. Rectores verò & Superiores Domorum, ac Magiſtri Nouitiorum ex Indijs ſemel; ex Braſilia & noua Hiſpania bis in anno, ſi ſe obtulerit occaſio* Si iam ad calculum Lector reducat, quoties mentiendo, intra tam breuem periodum, veritatem contaminaueris Grammatice, inueniet ſubductam longè maiorem ſummam, quàm tu Antagoniſtæ tuo, grandi volumine, antehac in Hypobolimæo numeratim es admenſus; qui ſi adhuc viueret, nunc tibi medium oſtenderet vnguem, & cachinnatione falſiſſima, impudens os tuum poſtularet àd verberandum. Si enim ex integro & dimidio anno, item ex trimeſtri, & menſtruo ſpacio potes vnam hebdomadam conficere, ne tu omnes Arithmeticos vocaueris in certamen: neque amplius Troiæ obſidio fuerit decennis. Quod ſi octauo quolibet die tam Prouin-

De litteris Ieſuitarum.

uinciales, quàm Rectores omnes ex vniuerſo Orbe ad P. Generalem ſcriberent, tam immanis euaderet epiſtolarum cumulus, vt ad eas legendas, eidem Generali neq; mens, neque corpus, neque tempus poſſet ſufficere; vt ſileam de impenſis, quæ forent intolerabiles.

De qua re debeant Rectores & Prouinciales ſcribere P. Generali.

Vt autem omnes intelligant, qua de re ſoleant & debeant Rectores ac Prouinciales ſcribere Generali, etiam ex Regula id demonſtro, cuius hæc ſunt verba *Loco cit.* §. 10. *Superiores Domorum & Collegiorum & Magiſtri Nouitiorum ſcribunt ad Generalem, qua alicuius momenti fuerint, etiamſi approbante Prouinciali ſiant. Illa verò potiſsimùm ſcribant, in quibus Prouincialis admonitus, vel non prouidet, vel prouidere nequit, vel poſtquam Prouincialis cum illis tractauerit, ipſi ab eius iudicio diſſentiunt: ſed tunc quidem addant, quid Prouincialis reſponderit, & quibus rationibus ipſi ab eo diſſentiant; interim tamen ei per omnia obediant.* & §. 11. *Cùm Prouinciales ſcribent Generali, curabunt vt ſtatum Domorum & Collegiorum ſuorum ac totius Prouinciæ bene explicent, & ſuppleant, ſi quid intellexerint, quod ſuperiores Domorum & Collegiorum minùs declarauerint; & in vniuerſum ita ſcribere debent, vt Generalis omnium rerum, omniúmq; perſonarum, ac Prouinciarũ ſtatum, quoad eius fieri poſsit, ante oculos habeat.* Ex his omnium oculis ſubijcitur vaniſsimum illud commentum tuum, de tot

veluti alatis Mercuriolis, ac rerũ nouarum ad Generalem ex omni angulo nuncijs,cum ad eum nihil ſcribatur ab vllo, ſeu Prouinciali, ſeu Rectore, niſi quod pertineat ad Societatis gubernationem; quod vnum ſi rite atque ad normam *Regulæ* fiat, nihil cuiquam vacuæ chartæ commemorandis à noſtro *Inſtituto* tam alienis negotijs relinquetur: Ideo P. Generalem magis ſcire quid in toto orbe paſsim geratur, qnàm vllum Regem aut Principem tam falſum eſt, quàm quod falſiſsimum. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram;* Inquit S. Paulus; quæ Apoſtolica monitio vt Patrem Generalem minimè fugit, ita ab eodem, tanquam viro religioſo,& plurimis alijs in via virtutis prępoſito, ſic penſi haberi ſolet, vt ſuâ vitâ, ſuiſq; moribus, quos oculi totius Romæ intuentur, ſatis ſupérq; omnibus palam faciat, ſe multò meliori pabulo, quàm iſtis incertis nouarum rerum rumuſculis ſuam mentem ſaginare. Athenienſes & eorum imitatores huiuſcemodi *Rumigerulos* agant, nouiſq; aut hauriendis, aut percenſendis intenti ſint: ad Generalem Societatis nihil ſcire, *toto quid fiat in orbe, quid Seres, quid Thraces agunt; quæ bella gerantur:* quem magis delectat pia meditatio *Nouiſsimorũ*, quàm curioſa indagatio *Nouorum*.

Cæte-

Cæterùm quæ ex libro 7. c. 21. Ioannis Sariſberienſis pag. 52. 53. & 54. affers (à quo ais Ieſuitas ante 500. annos fuiſſe deſcriptos) ea more tuo falſis interiectis interpretationibus, mala fide, deprauas: deinde etiam doloſè diffuis, & aliter, quàm in authore illo legantur, connectis: denique in Ieſuitas quadrare, præter affirmationem tuam, nullo argumento probas.

Hinc tamen clariſsimè videmus, etiam ſuperioribus ſæculis fuiſſe repertos homines, qui ſacris Ordinibus obtrectare non vererentur. Horum ingentem catalogum cõfecit Ioannes VVolffius I. C. centuria 13. *Lectionum memorabilium*, qui in S. Dominici & Franciſci familias paulò poſt illarum primordia, furioſiſsimis chartis ſunt debacchati; inter hos recenſetur principe loco *VVilhelmus de S. Amore*, Magiſter Pariſienſis & Canonicus Belouacenſis; Odo de Doaco, Nicolaus de Baro ſuper Albam, Ioannes de Sicca villa Anglicus, & alij. Obijciebantur autem religioſis illis viris ſequentia, eodem referente VVolffio.

Iiſdem calumnijs nunc impetuntur Ieſuitæ, quibus olim Dominicana & Franciſcana Familia.

1. *Quod prædicant non miſſi, vel non canonicè miſſi.*
2. *Quod prædicant contra, vel præter veritatem diuinæ ſcripturæ.*
3. *Quod penetrant domos, id eſt, rimantur proprietates cuiuſque.*
4. *Quod quærunt vanam gloriã huius mundi.*

5. *Quod commendant ſeipſos, & oſtentant ſua opera.*
6. *Quod præferunt ſe alijs hominibus etiam religioſis.*
7. *Quod ingerunt ſe Curijs, vel amant fieri Curiales.*
8. *Quod vacant amicitijs huius ſæculi acquirendis.*
9. *Quod vt placeant hominibus, adulantur.*
10 *Quod oderunt eos, qui volunt illos probare vtrum ſint veri Apoſtoli.*
11 *Quod ſuper priuatis iniurijs iudicia & lites aſſumunt.*
12 *Quod amant curare negotia aliena, vt ſuauius viuant.*
13 *Quod prædicant propter quæſtum.*
14 *Quod importunè petunt, & indifferenter recipiunt nō ſolùm ad neceſſitates, ſed etiam ad otium & voluptates.*
15 *Quod circumueniunt homines fraudulenter, & res eorum blandè extorquent.*
16 *Quod quærunt cibaria lautiora.*
17 *Quod procurant ſe per maiorū epiſtolas cōmendari.*

S. Thomas Aquinas & S. Bonauentura pro

Ad has, aliáſque calumnias refutandas duo maximi viri à duobus *Ordinibus* ſunt conſtituti, videlicet S. Thomas de Aquino, & S. Bonauentura, qui integris Apologijs reſponderunt calumniatoribus; quibus tamen conſtans ſilentium non impoſuiſſent, niſi Apoſto-

poſtolica quoque ſedes tam illis, quàm poſterioribus temporibus, innocentiæ defenſionem ſuſcepiſſet, eámque, caninis dentibus eripuiſſet decretis & litteris, præſertim ex *Clementina*; vt videre eſt ex varijs Pontificũ vnica, de *Exceſſibus Prælatorum*; quæ incipit, *Frequens & aſſidua.* & ex cap. 3. Exijt, in 6. *de Verborum ſignificatione*, paulo poſt initium, vbi hæc leguntur. *Sed nec ſic contra Fratres ipſos minores, & contra Regulam hoſtis antiqui ceſſauit aſtutia, quin potius contra eos nitens ſuperſeminare Zizaniam, interdum æmulatores agitatos inuidia, iracundia, & indiſcreta inſcitia concitauit, mordentes fratres & eorum Regulam, quaſi illicitam & inobſeruabilem & diſcriminoſam caninis latratibus lacerantes, non attendentes hanc ſanctam Regulam, vt prædicitur, præceptis & monitis ſalutaribus inſtitutam, Apoſtolicis obſeruationibus roboratam, per plures Romanos Pontifices approbatam, & etiam per ſedem Apoſtolicam confirmatam, &c.* Ad horum Pontificum clara & illuſtria exempla, fecit quoq; Pius IV. Pontifex, vt antehac Societas Apoſtolicæ defenſionis clypeo haud timidè protegeretur; cuius hoc extat *Breue* ad Cardinalem Ottonem Truckſeſsium Epiſcopum Auguſtanum lectu dignum.

suis Ordinibus pugnarunt.

PIVS. PP. IIII.

VEnerabilis frater noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Poſteaquam renuncia-

Exemplũ defenſionis Pon-

tificiæ pro Societate.

ciatum nobis fuit de libellis probroſis, quos quidã, nec DEVM timentes, nec hominũm iudicia reuerentes, ad odium, infamiámque conflandam Ordini Societatis Ieſu, cõponere, & per Germaniam, aliáſque prouincias diſſeminare auſi ſunt: ſanè id grauiter tulimus, pro eo, ac rei indignitas, & tam grauis magnitudo ſcandali poſtulauit. Agnouimus artes, & verſutias hoſtis antiqui, qui cùm doleat in diuerſis ipſius Germaniæ partibus, & aliјs locis multa eius Ordinis, fuiſſe inſtituta Collegia, qui diuino cultui, & animarum ſaluti diligenter inſeruiant: eorum pia ac ſalutaria opera impedire conatus eſt, excitando obtrectatores iſtos, & impellendo; vt crimina, & probra aduerſus totum eum ordinem, & quaſdam perſonas nominatim cæteris notiores confingerent. Ea tamen crimina etſi falsò eis obiecta eſſe facilè quiuis intelligere poterat: nos tamen non eſſe omnino negligenda putauimus. Itaq; ad explorandam certiùs veritatem, negocium dedimus quibuſdam de collegio ipſorum Cardinalium viris admodum grauibus; vt diligenter de moribus & inſtitutis Collegij, quod in hac vrbe eſt totius Societatis caput, quærerent, & quæ comperiſſent, nobis referrent. Illi autem magna cura, nec minori fide mandatum noſtrum executi, renunciarunt nobis, & fratribus noſtris, crimina illa meras fuiſſe calumnias: ſe cùm diligenter, & ſeuerè in eius collegij mores, & vitam inquiſierint: comperiſſe eos viros bonos, & pios eſſe: ipſius verò ordinis inſtituta recta admodum & laudabilia. Cum igitur iudi-

cium, quod de huius Societatis innocentia, & pijs ac laudabilibus inſtitutis ſemper fecimus, hac inquiſitione non confirmatum modò, ſed etiam auctum fuerit, æquum eſſe, & ad officium noſtrum pertinere exiſtimauimus, veritati & innocentiæ teſtimonium impertire. Itaq; ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Maximilianum Romanorum Imperatorem electum, & ad nobilem virum Albertum Ducem Bauariæ, quorum in notitiam eos libellos perlatos eſſe audieramus; litteras de iſtorum maleuolorum impudentia dedimus, hortantes eos ne quam eorum calumniis fidem habendam putent: ſed collegia ipſius Societatis IESV, quæ apud ipſos ſunt, eâ, qua conſueuerunt, benignitate complectantur, & foueant; ac ſtudiis ſuis bona eorum opera adiuuent. Etſi autem ſcimus, quantopere tu ſemper eam Societatem dilexeris, propter eius præſtantia in religionem Catholicam merita: tamen hortandum te quoque duximus, dilectiſſime frater, vt exiſtimationem eius à tam impudentibus calumnijs quàm diligentiſſimè poteris, tuendam ſuſcipias: & odium, atque infamiam, quam diabolico inſtinctu nonnulli ſuæ ipſorum ſalutis, & famæ prorſus immemores, labijs ſuis iniquis, & lingua doloſa in eos excitare conati ſunt: pro tuo perpetuo diuini honoris Zelo, & ſalutis animarum ſtudio reprimere ſtudeas. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXX. Decembris. M. D. LXIV. Pont. Noſtri. Anno quinto.

Finio hoc caput de odio in Ieſuitas, non

finio

finio odium quod duraturum eſt, quam diu in Chriſti veſtigijs ſequendis illi durabunt. Non eſt igitur, cur ſe terreri patiatur Societas. Nunquam omnibus placebit: *& ſi adhuc placere hominibus vellemus, ſerui Chriſti non eſſemus.* Hoc odium caput noſtrum Chriſtus ſuſtinuit. *non eſt dignus qui ſit in corpore, qui odium ſuſtinere non vult cum capite.*

Caput Tertium.

AVGVSTINI ARDINGHELLI Paradoxa Ieſuitica.

ISTum videlicet titulum præfixit Proteus noſter ſuo tertio Opuſculo, quo ait contineri *impias, nefarias, ſcandaloſas, & peſtiferas Ieſuitarum Germanicorum ſententias, aduerſus omnes religioſos Ordines, quarum omnium neceſſaria, ſolida & modeſta refutatio habeatur in Congeminata Voce Turturis Dominici Grauinæ Theologi Dominicani, Neapoli nuper edita, Anno* 1633.

Confictũ authoris nomen. Sed commentitium atq; adſcitum hoc nomen *Auguſtini Ardinghelli* eſſe, ex eo ferè cæcus videat, quòd iterum in toto hoc ſcripto appareant plurima vbiq; veſtigia, quæ Grammatici noſtri pedem, æquali prorſus per omnia dimenſione, ita referunt, vt ſiue

mate-

materiam, ſiue ſtylum, ſiue ſcopum conſideres, aliud dicere non poſsis, quàm illum ipſiſsimum auctorem eſſe, qui in *Actione perduellionis*, in *Anatomia Societatis*, in Fr. Iuniperi *Conſultatione*, & in toto hoc libro *Arcanorum*, ſimilia, ſimillimo artificio, & propè ijſdem verbis ac lineamentis finxit, pinxit, ſculpſit, excudit. Quare licet totus oculus eſſes, omnéſq; mundi angulos, item vt ſol lumine ſuo, perluſtrare poſſes, nuſquam tamen *Auguſtinum Ardinghellum*, niſi intra cutem Grammatici noſtri inuenires; qui in Heluetia, hæc ipſa, quæ de Carolo Craſſo Imperatore in iſtis Paradoxis pag. 97. 98. & 99. leguntur, iam ante, quàm typis in lucem ederentur, quodam in monaſterio, præſente legato Catholicæ Reip. Lucernenſis, moleſta garrulitate, & audaci verborum iactatione faſtidioſiſsimè, contra Imperatorem noſtrum Ferdinandum,& Ieſuitas declamitauit; quemadmodum, qui interfuit, ſuis litteris eſt conteſtatus; cuius mihi ſtatim in mentem venit, ſimul ac legendi iſtius infamis ſcripti copia facta eſt.

Cum *itaq; in ipſo limine lectorem ſuppoſito nomine fallat*, quid in reliquis de illo ſperare habeamus, non difficile eſt intelligere.

Cæterùm Paradoxa Ieſuitica, quæ à pag. 58. vſque ad pag. 70. recenſet, & ex *Gemitu Columbæ* Bellarmini, & ex *Cauea Turturis* excerpta eſſe dicit, poſſum juſtiſsimo ſilentio præ- Cauſæ cur poſſem ſilentio hæc para-

doxa prę- terire. præterire. 1. Quia *Gemitus Columbæ* Bellarmini, per Magiſtrum S. Palatij Romæ publica auctoritate fuit approbatus, abſque vlla ſuſpicione *de ſub: & obreptionis vitio,* vti videre eſt in ipſo libello. Non ergo credibile eſt, in eo *impias, nefarias, ſcandaloſas & peſtiferas ſententias* contineri; proinde libellus hoc ſolo ſcuto munitus, ſatis ſeipſum cõtra quemcunque accuſatorem, nedum contra eiuſcemodi manifeſtum calumniatorem tueri poteſt: neque opus habet alia defenſione, aut ſi opus habet, ea pertinet ad reuerendiſsimum Magiſtrum S. Palatij; cui haud dubiè ſtudio erit, vt partes officij ſui non omittat, & Romæ *impia, nefaria,* ac *peſtifera* non fuiſſe approbata demonſtret. 2. Bellarminus etiam S. R. E. Cardinalis fuit: Ergò cauſa illius ad Romanum tribunal ſpectat; præſertim cum infamia illi inuſta, in ipſorum quoq; Eminentiſsimorum Cardinalium non leuem ignominiam perſpicuè cedat. Quem enim Purpurati illi Patres inter eximia ſui ſacri Collegij decora atq; ornamenta numerant, fideíque Catholicæ *propugnatorem maximum* appellant, hunc collocat *Ardinghellus* in principe loco eorum, quos ait *ſententias impias, nefarias, ſcandaloſas, & peſtiferas* euulgaſſe; perinde, quaſi Bellarminus impiorum ſcriptorum Dux & ſignifer fuiſſet, facémq; illis ad doctrinam peſtilentem ac nefandam prętuliſſet; quæ honorem Cardinalitij Ordinis pro-

Grauiſſima iniuria Collegio Cardinalium illata à Proteo.

profectò grauiſsimè lædunt: quem ſartum tectum nemo maiori jure cuſtodiat, quàm ij, quorum quàm maximè intereſt. 3. Per hæc *Paradoxa* præbetur ampliſsima occaſio ruinæ *Acatholicis*, qui & confirmabuntur in obſtinatione erroris ſui, & ſuauiſsimè ſibi gratulabuntur conſpecto hoc vulnere, quod non ſolùm Bellarmino, ſed & toti Cardinalium Collegio gladiator iſte inflixit. Quid enim poſthac authoritatis erit apud hæreticos Bellarminianis libris, ſi animos ipſorum perſuaſerit opinio, Bellarminum Cardinalem *impia, nefaria, ſcandaloſa & peſtifera* in ſua vltima ætate ſcripſiſſe? Offendiculum autem tam exitioſum de medio tollere quis meliùs poteſt, quis iuſtiùs debet, quàm Apoſtolica Sedes, cui ſuprema Eccleſiæ cura eſt à Deo commiſſa? Ex his ſatis liquere puto, mihi non leuia ſuppeditare argumenta, cur manum retrahere debeam à Bellarmini defenſione, & cauſam hanc grauiſsimam alijs qui maiore poteſtate pollent, relinquere, ne, quæ ſupra me ſunt, agere, aut in alienum agrum videar meam falcem immittere.

Caueam Turturis quoq; ex ipſius Aduerſarij confeſsione facilè oſtendam ad Ieſuitas nihil attinere. Ait enim ille in *Congeminata Voce Turturis* Ludouici Grauinæ, pag. 8. (cuius libri *Collectorem & Excerptorem* ſe palam profitetur Auguſtinus Ardinghellus) Auctorem Caueæ Turturis *fingere, ſe patrocinium Bellarmini*

Fatetur Aduerſarius caueam Turturis non à Ieſuita, ſed hoſte Ie-

ſuitarum factam.

mini & Societ. IESV ſuſcipere, ſed vt Societatem deijciat: & pag. 9. Auctorem Caueæ *ſub patroni & aduocati pallio ſicam occultare, vt mactet & perdat*, & poſt pauca eundem vocat, *Britannicum, fictum propugnatorem Societatis, & eiuſdem oppugnatorem.* & pag. 11. (adſtipulante Grauina) *appellat eum Anonymum de Britannorum vicinia, qui Catholicum ſe eſſe ſimulet.* Quibus clariſsimè euinco, Ardinghelli ſententiâ, *Caueam Turturis* non eſſe Ieſuitis attribuendam; quorum aliquem *fictè patrocinium Societatis ſuſcipere*, non *propugnatorem*, ſed *oppugnatorem* illius & *ſimulatum catholicum* eſſe, *eámque hoſtiliter deijcere, mactare & perdere velle* tam ridiculum eſt dicere, quàm fatuum credere. Quare ſi res ita ſeſe habet, nil cauſæ ſupereſt, cur Societas magnopere ſit ſolicita vt pro ijs reſpondeat, quæ ex Cauea Turturis depromuntur. Quis enim niſi iniquè à me exigat, vt pro meo hoſte in jus veniam, & cauſam dicam?

Cauea Turturis ineptè ac ridiculè adſcribitur P. Iacobo Kellero.

Neq; quidquam momenti habet, quod Ardinghellus, *Arcanorum* pag. 58. Patrem Iacobum Kellerum nominat Caueæ authorem, nam omnes Ardinghellum falſitatis arguent, quicunq; vel duas pagellas in ſcriptis Kellerianis legerint, à quibus *Cauea* ſtylus, ſiue acumina ſententiarum, ſiue dictionis Romanæ breuitatem & neruos ſpectes, toto cœlo diſtat; quod ipſum iterum ſatis eſt argumenti ad perſuadendum Lectori, vt Ardin-

Ardinghellum iſtum pro inſigni ſutore & ſartore mendaciorum habeat, quandoquidem in nullo veſtigio firmus conſiſtit, ſed leuiſsimè à ſeipſo deſciſcit, & aliud ſtans, aliud ſedens dicit; quemadmodum etiam in Congeminata Voce Turturis pag. 11. fecit, vbi *Cardinalem Bellarminum ait piam mentem habuiſſe, deplorando negligentium cœnobitarum teporem;* & tamen in libro *Arcanorum* pag 58. collocat inter *nefarias, impias* & *peſtiferas* ſententias, illud Bellarmini dictum, *in religioſis Ordinibus grauia & orbi nota reperiri ſcandala;* quaſi verò *pia mentis* ſit, *impia nefaria, & peſtifera* ſcribere, ac in vulgus emittere. Conſimilis vertigo & antilogia eſt in eo, quòd pollicetur ſe Ieſuitarum Germanicorum ſententias producturũ, & poſtea pro Germanis obtrudit nobis *Italum* Bellarminum, & *Britannicum Cauea* Auctorem. Ardinghellus ſibi non conſtat.

Verum enimuerò ne glorietur Aduerſarius in malitia ſuâ, & ob meum ſilentium Ieſuitas, veluti victos ceſsiſſe, ac manum ſuſtuliſſe exultans vociferetur, neceſſarium duco, breuiter aliquot inſigniora ſpecimina fallaciarum proponere, quibus ille in commemorandis Ieſuiticis iſtis paradoxis, vt vocat, ad fucum faciendum eſt vſus. Specimina fallaciarum Ardinghelli.

I. Fraudulenter reticuit capita & paginas, in quibus tales ſententiæ reperiantur; ſine dubio ob eam cauſam, ne falſitati citò

H inte-

integumenta detraherentur, inſpectis ſcil. illis libris, qui in Germania facilè haberi poſſunt. E contrario in *Voce congeminata Turturis* Neapoli Typis edita, vbi iſti libri non ſunt parabiles, & paginæ, & Auctores diſtinctè exprimuntur; inſidioſè ab Aduerſario facta eſſe quiuis haud difficulter videt.

II. Capite 1. n. 2. hæc verba tribuit Ardinghellus Caueæ: *proinde talia eorum ſcandala ſunt publicanda, quando de illis eſt fama publica, & Regulares lapſi de illis non ſatisfecerint:* quæ tamen in Cauea pag. 15. & 16. non habentur, vbi ſolùm oſtenditur, ſicuti S. Paulus ad Hebr. 6. ob publicam famam illi genti quædam crimina obiectans, ſuam monitioné ab integerrimo affectu proficiſci per illa verba docuit; *Tametſi ita loquimur; confidimus autem meliora;* ita & Bellarminum ſinceriſsima mente, religioſos quoſdam à ſtudio virtutis palàm deflectentes, in viam ſuis lachrymis reuocare voluiſſe; non vt proſterneret, ſed vt erigeret: non vt infamiâ notaret, ſed vt ab ea liberaret. Quis autem dicit hoc nefarium eſſe & impium?

III. Eod. cap. n. 3. *Iuſtiſsimè infamari poſſunt religioſi, quando ipſi propriam famam prodigunt. Nam & iuſtiſsimè peccator hâc quoque pœna mulctatur, vt qui beſtijs aſsimilatur, famæ etiam dignitate priuetur.* Hanc ſententiam ex pag. 125. & 126. Caueæ accepit, ſed truncatè, & compage verborum ſolutâ; ſic

h. enim

enim habet Cauea poſteriore loco: *Quando igitur Regulares quoq; propriam famam* SVIS EXCESSIBVS *miſerè prodigunt, atq; inſuper ſuos commilitones, præſides & totum Ordinem grandi ſubijciunt deſpectui, ſtigmate omnino digni ſunt:* quæ verba quantum diſcrepent à verbis Ardinghelli, perſpicuè liquet. priore autem loco pro ſe adducit Caueæ auctor S. Thomã, 2. 2. q. 64. a. 2. ad 3. & quodammodo etiam verbis illius; quod diſsimulat Ardinghellus.

IV. Eod. cap. n. 4, *Ex ſtudio emendationis & ſpiritualis profectus gratiâ, ex DD. ſententia licitum eſt aliorum defectus recenſeri.* Reſp. verba Caueæ pag. 253. iſta eſſe. *Cum quis publicè nota alicuius delicta recenſet, præſertim emendationis ſtudio, & profectus ſpiritualis gratiâ, rem facit DD. ſententiâ licitam & ſanctã.* Videtis quomodo Ardinghellus fallaciter omittat illa verba, *publicè nota?* quæ tamen ſunt maximi momenti ad demonſtrandum, cum Caueâ conſentire Doctores: ſic enim illi: *Hiſtorici Zelo publici boni ad aliorum exemplum peccata non omnino occulta licitè ſcribunt.* inquit Sa, v. *Infamare*, n. 4. editionis expurgatæ à M. S. Palatij; cui ibid. adſtipulatur Sotus lib. 4. q. 6. a. 3. Val. Caiet. Maior. Si ergo cuiuis Hiſtorico ſcribere talia licet, cur non liceat S. R. E. Cardinali?

An Hiſtorico ſcribere liceat mala publicè nota?

V. Eod. cap. n 5. *Diſputando contra hæreticos non poſſumus Religioſorum defectus manifeſtare,*

poſſumus autem cùm paranetice loquimur, ſiuè cùm eos ad pœnitentiam hortamur. Ita hoc loco ex Cauea Ardinghellus; In *Congeminata verò voce Turturis* pag.23.verba Caueæ ſic referuntur. *Quando ſtylum acuimus contra hæreticos, tunc defectus religioſorum exemplare non poſſumus, poſſumus verò cùm paranetice loquimur.*

Reſp. 1. Hæc ſententiarum diuerſitas manifeſtè docet ab Aduerſario rem iterum dolis geri. Nam *exemplare defectus*, vt Grauinæ liber habet, & *manifeſtare defectus*, vt habent Arcana, non parum differunt. Prius eſt per exempla (quæ ſunt ſingularium) ſigillatim; poſterius autem generatim religioſorū peccata enumerare: prius nec Bellarminus fecit, nec Caueæ author fieri poſſe dixit: 2. Neutro modo Cauca loquitur pag. 34. ſed quia obiectum erat à Grauina, cur Bellarminus olim contrà hæreticos laudauerit religioſos Ordines, nunc autem, quaſi ſibi contrarius, in Gemitu Columbæ vituperauerit: reſpondet Caueæ author, ſtatum quæſtionis hîc alium eſſe. Hæreticis vniuersè religioſos Ordines damnantibus opponenda fuiſſe viua & illuſtria Ordinum membra omni laude digniſsima, à quibus Eccleſia non deſtructa, ſed ædificata fuerit: in Gemitu Columbæ verò illuc maximè ſpectaſſe Bellarminum, vt ſuis & aliorum lachrymis, malos quoſdam religioſos ab improbæ vitæ licentia ad bonam frugem reduceret. Nec ſibi ipſi ad-

aduerſari, qui *viua* membra Ordinum laudat, *mortua* autem vituperat. Atq; hoc totum eſt, quod habetur in Cauea: verba autem ab Aduerſario allata ſunt conficta.

VI. Cap. 2. n. 1. *In Ordinibus religioſis non Centuriæ, ſed nec decades perfectorum numerari poſſunt:* Reſp. poſtquam auctor Caueæ pag. 119. ex S. Gregorio 13. Moral. c. 16. dixiſſet; *Sape Electorum conuerſionem plus finiendo peragere quàm proponat inchoando, & ſi tepidiùs prima inchoauerit, feruentiùs extrema conſumere: ideóq; tales exiſtimare, ſe ſemper inchoare, vt infatigabiliter in nouitate perdurent;* ſubdit hæc verba: *Horum ego non tam centurias, ſed vel decades mihi annumerari poſtulo; ne illud ex triuio accipere cogar, nunc pro magno habetur, ſi quis primi feruoris partem poßit retinere. Thom. de K. l. 1. c. 11.* Ex quo videmus illud dictum non eſſe in Cauea, *nec decades perfectorum numerari poſſe:* ſed in ea poſtulari tantùm, vt annumeret Grauina decades talium, qui primum in vitâ ſpirituali feruorem non modò conſeruent, ſed etiam magnis acceſsionibus augeant: Quo loquendi modo non indicamus, aliquid omnino fieri non poſſe, ſed non tam facilè fieri.

VII. Cap. 2. n. eod. *proinde non niſi cum ætatis noſtræ dedecore antiquiorum agmina recenſentur, cùm hodiernorum religioſorum mores ſint veteribus ſanctis tam diſsimiles* Reſp. in Cauea pag. 97. iſta legi; *Vtinam quoq; Grauina à*

tu verſari. vbi videt Lector, ab Ardinghello ſuperlatiuum *florentiſſimo* in poſitiuum ſubdolè fuiſſe mutatum. quod non eſt leue diſcrimen; quia non eſt idem, *eſſe minimè floridum*, quod *non eſſe florentiſſimum.* poſſum enim verè dicere, aliquem *non eſſe doctiſſimũ*, quem tamen non poſſum dicere, *minimè doctum.* Similis eſt ratio paginæ 89.

IX. Cap. 2. n. 5. *Religioſi Ordines cùm ante, tum poſt Concilium Tridentinum deformati.* Sed paginâ 41. Caueæ nihil dicitur de tempore, Concilium Tridentinum antegreſſo: pagina autem 49. nulla prorſus fit mentio illius Concilij; & tamen hæ duæ paginæ indicãtur in Congeminata voce Turturis pro iſto paradoxo. pagina denique 89. expreſsè monet Cauea, Bellarminum in Gemitu Columbæ *non eos, qui ante Concilium Trid. vixerunt, defleuiſſe, ſed viuentium ac militantium in Ordinibus conditionem.*

X. Cap. 2. n. 6. *Flammis ardet antiqua portio domus Chriſti, veterum ſcilicet ordinum.* Verum ſi inſpiciamus Caueam pag. 81. comperiemus iterum grandem fallaciam aduerſarij. En Caueæ verba longè alia! *Ne verò ſcandala regularium efficiant, quod poſſunt & ſolent, quis vel Herculea claua impediet? Ardet domus antica pars, Grauina prohibet in flammas armari, vndas conuehi, tigna ignibus vſtulata ſubtrahi: ſatius fore, ſi poſticam à volantibus fauillis communiam, edicit:* Annon manife-

ſta eſt hæc corruptio verborum? aliud enim eſt *Antica pars domus*; aliud *antiqua domus*; vt taceam, Ardinghellum non niſi nodum in ſcirpo hîc quærere.

XI. Ibid. n.7. & 8. *Vix ſeni aut deni produci poſſunt ex vniuerſis Religioſorum chronicis, qui in Teutonico Imperio doctrina, aut ſanctitate floruerint.* Etiam hîc eſt inſigniter falſaria Ardinghelli manus. Miratur Caueæ autor pag. 235. cur Grauina ad obſtruenda ora hæreticorum in Germania adducat ex Regularium Chronicis exempla ab extremis Orientis & Occidentis finibus, ac vltima Thule, Iberis quoque & Britannis accerſita, & non potius ex R. Imperio? quandoquidem in Imperio non defuerunt viri in omni virtutum genere illuſtriſsimi. Ex hoc ipſo hæreticos magis firmari in ea opinione, religioſos in Germania frugi bonæ non eſſe. *Quorſum* (inquit) *tam longè petita merces? an domi apud indigetas & accolas non erat ſaluzza, cæmentum & ſterilis arenæ copia? Planè non reperit Grauina: vix ſenos aut denos ex vniuerſis regularium Chronicis producere potuit, qui in latiſſimo Teutonia Imperio ſingulari ſanctitatis, doctrinæ, aut dignitatis laude floruiſſent; Non quod nulli eſſent,* (NB.) *ſed quia Grauina maluit peregrinâ glebâ memorata ſepulchra oppilare; & hoc ipſo peſſimè occluſit; hæretici enim maximè in opinione cõfirmantur, quòd intra ſuarum regionum fines nihil generoſum & excellens, ſed meri pepones,*

nes, allia, & naſturcium naſcantur. Hæc Caueæ author: vnde clariſsimè cernimus, eum non dicere, *vix ſenos aut denos produci poſſe, qui ſanctitate floruerint in Imperio:* ſed tantummodo querelam habere contra Grauinam, quòd ipſe non plures produxerit, cùm tamen non deeſſent è Germanis ſanctiſsimi quoque viri; vt illa verba demonſtrant, *Non quod nulli eſſent, &c.* quæ tamen verba dolosè aduerſarius occuluit.

XI. Cap. 3. n. 1. *Pauci reperiuntur in Religionibus mendicantibus apti ad miſsiones, & conuerſionem infidelium.* Reſp. Cauea (pag. 98.) non habet vocabulum *apti*, ex quo tamen totius ſententiæ vis maximè pendet. *Ex mendicantium gregibus* (inquit autor Caueæ) *quotus quiſque vel Indorum, vel Hæreticorum, Iudeorum, ac Saracenorum auxilijs inſudat, ita ſaltem, vt qui ad tanti operis molem apparatus eſt neceſſarius, nequaquam prætermittatur?* Viden diuerſitatem? Nonne aliud eſt, *aptum eſſe ad miſsiones;* & aliud, *nihil prætermittere eorum, quæ ad miſsiones neceſſaria ſunt?* Multi enim ſunt apti ad res præclariſsimas gerendas: ſed horum non omnes omnia præſtant, quæ ad glorioſa facinora requiruntur. Ergo falſidicus etiam hîc eſt Ardinghellus.

XII. Cap. 3 n. 3. *Ad perfectionem non properant, qui pauculis ſæcularibus conuertendis inſiſtunt.* Caueæ verba pag. 99. hæc ſunt; *Qui ſcripſit de conuerſione omnium gentium, negat*

illos Ordines ad perfectionem properare, qui pauculis ſæcularium conuertendis inſiſtunt. Itaque Cauea tantum recitat, quid alius (quem exiſtimo Thomam à Ieſu Carmelitam eſſe, cuius eſt liber de conuerſione omnium gentium) de hac re dicat: hunc ergo accuſet Ardinghellus, ſi placet.

XIII. Cap. 4. n. 2. *Semel collapſus ordo nunquam, aut vix reformari poteſt;* Reſp. poſtquam auctor Caueæ pag. 38. dixiſſet, à Grauina in Voce Turturis, præf. ad Lectorem, *magni loco miraculi prædicari, quod Antiqua Regularium familia nunc temporis, velut ex propria morte reuiuiſcant fortioreſque reſurgant, & tanquam reciſum lignum rurſus comam faciant, ac veris amænitate veſtiantur;* ſubdidit hæc verba; *Quæ prorſus ex mente Gerſonis (parte 2. in defenſ. Carthuſianorum) dicuntur, qui velut in prouerbio habuit, ſemel collapſam Religionem nunquam, aut vix reformari poſſe.* Hinc luce clarius eſt, auctorem Caueæ iterum aliena tantùm verba retuliſſe; eáque ſententiæ Grauinæ conſonantia; quòd mala fide reticet aduerſarius. Si autem impium & nefarium eſt dictū hoc Caueę, hanc culpam quomodo effugiet Gerſon, & ipſe Grauina? Annon de ijs rebus, quæ ſine miraculo fieri non poſſunt, aut vix poſſunt, rectè dicimus, ea (*ordinariâ* ſcilicet viâ) nunquam, aut vix fieri poſſe? Atqui Grauina dixit miraculum eſſe, Ordines ex propria morte reuiuiſcere, quod perinde eſt, ac

ſi di-

ſi dixiſſet, Ordines collapſos difficillimè *reformari*, aut nunquã. Equidem *Reformationem* talium Ordinum eſſe rem perarduam, & ſummis impeditam difficultatibus, ſolidiſsimè quinque rationibus demonſtrat Niderus lib. 2. de Reform. Relig. c. 4. & 5. vbi inter alia etiam hoc vtitur argumento. *Templum Ieroſolymis deſtructum,* inquit, *quod per Zorobabel readificari cœpit, & in ſeptem annis compleri potuit, in quadraginta ſex annis primò completum eſt, impedientibus malis hominibus, vt patebit infra c. 12.*

XIV. Cap. 4. n. 3. *Olim Religioſi Ordines ſic potuerunt effloreſcere, vt toti eſſent abſq; ruga & macula, totíque ex viuis membris conſtarent.* Reſp. hæc quidem reperiri in Cauea pag. 182. & 183. ſed vnà cum teſtimonio Bzouij Anno 1216. n. 12. quod itidem malè diſsimulauit Ardinghellus. *Cùm n. S. Dominicus Dæmonem adiuraſſet, vt de ſuis & S. Franciſci diſcipulis, quid prada caperet, ſecurus fateretur, reſpondit cum eiulatu, nunc quidem ſibi nihil ex illis obuenire, futura autem infinita ſpolia, vbi deuotio refrixerit.* Diſce hinc Lector, quomodo inuidia hominem excæcet! Grauiſsimè conqueritur, Aduerſarius cum Grauina, Ordines religioſos ab Auctore Caueæ vituperari; & nũc cùm ab eodem laudantur, eam laudem ipſe inter impias & nefarias ſententias numerat. Quid tandem faciendum eſt, quod inuiſo dente non carpat liuor? Annon poteſt dici,

omnia membra fuiſſe tunc viua in illis Ordinibus, quando malus dæmon nulla ex ijs habuit ſpolia?

XIV. Cap. 4. n. 4. *Pauciſſimi religioſi piè victuri ſunt, aut ſaluabuntur.* Reſpond. Hîc quoq; egregiè impoſuit Lectori Ardinghellus. In Cauea pag. 8. recitat auctor ex Gemitu Columbæ ſequentia: *Fortaſſe noſtris temporibus impleri, quod S. Pachomij tempore contigit vaticinium, nonnullos regularium piè victuros, plurimos Regulam neglecturos, ſuámq; penitus ſalutem perdituros eſſe.* Hæc quæ à Bellarmino dubiè & cum adiectione voculæ *Fortaſſe*, dicuntur, mentitur, Aduerſarius, eſſe in Cauea *ſimpliciter* dicta; cum tamen nemo ignoret, quantum interſit, diſcriminis. Deinde Grauina ipſe in Congeminata Voce Turturis pagin. 36. contendit, peſsimè & contra omnem Grammaticam exponi *nonnullos* per *pauciſſimos*: Ergo Grauinæ iudicio, peſsimè egit Ardinghellus, quando pro verbis illis Caueæ: *nonnulli regularium ſunt piè victuri*, poſuit *pauciſſimi religioſi ſunt piè victuri.*

XV. Cap. 5. n. 1. *Non demonſtrant florentem Ordinum ſtatum palma eorum, qui pro Chriſto obierunt, & in Chronicis Ordinum leguntur.* Reſp. Cauea pag. 94. loquitur S. Cypriani verbis, de ſingul. Cler. neq; negat, quin Ordinibus glorioſum & perhonorificum ſit, habere martyres: ſed conatur tantummodo

demon-

demonſtrare, Grauinæ argumentum neruo carere, quando ex multitudine martyrum putat ſequi, vt ſanctitate & vniformi vitæ exemplo omnes illi ante martyrium floruerint; Fieri enim poſſe, vt aliquis, qui prius non optimè vixit, repente ab ethnicis aut hæreticis ad necem pro fide rapiatur; & talem, ſi de peccatis commiſsis doleat, martyrem fore; non tamen dici poſſe, eum priùs ſanctimoniâ vitæ floruiſſe. S. Cyprianum enim apertè ita ratiocinari: *Nolo mihi de Martyrio quiſquam moueat actionem: quia ſæpius & machi, & ſanguinarij, & ebrioſi, & omnium ſcelerum rei, reperta pugna occaſione conuerſi meruerunt ad Martyrij palmam peruenire &c.* Itaq; aut in crimen quoq; vocandus eſt S. Cyprianus, aut Caueæ author à crimine abſoluendus; non tamen Ardinghellus à dolo, qui veritatem ſilentio ſuppreſsit. De Martyribus.

XVI. Cap. 5. n. 2. *Inaniter recenſentur ad hæreticorum confuſionem miracula, martyria, duritia & rigor vitæ, vel pænitentia in religioſorum Chronicis deſcripta, cum hæc illi pro ſuperſtitionibus & ſomnijs habeant.* Reſp. etiam hîc aduerſarius ſuum ſolenne tenet, hoc eſt, doloſè duo verba præſcindit, quæ totam ſententiam reddunt aliam. En verba Caueæ pag. 233. & 234. quibus Grauinam auctor alloquitur. *Quid peroras apud illos, quorum mens falſis perſuaſionibus occupata veritatis lucem capere non poteſt. Vbi oculus nequam eſt, totum*

cor-

corpus tenebroſum erit, & inſtar noctis Aegyptiacæ. Tolle prius glaucoma ab oculis hæreticorum, fac vt recipiant, quæ extra ſacras litteras traduntur, vt ſupremum in Eccleſia Ordinum inſtitutorem agnoſcant, vt de Euangelicis conſilijs & Regularium votis credant, quæ oportet, & ſimilia Eccleſiæ dogmata venerentur. SINE HIS *ridiculè hæretico Ordinum Chronicas obijcies.* Quid eſt hîc impij! quid nefarij, niſi fallacia Ardinghelli?

XVII. Cap. 5. n. 4. *Ad faſtum & ſpumas huius ſæculi pertinent Doctorum & Inquiſitorum tituli; ac propterea eorum exemptiones, prærogatiuæ, & priuilegia commendari non debent.* Reſp. In Cauea pag. 177. & 178. non titulos iſtos carpi ſecundum ſe, ſed ſolùm inſolentiam & iactationem huiuſcemodi titulorum, non niſi *ad plauſum Orbis* directam; quã ad faſtum inanem pertinere nec ipſe Grauina negauerit. Audiamus Caueam. *Deinde offeremus eis magnorum officiorum nomina & Doctorum S Theologiæ, Regalium profeſſorum, Archiepiſcopalium, adde Electorum Imperij Conſiliariorum, S. Officij Inquiſitionis aſſeſſorum, Regum & Induperatoris Confeſſariorum, Cathedralium & Archiducalium Concionatorum, & quidquid ſublimius Mundi faſtus ſpumare poſſit. Quid nobis reſpondebunt? &c.*&poſt pauca.*Iam etiam illorum frontem ac ſupercilia conſiderabimus, qui paulo ante Rectorum, præpoſitorum, Prouincialium Viſitatorum, ac profeſſorum in Vniuerſitate inclyta mune-*

munera, non ſine multorum ſatisfactione geſſerunt; nunc autem depoſiti inter reliquos Societatis filios priuatim degunt. Quot inuenies exemptiones, præſcriptiones, prærogatiuas, & indulgentias præteritis laboribus, & in omnes beneficijs collectas? Neque micam præ cæteris Sacerdotibus reperies. Hîc duo obſeruanda. 1. non dicit Cauea, titulos Doctorum & Inquiſitorum *ad faſtum & ſpumas huius ſæculi pertinere*, ſed poſtquam iſtos titulos nominauit, addidit, *& quidquid ſublimius mundi faſtus ſpumare poſſit:* quibus verbis (vt dixi) non iſti *Doctorum* & *Inquiſitorum* tituli *per ſe* reprehenduntur, ſed faſtus mundi carpitur, qui titulis iſtis ad vanam gloriam abutitur. 2. Etiam non dicit vniuersè Cauea, *exemptiones, prærogatiuas & priuilegia commendari non debere;* Sed tantummodo indicat, ea in Societate Iesv vſitata non eſſe, ac proinde minus cauſæ haberi à maleuolis, quare Societatem de ſuperbia accuſent; An verò talia ſint in alijs Ordinibus admittenda & commendanda, nec verbulo diſputat Cauea. Aliam enim eſſe rationem Societatis in hac re, quàm plerorumq; aliorum Ordinum, nemo ignorat. Concedant ergo alij Ordines ſuis Magiſtris & Doctoribus *exemptiones* quantaſcunq; voluerint, non reprehendit Societas, nec inuidet: nos tamen *talem conſuetudinem non habemus.*

XVIII. Cap. n. 5. *Ad ordinum ſplendorem nihil*

nihil faciunt, qui ex ijs ad Epiſcopatus, Cardinalatus, & Pontificatus aſſumuntur. Reſp. Cauea longè alia dicit, pag. 101. *Nunc verò (inquit) Grauina grandem eorum Regularium Catalogum pertexit, qui in Eccleſia dignitates non ſine plurimorum admiratione & plauſu ſuccreuerunt &c. Horum omnium qualis quantúsq; quotidie prouentus accreſcat, in oculis mortalium florebit, nihil tamen ad controuerſiam noſtram conducet. Noli Grauina, per omnia Euangelicæ perfectionis arcana obteſtor, noli Regularium oculis Tiaras, Curules Sellas, fulgens oſtro amictum, & quidquid purpura tingitur, obijcere. Meminiſti non tam dicti, quàm præcepti Sapientis, Prou. 23. Ne intuearis vinum quando flaueſcit &c. S. Franciſcus elegit minorum cognomen, & alter eius inprimis veſtigijs ſectator Minimorum, ne vnquam Ordinum ſuorum Alumni Maiores, dici vel eſſe vellent. Patres Carthuſiani & Societas IESV ſpeciali ſe voto contrà dignitates muniuerunt. Quid reliqua gregis Chriſti, & in Perfectionis ſtudium iurata Regularium armenta facient. Ambire ſceleratum eſt, non ambire, vbi nobilitas, eruditio, Magnatum fauores, ſplendida in ordine miniſteria commendabilem reddiderint, vix erit mortalis hominis opus.* Hîc habes verba Caueæ: ſed nuſquam vides illa; *Ad ordinum ſplendorem* &c. Ergo etiam in hoc mendax fuiſti Ardinghelle. Non negat Cauea, Ordinibus aliquem externum ſplendorem accedere ex ijs, qui ad Epiſcopatus

patus & Pontificatus aſſumuntur: ſed negat ex hoc demonſtrari omnes in ordine eſſe Sanctos, eſſe à labe immunes ac liberos; imò putat abſonum extra modum & abſurdum, in Schola virtutis, in ſtatu humilitatis ac pænitentiæ fulgida dignitatum nomina religioſis viris obiectare, eorumq; animis, ſplédidarum iſtarum rerum cupiditatem inijcere, vel anſam ad talia concupiſcenda dare; cùm potiùs omnibus modis ad id impellendi ſint, *Vt ament neſciri, ac pro nihilo reputari; eligántq; abiecti eſſe in Domo Dei magis,* quam ſpecioſis coruſcare titulis: Hæc ſi benè dicta ſunt, *cur cadis* Caueæ auctorem? *Si malè; teſtimonium perhibe de malo.*

XIX. Cap.5. n.6. *Ab Epiſcopatu oculi auertendi ſunt, Vt à fœminis.* Reſp. Si oculos non auertiſſet à veritate Ardinghellus, iſta non carpſiſſet. *Monachum* (inquit Caueæ author pag.102.) *Veteres perinde ab Epiſcopo, Vt à fœmina oculos auertere iuſſerunt, quod æquè ambitionis illecebræ fugiendæ ſint.* Pro hac ſententia ad marginem adſcribitur Caſſianus II. inſtit. c.17. qui ſic loquitur: *Quapropter hæc eſt antiquitus Patrum permanens nunc Vſque, Monachum fugere debere mulieres & Epiſcopos. neuter enim ſinit eum, quem ſemel ſuæ familiaritati deuinxerit, Vel quieti cellulæ Vlteriùs operam dare, Vel diuinæ theoriæ per ſanctarum rerum intuitum puriſſimis oculis inhærere.* In hunc igitur authorem priùs effunde iram tuam, quàm in Caueam; ne

Cautâ dignus habearis. Certè Chriſtus ſe remouit ab oculis eorum, qui eum honoribus afficere voluerunt. Qui Chriſti veſtigia ardentiſsimè ſequũtur, oblatos honores, item, vt Chriſtus, fugiunt, & in latebras ſe abdunt, quod S. Gregorium Magnum, S. Ambroſium, B. Petrum Damiani, & multos alios feciſſe Hiſtoriæ teſtantur, & magnis laudibus celebrat Eccleſia in Breuiario, tum de illis, tum de alijs, vt videre eſt in Officio de S. Staniſlao 7. Maij. Lect. 4. de S. Vbaldo 7. Maij lect. 3. de S. Nortberto 6. Iunij lect. 6. de S. Bernardo 20. Aug. lect. 5. de S. Brunone 6. Octob. lect. 5. de S. Philippo Nerio fundatore laudatiſsimæ Congregationis Oratorij. 26. Maij lect. 5

Licet religioſis honores Eccleſiaſticos fugere.

Immo Amonius Monachus poſtquam ſibi auriculâ præcidit, minatus eſt etiam linguam præciſurum, ſi vrgere pergerent, qui illum ad Epiſcopatum importunè vocabant, Palladio teſte Sect. 11. Nicephoro lib. 11. c. 37. quod quin S. Spiritus inſtinctu fecerit, dubitandum non eſt: vt & de S. Marco, (quem ſibi ob ſimilem cauſam digitum amputaſſe aiunt) docet S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. Ex quo etiam ingens inſcitia Grammatici apparet, qui non videt fas eſſe religioſo, honores velut fæminas auerſari, ſi fas eſt eidem, & laudabile, illos aut exemplo Chriſti fugere, aut exemplo Nazianzeni, & Cæleſtini Pontificis iam poſſeſſos deſerere, aut de ijs non admittendis voto ſe obligare, quod Carthuſiani faciunt & Ieſu-

Ieſuitæ. Inſaniat autem, qui ob hanc ſententiam Caueæ Authorem velit de Wiccleffiſmo accuſare; Turtur maleuolè facit.

XX. Cap. 6. n. 1. *Vigiliæ, preces, lacrymæ, triſtiores inediæ, ſetoſa ſtragula, aſsidua verbera, & quidquid aſperitatis regula, vel cuiuſq; deuotio excogitauerit, hæc omnia cum ſpiritu acediæ conſiſtunt.* Ita recitat Ardinghellus: & habentur pag. 96. Caueæ. in Voce verò Congeminata Turturis ſic lego: *hæc omnia cum ſpiritu acediæ coniuncta.* Hîc certè mala fide mutauit Turtur vocem *conſiſtunt* in *coniuncta*, nam Maxima *in his verbis* (vt cum Lucretio loquar) *diſtantia differitaſq; eſt.* Cùm enim dicimus (ſimpliciter) & ſine adiecto, duo eſſe *coniuncta*; intelligimus eſſe ſemper *coniuncta*, nec diuelli poſſe; cùm verò dicimus, *hæc duo ſimul conſiſtunt*, vel, *hæc duo ſimul ſtant*, ex vſitatiſsimo in Theologia & Philoſophia loquendi modo, aliud non ſignificamus, quàm hæc duo non ſunt ita inter ſe contraria, quin aliquando poſsint *ſimul eſſe in eodem ſubiecto.* Certiſsimum autem eſt, fieri poſſe, vt duram quidem & aſperam vitam quis agat; hiſpida veſte induatur, fame & inedia vſque ad ſummam maciem conficiatur, & tamen ſimul nec patienter, nec hilarè, nec voluntariè, nec eo animo, quem Deus poſtulat, hæc faciat; aut ferat, ſed quando id Regula præcipit, repugnanter, grauatè, remiſsè; quando verò id propria voluntas ſua- An poſſit auſteritas Vitæ ſtare cum ſpiritu acediæ.

ſuadet, contra maiorum præſcriptum, audacter & animosè; Quis non videat tunc reuera ſimul *conſiſtere*, ſiue ſimul *ſtare* aſperitatem vitæ, & ſpiritum acediæ, ex cuius radice fructus iſti iam enumerati ſolent pullulare? Non dico ſemper hoc fieri, neque id dixit Caueæ author. Abſit hoc ab ore Chriſtiani: plurimi enim ſunt optimi religioſi, qui hæc quàm maximè deteſtantur. Quin tamen accidere aliquando poſsit, nemo negauerit, qui illius ſententiæ meminerit, *in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me:* Quare iniurioſè Caueæ author traducitur, quaſi aſperitatem vitæ, more hæreticorum, damnare voluerit & ſugillare, cuius nec minimum veſtigium inuenies in toto eius libro.

XXI. Cap. 6. n. 2. *Perfectio religionis non ex auſteritate metienda eſt, etiamſi ad finem iuuandi proximi dirigatur.* Reſp. æquè parum inuenies hanc ſententiam in Caueà, fol. 107. vt mirari ſatis non poſsim, impudentiam, & Ardinghelli, & Turturis, qui etiam ipſa verba non ſine variatione, falſitatis indice, recenſent. nam Turtur pro ijs verbis, *etiamſi ad finem &c.* habet; *Sed ſi lenia & aſpera ad finem iuuandi proximi collimentur*, quæ quàm ſint ab illis diuerſa, quis non videt? De re ipſa, quæ hîc in diſputationem venit, inferiùs differemus, & veritatem ex S. Thoma in 3. p. q. 40. a. 2. enodabimus.

XXII.

XXII. Cap. 7. n. 1. *Prudentium vox eſt, eos, qui inepti ſunt ad ſæcularia negotia, neque Ordini Religioſo multum conferre poſſe.* Reſp. Neque hæc verba Caueæ referuntur ex fide. Non enim lego in Cauea pag. 154. *prudentium vox eſt;* ſed, *prudentium ſenſus eſt.* Deinde hunc prudentium ſenſum ſic explicat Caueâ ibid. vt clariſsimum ſit eum innoxium atque inculpatum eſſe, nec niſi malignè aliò torqueri.

Tarda enim & obtuſa ingenia, agreſtis indoles, vehemens aut præceps in contraria flexus, tetrica complexio, intractabilis natura, quæ omnia in Cauea enumerantur, vt ad ſæcularia negotia ſunt omnium iudicio, minùs idonea, ita profectò ijs, quibus in Religione ad virtutis faſtigium eſt enitendum, non magnopere commodant, ſed potiùs ſunt grandi impedimento: Quàm difficulter enim res diuinas penetrabit, cuius intellectus eſt tam hebes, memoria tam debilis, vt *Bœotum in craſſo iurares aëre natum? Si terrena dixi vobis & non creditis, quo modo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* Similiter ſi *Ordo* etiam in ſalute aliorum procuranda ſit occupatus, quid obſecro, tunc faciet homo plumbeus, truncus, atque ſtipes? quid proficiet, qui ad æterna cæcus, ad temporaria bardus, ad vtraque eſt vecors, elinguis, & ineptus? *Vehemens* verò & *præceps in contraria* impetus, quàm eſt alijs, quibuſcum viuitur, in

Cautela adhibenda in recipiendis Nouitijs.

Ordine religioſo grauis, moleſtus, & intolerabilis? quantis incommodis anguntur & commouentur, quibus eſt natura triſtis, recondita, & ſubhorrida? Quàm ferox ad obedientiæ iugum, homo rebellis, cui ferrea ceruix, & neſcia flecti? Quare omnes Ordinum Religioſorum Antiſtites appello, & ex ijs ſciſcitor annon adhibito maximo delectu, ad tirocinium potiùs illos admittant, quibus liberalis indoles, vegeta, ſtrenua, ſunt ingenia, quàm quibus tam ſtupida & macilenta? an non malint moderatê lætos, quàm perpetuâ nubilos irâ? Annon præferant ad parendum promptos & faciles, atque imperio cuiuis manſuete obedientes, ijs, à quibus non niſi fuſte extorqueas obſequium?

XXIII. Cap.7.n.2. *Ante decimum octauum annum non ſunt Tyrones ad Religionem admittendi.* Reſp à Bellarmino in Gemitu Columbæ monitos fuiſſe Prælatos, vt in inferendis nouis palmitibus, hoc eſt, in recipiendis nouitijs magnam curam haberent, &c. *Hæc Grauina partim ſuo calculo approbat*, (inquit Caueæ author pag. 149.) *partim improbat. Non leuem in Religionibus iacturam agnoſcit, cùm iudicio immaturi, ætate teneri, mente inconſtantes in monaſteria irrepunt, &c. Quod ego Grauinæ teſtimonium pro oraculo accipio, quia etiam S. Gregorius inhibuit, ne pueri in monaſteria ante* 18. *ætatis annum ſuſcipiantur.* Quid obſecro eſt in hac ſen-

ſententia impium, nefarium, ſcandaloſum, aut pernicioſum? Nonne verum eſt S. Gregorium hoc dicere? En verba Epiſtola 48. in Regiſtro: *Quia autem dura eſt in Inſulis congregatio monachorum, etiam pueros in eiſdem monaſterijs ante decem & octo annorum tempora ſuſcipi prohibemus.* Etſi autem Cauea hoc S. Gregorij teſtimonio vtatur, vt oſtendat, etiam maximorum virorum iudicium fuiſſe, non niſi matura ætate eſſe pueros ad Religionem admittendos, non tamen idcirco improbat *decretum Concilij Tridentini* ſeſſ. 25. c. 15. de regul. *quod finit poſt* 16. *annum expletum profeſſionem fieri.* Quare non ſunt verba illa Caueæ: *Ante* 18. *annum Tyrones non ſunt admittendi*; Sed falſariæ manus. S.Gregorij teſtimonium de ætate Nouitiorum.

XXIV. Cap. 7. n. 3. *Non ſunt etiam recipiendi in Religioſum Ordinem, qui omnino ſunt valetudinarij, ſed ſani tantùm & valentes ſpiritu.* Reſp. audiamus Caueam pag. 153. & 154. *Prudentiùs Ordinum præſules antequam ad Tyrocinium ſollicitatores admittant, de ſimilibus defectibus excutient, &c. Si enim in recenti vocationis æſtu, ad ſeipſos Ordini aptandos languerint, quales erunt, vbi cænobio intepuerint? Nemo in corpore vlceroſus, aut morbo fractus recipitur, ſed priùs iubentur valetudinem legitimè curare, & ſani integríque fores monaſterij pulſare; cur eadem in morbis animi, ſaltem qui progreſſui in Ordine maligniùs obſtituri putantur, periculosè omitteretur?* Ex his liquet, quàm iterum iniquè agat An vitioſi ſint in ordinem admittédi.

Ardinghellus: nam loquitur Cauea non de omnibus animi morbis, ſed tantum de *malignioribus ſuſcipiendorum* vitijs, quæ ipſi *Ordini, aut diſciplinæ Ordinis multum aduerſantur*, & damno eſſe maiori poſſunt, vt videre eſt ex pag. 152. & 153. vbi ex Petro Cluniacenſi alicuius admodum iracundi, ex S. Dorotheo verò cuiuſdam valde furacis monachi meminit; quorum prior *ex domeſticorum odio vel vindicta horreum monaſterij incendit*: poſterior *ex praua conſuetudine vel inuitus* furabatur. Quis autem credat Prælatum malè facere, ſi ad talia quoque oculum adijciat, vigilantérque attendat, antequam ſuo cætui quenquam aggregat? *Non oſcitanter agendum eſt*, (inquit ad cap. 2. Reg. S. Franciſci Cyprianus Crouſers Capuccinus, lectione prima parænetica pag 68.) *in admiſſione ſæcularium ad habitum, & multò minùs ad profeſſionem, ſed inueſtigandum diligenter, annon habeant complexionem & inclinationes nimis notabiliter oppoſitas obſeruantijs regularibus: annon ſint naturâ leues & inconſtantes: annon habeant prauos & inueteratos habitus ad malum. Secundùm enim inclinationes & habitus homines communiter ſolent operari, nec facilè hæc ſuperant, vel ſi ad tempus videntur his reniti, ad ea facilè redeunt, ad quæ vel natura, vel praua conſuetudine ferebantur: ac proinde talibus Religionis ingreſſus etiam diſſuaderi poſſet, vt inquit Gerſon in regul. mor. &c.* Hoc igitur Prouincialibus præceptum ſit, de venientibus ad

Ordinem examinandis, vt probent num idonei ſint. Hæc ille; quæ confirmat ipſa ratio. Si enim ad tempus ſolùm, in famulitium quempiam ſuſcipere velis, nonne priùs couſideras, num vitio aliquo laboret, quod tuo genio vehementiùs aduerſetur? Quid igitur faciendum eſt, vbi de tota vita in aliquo religioſo cœtu tranſigenda agitur? *Omnes paſſim recipere* in Ordinem, *non expedit nobis*, inquit S. Bonauentura in Determinationibus, circa Reg. S. Franciſci, q. 10. *quia varia ſunt conditiones hominum, qualitates & mores. Multos ſæpe reciperemus incompoſitos moribus, quos vix corrigere ab inolita conſuetudine poſſemus. & per tales diſſolueretur Ordinis diſciplina, & impediretur profectus aliorum, &c.*

XXV. Cap. 8. n. 4. *Multi in habitu monaſtico damnantur, & ſpecie recti fallimur.* Reſp. in Cauea pag. 106. ita lego. *Vtinam ſemel tantùm contigiſſet, quod Abbas quondam Syluanus vidit, multos in habitu monaſtico ad tormenta miſſos; contrà, multos ſæculares ad cælum euolaſſe. Ex quo ſanè ſenſus ille ſuos arctiùs conſtrinxiſſe ſcribitur. Noſti Grauina, quantopere, recti ſpecie fallamur. Quid autem in cuiuſque corde lateat, tentatio prodit.* Hæc Cauea. Noſti iam Lector, quantopere Ardinghellus te improbo ſuo calamo fallat; quàm mala ruſſus fide aliena verba recitet. Apud Roſvveidum de Vitis Patrum lib. 3. n. 203. & lib. 5. n. 15. reperiuntur ea, quæ de Siluano Abbate commemorat Caueæ au-

thor. Quod autem ſcelus eſt, ex probatis & palàm notis Scriptoribus hiſtoriam recenſere? Lege Trithemij opera, lege Seruatij Layruelz opticam Regularium pag. 2. & 3. vbi hæc verba inuenies: *Totâ aberrant viâ, qui excuſationes in peccatis quærentes, ſi veſte candida corpus, & cuculla caput abraſum tegant, monaſticæ vitæ ſe ſatis feciſſe arbitrantur. Non eſt illa, qua ad cœlum aſcenditur via. Non ſunt habitus & cuculla ſufficientes ad cœlum rapiendum ſcala. Non delectatur externis Deus, niſi cum internis ſocientur. Et ne quiſpiam hæc à me ſolo ad pauidorum terrorem proferri exiſtimet, Inſtituti noſtri author ac inuentor ſic poſteros ſuos alloquens conſulatur: Si quis autem habitu religioſo ſub ſpecie columbinæ ſimplicitatis & lactis innocentiæ exteriùs nitidè amicti, à deuotione perfectæ religionis coram Deo ſcientiarum (cui cogitationes omnium præparantur) quod abſit, interiùs miſerè nudati, ſalutaris doctrinæ monita monitoremque contumaci corde ſpernunt, Sanctum Regularis diſciplinæ Ordinem non obſeruantes, procul dubio ad illum deterrimum æternorúmque tormentorum locum (niſi ſe priùs emendauerint) perducentur, &c.* Pergit deinde Layruelz: *Quo quid ad vocationem, vitaq; noſtræ monaſticæ conditionem aperiendam manifeſtius? Quid ad profeſſionis noſtræ naturam percipiendam clarius? Quid ad eorum damnandam cæcitatem, qui ſolo habitu Inſtituti ſui monaſtici vices dignè decentérque ſe obire arbitrantur, apertius dici poteſt? Credite mihi fu-*

cus illorum tandem aliquando in illo die, in quo Deus reuelabit abſcondita tenebrarum, patebit. Tunc iſtiuſmodi homines magno cum rubore experientur, non in externa ſolùm religionis imagine vita monaſtica inſtitutum conſiſtere &c. Faxit Deus vt in die furoris huiuſmodi religioſorum catalogo non adſcribamur. Vereor tamen magnopere, ne id plurimis accidat, qui agunt vitam monaſticam, nec agunt: vouent, nec reddunt: regulam profitentur, nec ad regulæ præſcriptum mores ſuos exigunt: ſilentium ſpondent, nec ori vllam ponunt cuſtodiam; parentes deſerunt, nec eos Chriſti patrimonio impinguare deſinunt. &c. Hæc optimus ille Opticus, & peritiſsimus religioſorum virtutum Magiſter; quibus ſimilia habet loco paulò ante nominato Cyprianus Crouſers Capuccinus pag. 67. ex Baſilio M. de abdicat. rerum. *Caue*, inquit, *putes eos omnes fieri ſaluos, qui ſe intra ſuas cellas continent & vitioſos iuxta & bonos.* qualia ſi Bellarminus Cardinalis, aut alius Ieſuita ſcripſiſſet, dubio procul lapides tolleret Ardighellus cum ſuo Turture, & iaceret in eos.

XXVI. Cap. 9. n. 1. *Societas Ieſu ampliora, quam habet, priuilegia meretur.* Reſp. Impudens etiam hæc eſt calumnia. Audiamus authorem Caueæ pagin. 172. & 173. *Singularia* (inquit) *quibus Societatis Ordo gaudet, iam ab eius incunabilis diſcuſſa, & Pontificia autoritate comprobata fuerunt, eo quod Diuina prouidentia (vt Greg. XIII. in Bulla An.* 1584. Calumnia de priuilegijs Societatis.

pre

pro Societate edita loquitur) pro temporum neceſſitate varia & ſalutaria Ordinum inſtituta in Eccleſia ſua produxerit; nouiſq; ſubinde in ea naſcentibus morbis, noua remedia, nouiſq; emergentibus hoſtium impugnationibus, noua Regularium Ordinum auxilia excitarit, & cuiq; illorũ iuxta cuiuslibet particularis gratiæ vocationem, peculiares quaſdam notas, propria inſignia, atque opportuna ad finem, quem intendit, media ſuggeſſerit. Præterea Miniſteria Societatis tam varia, operoſa & indeſinentia ampliores gratias & priuilegia exigebant, vt quæſitum in Domini Vinea fructum conſtanter operarentur &c. Ex his manifeſtum eſt, authorem Caueæ non dicere, *Societatem ampliora, quam habet, priuilegia mereri:* ſed conſentaneum rationi fuiſſe, vt Societati, ob tam multiplices, arduos, & aſsiduos labores, ad maius animarum lucrum, etiam ampliora donarentur priuilegia; ampliora, inquam, non quàm ipſa habet, ſed quàm illi, quibus tantum laboris non imponitur; quo modo neque ſugillantur Pontifices, Priuilegiorum largitores, qui in Bullis priuilegiorum ſæpe ipſi ſic loquuntur; neque vllum indicium datur, aut Societatem arrogantiùs de ſe ſentire, quàm par eſt; aut animo minùs grato illa dona agnoſcere. Cui minimè aduerſatur, quod Caueæ author ead. pag. dicit, *auxiſſe magis priuilegia oportuit.* Reſpondet enim ad quæſtionem illic neſcio qua ratione motam, an

Pon-

Pontifices debuerint Societati fauores conceſſos eripere, minuere, aut in alios transferre? & dicit Eos *Iure quidem ſuo id poſſe facere*; exiſtimare tamẽ ſe, in Societate *adhuc vigere ſanguinem, ardorem, & pietatem*, vt cauſa nulla eſſe videatur, cur antea conceſsis fuerit priuanda; potius augendas, quàm minuendas gratias: *ne Sociorum miniſteria retardarentur, & vt miniſtrantium fidelitas & animus creſceret*,

XXVII. Cap. 16. n. 1. *Non in omni Congregatione poſſunt mali eſſe bonis admixti.* Reſp. Cauea pag. 182. non dicit, *non poſſe eſſe in omni Congregatione malos bonis admixtos*; ſed ſolum *non ſemper eſſe*, nec *ſemper fuiſſe* malos bonis admixtos; & demonſtrat id argumento deſumpto è Bzouio, & qnidem in laudem *maximam* Ordinum S. Dominici & S. Franciſci. Quid verò diſcriminis ſit inter non *eſſe*, & non *poſſe eſſe*, vel pueri ſciunt in Dialectica.

XXVIII. Ibid. n. 3. *Hoc aliȷs religioſis Ordinibus præſtat Societas* IESV, *quod habeat aromata à putredine præſeruantia; ac propterea non eſt periculum, ne poſt aliquot annorum centurias perinde vt aliȷ Ordines degeneret.* Reſp. Oſtende mihi in Cauea paginam Ardinghelle, in qua hæc verba, *Hoc aliȷs Religioſis Ordinibus præſtat Societas* legantur. Iſta quidem inuenio pag. 188. *Aromata à putredine* (in Societate) *præſeruantia inferiùs monſtrabo*. & 200. & 201. *Quæ*

in alijs Ordinibus Reformationis gratiâ excogitantur, Societas in Apothecis ſuis veluti quotidiana pharmaca ſemper in promptu habet. Neutro tamen loco dicit Caueæ author, alijs Ordinibus ſua deeſſe curandis, prohibendísq; grauibus morbis remedia; quin potiùs pag. 188. expreſsè contrarium aſſeuerat. *Nullus etiam dubito* (inquit) *integras & complures Religiones extare, quæ neminem ſuſtineant eiuſmodi obſtinatione corruptum, adeoq; non tam Societatis, quàm præclariſsimorum quorumq; ordinum inſignem eſſe hanc gloriam, quod conſtent ex purè vitalibus membris; ſi quidem præſides ac ſubditi, modo iam declarato inſigniter conſpirent.* Quid clarius? Annon hîc fatetur, alios Ordines quoq; habere aromata, quibus vitam ſuam ſpiritualem poſsint defendere? Ergo etiam fatetur, eos habere *aromata præſeruantia à putredine*, quæ eſt vitæ è diametro aduerſa & inimica. Et quis de hoc, obſecro, dubitare auſit? Cum enim Sancti Ordines à Deo ducant originem, atq; in eum finem ſint inſtituti; vt per religioſam vitam quamplurimi æternam ſalutem adipiſcantur, vtiq; exiſtimandum eſt, eiuſdem ſummi Rectoris prouidentiſsimâ ſapientiâ etiam vnicuiq; Ordini de neceſſarijs tuendi ſe, ac conſeruandi inſtrumentis, ita prouiſum eſſe, vt reuera, ſi velit ipſe, vitalis & eſſe, & permanere poſſit. Et hoc ipſum quoq; perſpicuè indicat Caueæ author pag. 182. & 183. his verbis. *Potue-*

fuerunt ergo ſinguli Regularium Ordines aliquando ſic effloruiſſe, vt toti eſſent abſq; ruga & macula, toti ex meris viuis membris conſtarent, Quid impedit, quo minùs iterum ac ſæpius ſolerti præſidum induſtria, ſubditorum vnanimi conſenſu, in priſtinum decus reſpirent? Auctor Vocationis (DEVS videlicet) *non elanguit.* Quid eſt hoc aliud quàm DEI beneficio, non deſieri alijs ordinibus etiamnum *Aromata præſeruantia à putredine?* Annon igitur Ardinghellus etiam in iſta ſententia recitanda mendacem calumnaitorem egit? Atq; hæc de illius fallacijs & fraudibus, quas in authorem *Cauea Turturis* inſtruxit. Nunc ad paradoxa veniamus quæ in Appendice à pag. 70. vſq; ad qag. 79. recenſuit.

APPENDIX ARDINGHELLI, EX Placida Diſceptatione, iuſta defenſione &c.

A*Ntiqui Ordines Eccleſiam Catholicã* CHRISTI *ſponſam templis, ornamentis, iuribus ac bonis ſuis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, atq; etiam multis filiorum millibus ſpoliarunt.* Paradoxum.
Reſp. Qui malè agit, odit lucem. Timuiſti Ardinghelle, ne, tuam malitiam citiùs ſol aſpiceret, ideo omittis iterum dicere, quo

libro

libro, & quâ paginâ quælibet ſententia repe-riatur. Hoc eſt in turbida aqua piſcari. Scire iam Lector non poteſt, quis hæc, & quis illa ſcripſerit: ſintne verba Iuſtæ defenſionis, an Placidæ Diſceptationis? & tamen non parum intereſt Societatis hoc ſciri, quam pro ijs libris, qui ſine ipſius voluntate ac iuſſu, aut ex aliena officina prodierunt, non oportet ad vllius iudicis tribunal reddere rationem. Tu autem neq; fidem feciſti hucuſq;, neq; etiam facturus es, Superiorum noſtrorum conſenſu atq; autoritate à Ieſuitis *Placidam diſceptationem* per typos euulgatam eſſe; ſed potiùs teipſum apertè mendacij redarguis, dum eam modò Ieſuitis Dilinganis, modò Monacenſibus adſcribis; vt in Anti-Melandro, part 2. c. 4. n. 32. & in Mantiſſa monui: Quare ad ea omnia, quæ ex *Placida diſceptatione* magno numero corraſiſti, ſatis tibi reſpondere cenſebor, ſi nihil reſpondero.

Vt tamen omnibus robuſtiſsima tua improbitas magis nota fiat, rurſus oſtendam, quibus dolis & officijs Lectori os ſubleueris,

Nam primum iſtud, vti vocas, paradoxum, cum ſecundo, tertio, quarto & quinto, non eſt ſcriptum ab vllo Ieſuita, ſed à ſæculari quodam Theologo, qui in cauſa *Monaſteriorum extinctorum* neque prece, neque precio à Societate eſt conductus, ſed à Nuncio Apoſtolico ſuam ſententiam priuato ſcripto dare iuſſus: quod ſcriptum primò in publicas manus

nus per typos venit, & in omnes Germaniæ partes diſſeminatum eſt, non Ieſuitarum, ſed vt tute ais in Actione perduell. pag. 24 Monachorum quorundam operâ, de quo & ego monui in Anti-Melandro parte 2. cap. 4. n. 25. & ſeqq. Falsò igitur nunc iſta quinque paradoxa adſcribuntur Ieſuitis. Nec P. Paulus Laymann in *Iuſta defenſione*, plus dicit, quàm, ſi Theologi illius verba integra, & non mutilata aſpiciantur, liquidum fieri, antiquos Ordines ab illo vocari *per ſe Sanctos*, ex quibus acerrimi propugnatores Eccleſię prodierint; ac proinde ipſis Ordinibus nil de honore ſuo detrahi, licet *vitia & lapſus quoſdam præteriti ſæculi*, & crimina verè commiſſa, atque ex Chronicis & hiſtorijs *omnibus nota in memoriam reuocet*.

Certè nequiſsima fraude vſus eſt Ardinghellus in tertio paradoxo, dum ita refert verba Theologi, vt Lector exiſtimare debeat, eum negare, *Antiquos Ordines eſſe nunc Sanctos*; quod tamen minimè negat, ſed expreſsè affirmat. Audi Ardinghellum: *Antiqui Ordines fuerunt aliquando Sancti, & Eccleſiæ propugnatores*; audi Theologum: *Antiqui Ordines per ſe Sancti ſunt, & fuerunt aliquando propugnatores?* Eſtne hoc integra fide, aliena verba recitare?

VI. Paradoxum apud Ardinghellum ſic habet. *Hæretici contendunt, Monaſteria non eſſe condita pro Monachis, quales hodie ſunt, inutilia*

nempe terræ pondera, ventres pigri, & ſtupida pecudes, ſed ad ſuſtentationem eorum, qui publicam Eccleſiæ vtilitatem meliùs & efficaciùs procurant, eorum ſcilicet qui curam animarum ſuſcipiunt & iuuentutis diſciplinam. Et iſta hæreticorum ſententia vera eſt & laude digna, &c. In Theologi verò Sæcularis *Iudicio* hæc multò aliter leguntur: *Quis autem neſcit* (inquit) *hæreticos ſub initium harum hæreſeon nulla re plauſibiliùs oppugnaſſe Eccleſiam Dei, & ſacrilegam inuadendorum monaſteriorum, ac bonorum Eccleſiaſticorum cupiditatem palliaſſe, quàm clamando, Monachos eſſe inutilia terræ pondera, ventres pigros, ſtupidas pecudes, non eſſe bona illa à ſuis maioribus pro hominibus inutilibus, otioſis, ignauis, fundata: Inuerti à monachis Fundatorum intentiones; eſſe bona iſta ad publicam vtilitatem impendenda; fundandas ex iis ſcholas, &c. Quæ licet ex ea quidem parte, quâ vota & inſtituta monaſtica condemnantur, hæretica, & ex ea, quâ iſta bona ad hæreticos prædicantes, ac ſtudioſos volebant conuerti, Eccleſiæ Catholicæ pernicioſa fuerint, &c. Ex ea tamen parte, quâ contendebant, meliùs eſſe bona illa applicari iis, qui publicam Eccleſiæ vtilitatem meliùs & efficaciùs procurant, vera fuerint & laude digna, &c. & à Catholicis meritò perpendi ac reipſa perfici debent, &c.* Ex his patet 1. Falsò hanc ſententiam attribui Societati, quam ſæcularis Theologus, non autem Ieſuita ſcripſit, vt in Iuſta defenſione P. Paulus Layman pag. 382. & 383. clariſsimè docuit, graui-

An Ieſuitæ dixerint, Monachos eſſe inutilia terræ pondera?

grauiter conqueſtus de maleuolentia aduerſariorum, qui falſam hanc opinionem animis & auribus hominũ paſsim inſtillarunt, quaſi Ieſuitæ appellauerint religioſos antiquorum Ordinum *inutilia terræ pondera, ventres pigros, & ſtupidas pecudes*, quod nunquam cogitarant: hinc non poſſum ſatis mirari impudentiam illius, qui Appendicem ad Congeminatam Vocem Turturis conſarcinauit, & pag. 1. pro indubitato dixit, Patrem Paulum Laymann vocaſſe veterum Ordinum religioſos *inutilia terræ pondera & ventres pigros*; quæ eſt iniurioſiſsima in virum innoxium calumnia. 2. Patet ab Ardinghello etiam Theologi iſtius verba perfidioſè corrumpi & mutilari: nam Theologus dixit, *ſub initium hæreſeon*, hoc eſt ante 100. & plures annos, ſic hæreticos fuiſſe locutos de illorum temporum religioſis: Ardinghellus autem ait, eum loqui de *monachis, quales hodie ſunt*; quæ verba malitioſè intruſa, ſententiam Theologi prorſus aliam, & quidem deterrimam efficiunt. 3. Quanta fraus eſt, quòd Ardinghellus omnia illa præterit, & expungit, quæ veram Theologi mentem explicant, eúmque à calumnia liberant? diſertè enim vituperat iſtud hæreticorum dictum, non ſolùm quà per id *vota & inſtituta monaſtica condemnant*, & ſtudium *orationis, contemplationis*, ſolitariam monaſticam vitam hæreticè pro inutili otio habent, impiéque proclamant: ſed etiam *quà volebant iſta bona*

Eccleſiaſtica in vſum hæreticorum & prædicantium, & ſtudioſorum conuerti : Quando verò Theologus ait, hæreticos *ex ea parte, quâ contendebant, eſſe meliùs, bona illa applicari ijs, qui publicam Eccleſiæ vtilitatem melius & efficacius procurant,* vera dixiſſe, & laude digna, &c. an propterea improbat inſtitutum Monaſticum? an reprehendit pios *fundatores*, qui olim monaſteria ſplendiſsimâ dote inſtruxerunt? nequaquam: ſed tantummodo dicit, illud inſtitutum eſſe altero melius & præferendum, quod magis cedit ad publicum Eccleſiæ bonum, & ſalutem plurium animarum: quod etiam docuit S. Thomas Aquinas in 2.2. q. 88. a. 6. *Sicut enim maius eſt illuminare, quam lucere ſolùm, ita maius eſt contemplata alijs tradere, quàm ſolùm contemplari.* Alij iudicent, rectè an ſecùs hoc ſit dictum; ſole clarius tamen eſt, ab Ardinghello plus multò, quàm veritati congruit, eſſe dictum.

Calumnia antehac refutata.

Paradoxum VII. *Etſi Cæſar compluribus literis Pontifici ſignificandum curauit, ſe edicto publico iuſsiſſe, vt Monaſteria ijſdem Ordinibus, quibus olim erepta fuerant, à proteſtantibus reſtituantur, nec ſalua conſcientia, & ſine ſacrilegij ac periurij crimine poſſe permittere, vt monaſteria ſic reſtituta vel Cardinalibus in Commendam dentur, vel Epiſcoporum menſis incorporentur, vel penſionibus grauentur, vel alij alicui Ordini ſub maioris boni prætextu concedantur; etſi etiam Pontifex per Breue Apoſtolicum, & per*

Nuntium ſuum hanc Cæſaris reſolutionem tanquam pia liberalitati eius conſentaneam, & catholicæ religioni inſtaurandæ idoneam magnopere laudauit, & nihil Romæ contra eam tentatum iri promiſit, certum tamen eſt talem Cæſaris reſolutionem eſſe temerariam, erroneam, principijs fidei Catholicæ contrariam, & grauiore cenſura, ſiue excommunicatione dignam, quippe quæ Eccleſiaſticam immunitatem lædat, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem & iura imminuat, Eccleſiaſticas cauſas ad forum Cæſaris trahat, & Pontifici leges in ea præſcribat. Iſta eſt ſententia Guil. Lamamermanni Confeſſarij Cæſaris, Adami Conzen Confeſſarij Ducis Bauariæ, & Bauarorum ac Sueuicorum Ieſuitarum, velut in libris eorum videre eſt, in Placida diſceptatione, columna ſeu facie 6. 15. 24. & 34. in iuſta defenſione pag. 325. & in præfat. num. 27. 13.

Reſp. Hæc omnia in Actione perduellionis ab Ardinghello à pag. 5. 11 iiſdem prorſus argumentis fuerunt propoſita, & in Anti-Melandro parte 2. c. 2. & 4. ad incudem vocata ac bene contuſa.

Nam 1. litteræ illæ Cæſaris nomine Romam miſſæ, (quæ rationes quaſdam à mente & *Reſcriptis* alijs eiuſdem Cæſaris alienas, & factis Summorum Pontificum, Imperatorum, ipſique *Iuri* contrarias continebant) fuerunt manifeſtè à quodam ſcriptore deprauatæ, ideóque pro *obreptitijs* habendæ. Cùm enim tota Germania nouerit, eundem Sacratiſsimum Cæ- | De litteris Cæſaris Romã miſsis in cauſa Monaſteriorum.

ſarem, & ante, & poſt tranſmiſſas illas ad Pontificem litteras, non modò permiſiſſe, ſed etiam feruenter à Summo Pontifice petijſſe atque impetraſſe, vt aliqua monaſteria *vacantia*, ſiue *extincta*, ad alios pios vſus, quàm quibus primo dicata fuerant, transferrentur, ita vt eas omnes *translationes* in hodiernum vſque diem velit eſſe penſas, firmas, & ratas; manifeſtum profectò eſt, & iam olim Cæſarem cenſuiſſe; hodiéque hanc fixam, immotámque tenere ſententiam, iſta ſine vllo ſcelere, & Deo omnino inoffenſo, fieri poſſe. Si enim S. Cæſ. Maieſtas judicaſſet, vel adhuc judicaret, per hoc periurij ac ſacrilegij crimen perpetrari, diuináque & humana jura violari; quis dubitet, quin pro ſua ſumma pietate in Deum, affectu intemerato erga omnes Religioſos Ordines, ſtudio maximo procurandæ ſuæ ſalutis æternæ, *translationes* priores omnes quamprimùm reſcindendas, abolendas & abrogandas curaſſet, quod tamen factùm non eſſe, res ipſa teſtificatur. Quis autem dicet Cæſarem ob hanc cauſam ſacrilegum, periurum, ac inconſtantem eſſe? Igitur certiſsimum eſt, rationes illas Cæſareis litteris inſertas, à Cæſare nec viſas, nec approbatas fuiſſe; adeóque illas litteras *ex ea* parte *obreptionis* vitio laborare. Fieri verò poſſe, vt in Cæſaris epiſtolas ex varijs cauſis, aliquid contra mentem ipſius irrepat, luculentè docet Gailius lib. 2. obſeru. practicarum obſer-

uat.

uat. 58. & Vdalricus Zaſius Tomo 6. Operum lib. 2. conſil. 10. fol. 130. edit. Francof.

2. Etiam in eo fallax eſt Ardinghellus, quòd ait, Pontificem per *Breue Apoſtolicum*, & litteras ad *Nuncium* datas *promiſiſſe, nihil contra Cæſaris reſolutionem tentatum iri.* Aliud longè docet Epiſtola Cæſarei Oratoris Principis Sauelli, in Ianuario anni 1631. ad Nuncium Viennenſem ſcripta; qua ſignificat, *ſibi à Pontificijs officialibus dictum eſſe, Papam ad inſtantiam Cæſaris quidem nemini daturum monaſteria in commendam, nec penſionibus grauaturum, dubitari tamen, an non in reſtitutione monaſteriorum antiquis Ordinibus facienda aliqua difficultates oritura ſint contra petita Cæſaris; eò, quòd non ſolum ex talibus Eccleſiaſticis bonis poſſint cum maiori emolumento Catholicæ Religionis erigi ſeminaria; ſed quod etiam deprehendatur, multa ex illis monaſterijs priùs, quàm ab Acatholicis occuparentur, nulli Ordini vnita, vel incorporata, ſed per ſeſe gubernata fuiſſe, quo caſu non reſtituerentur, ſed donarentur illis Ordinibus: de his tamen omnibus ſcribi Nuncio Viennenſi, qui Cæſaris mentem de hac re particulari intelligat, vt quantum poſſibile erit illius voluntati ſatis fiat, à qua non longè abituros Pontificij officiales ſe obtuierint.*

3. Alia rurſus fallacia eſt, cum ait Ardinghellus, *Patris Lamormanni ſententiam fuiſſe, talem Cæſaris reſolutionem eſſe temerariam, erroneam, principijs fidei Catholicæ contrariam* &c.

Inſpiciatur *Memoriale* iſtius Patris, (quod habetur in Anti-Melandro parte 2. c. 2. n. 17.) & mendacium aduerſarij confeſtim apparebit. Non ipſam *reſolutionem* Cæſaris, ſed *rationes & argumenta quadam reſolutioni ipſi contraria, & Epiſtola Caſarea Romam miſſa per aliquem ſcribam clàm inſcio Caſare intruſa reprehendit Confeſſarius, & eiuſmodi eſſe ſcripſit, vt ſine temeritate, ſcandalo, errore, pronuntiari non poſſint, cum doctrinam contineant cum principijs fidei Catholica non ſatis cohærentem:* Cuius generis ratio eſt; *contra diuinum Ius agi, ſi Monaſterium aliquod vacans, aut extinctum ad alios, quantumuis pios & ſanctos vſus, quàm prima fundatio praſcribit, etiam Auctoritate Apoſtolica transferatur &c.* Hanc rationem dixit Confeſſarius, *menti, reſcriptis & praxi Caſ. Maieſt. & Imperatorum Anteceſſorum, nec non Summorum Pontificum aduerſari;* quos conſtet ſæpiſsimè Monaſteria ab vno ordine ad alium, vel ad alias pias cauſas, exigente id neceſsitate, tranſtuliſſe; nemo tamen illos de ſacrilegio vnquam inſimulauit. Atque hæc ſunt, quæ in Iuſta Defenſione, Placida diſceptatione proponuntur.

Parad. VIII. *Etſi Caſar eodem Edicto ſuo declarauit, Ordines antiquos tanquam ſpoliatos & legitimos accuſatores iuſtè petijſſe ſibi reſtitui Monaſteria à proteſtantibus erepta, & Aſſeſſores Imperialis Tribunalis Spirenſis, tanquam legitimos Iudices rectè iudicâſſe, dum Proteſtantes condem-*

demnarunt, ac monaſteria Ordinibus reſtitui iuſſerunt, idemq; eos porro quoq; facere, & Ordinibus ius reddere iuſſit; etſi etiam Pontifex per Breue Apoſtolicum iſtam Cæſaris declarationem ratam habuit, approbauit, & benedictione ſua proſecutus eſt; certum tamen eſt, neq; Ordines antiquos monaſteria recuperandi vllum ius, vllámq; actionẽ habuiſſe; neq; aut Cæſarem, aut eius loco Tribunal Spirenſe talium cauſarum legitimos eſſe iudices; quippe quæ Eccleſiaſtici Iuris ſint, & ad Pontificis Tribunal pertineant; Ita contentioſiſsimè Ieſuitæ docent. in Iuſta Defenſ. pag. 13. 19. 16. 402.

Reſp; Grandis hæc calumnia, quæ etiam in Actione perduellionis Lectoris auribus ingeſta fuit, refutata eſt in Anti-Melandro parte. 2. c. 2. n. 70. & ſeqq. & refellitur ab ipſo auctore *Iuſtæ defenſionis* P. Paulo Laymanno in *Cenſura Aſtri inextincti* parte 1. loco 1. & loco 5. & parte 2. cenſ. 1. cenſ. 2. & cenſ. 5. quibus non eſt opus verbum addere; niſi quod mirum ſit Ardinghellum toties de mẽdacio conuictum nondum erubeſcere.

Paradoxo decimo ait Ardinghellus, hæc haberi in Placida diſcept. col. 16. & 22. *Certum eſt, Pontifices ſine vlla neceſsitate, aut publica vtilitate Benedicti Regulam noxia diſpenſatione relaxaſſe, & Monachorum concupiſcentiæ attemperaſſe, vt molliùs haberentur.* Sed inſpiciatur Placida diſceptatio, & perſpicietur verba illius fraudulenter ab Aduerſario eſſe

K 5 muta-

mutata, quæ ſunt iſta: *Antiquis religioſis pluri-mùm dubio procul illa determinata intentio obſti-tura eſt. Si enim in execratione ſunt, & maledi-cto, qui illas intentiones mutant, neſcio quomodo ſalui eſſe valeant, qui eas nulla Eccleſia, aut pu-blica neceſſitate mutarunt* An hic vllus apex de Pontificibus? Clariſsimum eſt de religio-ſis eſſe ſermonem, non autem de papa; vt ibid. mox ſequentia confirmant. Igitur ma-la fide agit aduerſarius, vt & in Anti-Melan-dro parte 2. c. 3. § 3. à. n. 88. & ſeqq; demon-ſtraui. Etſi enim Placida diſceptatio etiam dicat, *Vſus edendi carnes regulam vicit, inten-tionem fundatoris mitigauit, diſpenſatio ſuſtu-lit, & cauſa quæ? vt mollius haberentur religio-ſi.* Omnes tamen vident, eſſe *argumentum* ex hypotheſi, & ad *hominem*, vt vocant: quia expreſsè addit. *Non eſt hoc argumentum de meo; de patroni incogitantis paralogiſmis natum eſt.* Accedit, quod illi ipſi religioſi, qui fuerunt auctores *ſuſceptæ defenſionis*, contra quam ſcri-pta eſt *placita diſceptatio*, prius dixerint; *Eſt quidem praxis Eccleſiæ diſpenſare in multis caſi-bus iure prohibitis: in quibus vtinam non aliquan-do erretur! nec tamen inde imminuitur authori-tas S.mi. Pontificis, aut Imperatoris, ſi arguantur erroris facti, quo etiam prudentiſſimos labi con-tingit. Marcell. in L. 2. ff. de iuris & facti igno-rantia.* Quid, ſi ergo placida diſceptatio huc oculum coniecerit? Pontifices quidem *di-ſpenſarunt*, ſed petentibus & rogantibus Reli-gioſis;

De diſpenſatione circa Regulam S. Benedicti.

gioſis: Annon autem potuerunt iſti errare in exponendis cauſis petitionis ſuæ, & neceſsitatem cauſari, vbi non erat neceſsitas?

Paradoxum XI. *In monaſterijs hodie Vetus Regula laudatur, nouis moribus viuitur; prona in casum animæ pendent: Sunt ibi vlcera, vulnera, putredines, &c. Ita placida diſceptatio pag. 7. 11. &c.* Scilicet vult Ardinghellus conſtanter eſſe mendax. 1. In Placida diſceptatione ſic lego: pag. 11. *Si in monaſterio vetus regula laudatur, nouis moribus viuitur, prona in caſum animæ, pendent.* Hæc eſt *conditionata enunciatio*, vt Dialectici norunt; ex qua Ardinghellus ſcelerate facit *abſolutam*. 2. Tantum interrogat auctor *Placidæ diſceptationis, annon & alibi ſint vlcera, vulnera, putredines?* & tamen hæc cum interrogatione dicta diſsimulat aduerſarius. 3. Placida diſceptatio pag 7. non habet: Phariſæi (*monachi*) ſed tantùm, *Phariſæi domum orationis verterunt in ſpeluncam latronum.* Igitur vocabulum *Monachi* mala fide hic intruſum eſt. 4. Ingens mendacium eſt, quod hic adnectis, vllum Ieſuitam ſcripſiſſe: *Ieſuitæ multò maiorem, quàm monachi à Deo gratiam merentur, & in ſeipſis experiuntur, ita vt ſine vlla corporis mortificatione dies totos cum fæminis & pueris atque ephebis Phœbo & ſorore Phœbi pulchrioribus impune verſari poſſint, nec vllam carnis tentationem ſentiant, quantam gratiam nec Apoſtolus Paulus obtinere potuit.* Vbi habet hæc Iuſta defenſio? audiamus paginam 387. & 388.

quam

quam Aduerſarius indicat: *Deus optimus, qui prouidentiſſimè omnia agit, quando ſeruos ſuos ad certum Religionis Inſtitutum vocat, media etiam ipſis, ſeu auxilia gratiæ ſuppeditat, vocationi eorum ad conſequendum finem neceſſaria. Quis tam impius, vt hoc neget? Quam obrem cum aliquos vocat, atque eò deſtinat, vt non ſolum proprias, ſed etiam aliorum multorum animas bene operando, ac veluti negotiando lucrentur, neceſſarium eſt, vt benigniſſimus Deus tantò vberiora gratiæ ſubſidia præbeat, quantò maius ac ſublimius opus eſt; ſe & alios perficere, quàm ſuæ tantùm perfectioni vacare: quanto plus ardoris ſpiritualis requiritur, vt alios accendere poſſit, quàm vt aliquis ſolus calore diuino æſtuet. Accedit, quòd quando ſeruus talento gratiæ rectè vtitur in aliorum procuranda ſalute, maiorem à Deo gratiam & ſpiritus ardorem mereatur, prout experiuntur ij, qui in aliorum ſpirituali ſalute procuranda vtiliter occupati ſunt, atque Chriſtus Dominus ſignificauit apud S. Lucam c. 15. v. 25. Date illi* (mnam) *qui decem mnas habet, &c. quia omni habenti dabitur & abundabit.* Quid obſecro hic mali? Omnes mendicantes Ordines appello. *Quod verò S. Spiritus, qui certis regulis alligatus non eſt, quandóque etiam eos Religioſos, qui ex vi Vocationis ſuæ aliorum ſalutem publicis functionibus non procurant, ad populos fidei Catholicæ adiungendos magnúmque in Eccleſia fructum faciendum vocet, iiſque peculiaria auxilia atque ardorem ſpiritus tribuat, ex omni antiquitate noſtrorum quoque*

tempo-

temporum experientiâ notum eſt. Hæc *Iuſta defenſio.* Quid habes iam Liuor, quod iuſtè carpas? 5. Ait Ardinghellus pag 76 falſam fuiſſe Mutij Societatis Patriarchæ, *& Phariſaicam gloriationem, quando anno* 1616. *ſcripſit, ſpiritum illum, quo primùm animata coaluit Societas, etiamnum conſiſtere in ipſo Societatis corpore, & non modò nondum mortuum, ſed valentem eſſe & vegetum.* At ſcito Ardinghelle ſcripſiſſe hæc P. Generalem ad ſocios, non gloriandi animo, phariſæorum more, ſed adhortandi, vt & currentibus calcar adderet, & ſi qui langueſcerent, eos ad impenſius Deo ſeruiendi ſtudium incitaret. Falſa autem illum ſcripſiſſe, tam parum demonſtras, quàm parùm vera ſunt, quæ pag. 77. in P. Paulum Laymann & P. Adamum Conzen maledicè iniurioſéque effudiſti; quorum virorum ſumma laus eſt ab eo vituperari, & conuitijs peti, quem tot documentis iuratum veritatis hoſtem; imò & honeſtatis eſſe oſtendi; quippe quem non puduit turpiſsima obſcenitate verborum, duodecimum paradoxum ita conſpurcare, vt te velut impurum Arbitri Sacricolam, animum gerere maculoſiſsimum palàm omnibus patefeceris; Collige, quidquid tibi eſt ingenij & eloquentiæ, vt te caſto calamo, & mente integra illa ſcripſiſſe alijs perſuadeas, non credo tamen quenquam, tam delirum fore, vt tibi fidem habendã arbitretur. Quare cum paradoxum iſtud, ob laſciuiſsimam impuri-

De dicto P. Generalis maleuolè ab Aduerſario explicato.

puritatem neque in ſpongiam incumbere meritum ſit, ad Veneris maritum rectiſsimè ablegabitur, vt lignis infelicibus expietur.

Pag. 79. Ieſuitas in Hiſpania Patris Menæ mortem mentitos, & in templo eius ſimulacrum funerali officio, cùm ad rogum ab Inquiſitoribus expoſceretur, eſſe proſecutos, ipſo ſaluo in alias terras dimiſſo, commentum quoque impudens eſt, & ex maleuoli alicuius cerebro exſculptum. Ita plures conſtanter aſſeuerant, qui in Hiſpania eo tempore fuerunt. Si reſpiceret huius fabulæ auctor pedes ſuos, expanſas vario colore pennas citò pauonum more contraheret.

At pergit Ardinghellus, & ex paradoxis iſtis etiam fructus aliquos carpit, dignos tali mendaciorum Dædalo: quia cùm eos in Ieſuitarum hortis non inueniſſet, finxit, vt inueniret.

FRVCTVS PARADOXORVM.

Arcan. pag. 79. 1. FAlſum eſt nonnullos Catholicos Principes, fide iſtis paradoxis habita, omnes Religioſos Ordines præ vna Societate contemnere &c. Nomina, ſi potes; vel vnũ talem Principem, ſine calumnia. Quomodo etiam iſtis paradoxis fidem quis habuerit, quæ ſunt abs te primùm fabrefacta, vti planum feci, & à Ieſuitis nunquam principibus

pibus propoſita? *per Ordinis Benedictini Monachos, Deo iuuante, varias hæreſes fuiſſe* plùribus locis *interemptas*; neque vllus Ieſuitarum impedit, quo minùs eadem nunc faciant, quæ maiores ipſorum glorioſiſsimè fecerunt.

Illud Laymanni dictum: *Hæreticos mandatis minis, ac pœnis reduci debere: & hunc eſſe optimum eos ad fidem Catholicam conuertendi modum:* non carperes, pag. 80. ſi mentis tuæ compos eſſes. Meminiſtin' quantopere olim in Hypobolymæo tuo Scaligero contenderis, *hæreticos centum plagis, vt Salomon loquitur, hoc eſt, pœnis & incommodis terreri, & ad maiorem ſalutis ſuæ curam, & ad inueſtigationem veritatis excitari, atque impelli debere?* pag. 321. *nullius magis, quàm ipſorummet hæreticorum intereſſe, vt quamprimùm exorti fuerint, è medio tollantur?* pag. 322. *Ignominia, opprobrio, accuſatione, morte, afficiendos eſſe?* pag. 323. col. 2. *S. Auguſtinum dicere, experimento ſe probaſſe, multis prodeſſe cogi ad fidem?* pag. 329. Quid de *Eccleſiaſtico* tuo dicam?, In cuius cap. 107. hæc ſcripſiſti: *Theologorum diſputationes infructuoſæ ſunt, neque hæreticos, aut eorum diſcipulos ad verum conuertunt, niſi magiſtratus ſæculares latis legibus, & pœnarum terrore obedientiam Epiſcopis debitam ſanciant, & peſtilēte ſiue hæretico multato, ſtultos eius diſcipulos ſapientiores reddant.* Plurima his ſimilia reperiuntur in eodem Eccleſiaſtico c. 109. 110. 115. 126. in

An hæretici etiam mandatis ac pœnis ad Catholicam fidē poſſint reduci.

Scioppij doctrina notiſſima.

in *Claſsico belli ſacri* c. 2 & 18. in *Conſilio Regio,* titulo, *Carolus M. Imp.* Quis ergò, iam non miretur vertiginem atque improbitatẽ tuam, quâ in Ieſuitis tam hoſtiliter eam doctrinam exagitas, quam tu tot annis contẽtioſiſsimè in tuis libris tradidiſti? quámque non ignoras & eſſe conſentaneam Iuri Canonico atque Ciuili; & eſſe communem omnibus etiam alijs religioſis, quorum magnum numerum recenſui in Anti-Melandro parte 2. c. 5. n. 22.

Antilogia aduerſarij. 2. Falſum eſt, pag. 81. *Alios Principes, qui Ieſuitis vtuntur confeſſarijs, religioni non habere, monaſteria vexare, ſpoliare, exactionibus grauare, ab illis decimas exigere ad belli impenſas &c. quod credant Ieſuitis, magnas opes eſſe cauſas corrupta monaſtica diſciplina &c. vt ideo haud multo optabilior ſit monachorum ſub talibus principibus conditio, quàm ſub principibus proteſtantium.* Hæc & eſt in principes multos, & in Ieſuitas omnes grandis calumnia, cuius probationem ab Ardinghello iure poſtulo. Videantur *Politica* P. Adami Conzen, quanto ſtudio hortetur principes, ne Eccleſiæ bonis inhient, ne Cœnobijs & Religioſorum ſacræ quieti moleſtiam per ſuos miniſtros creent. Tu ipſe Ardinghelle fateris in Aſtrologia tua Eccleſiaſtica c. 1. pag. 5. *Societatis IESV Patres hoc vno meliùs, quàm vlla re alia, Cæſari ac Patriæ conſuluiſſe, quòd Auctores S. Cæſ. Maieſtati fuerint, veteres Religioſorum hominum*

Ordi-

Ordines omni gratia complectendi, & in Germania ab eorũ inſtauratione calamitatum publicarum medicinam & ſaculi felicitatem expectandi. In eadem Aſtrologia Eccleſiaſtica pag. 84. laudas mirificè Cæſarem, *quod vniuerſis omnibus planum fecerit, ſe ſuôsq; in monaſteriorum negotio nil decreuiſſe, niſi quod ad iuſtitia & prudentia praſcriptum examußim cõuenerit.* Quam igitur deteſtanda eſt leuitas & inconſtantia tua, qua hîc dicis, *Principes, qui Ieſuitis vtuntur cõfeſſarijs, vexare, ſpoliare, & exactionibus grauare monaſteria?*

3. Falſum eſt, *Monaſteria ſine vlla religione aut ſcrupulo peti & accipi in commendam, ſubſidium Epiſcoporum rei ſua malè gerentium, ſiue prodigorum, &c.* Si enim eiuſmodi Monaſteria petita & accepta ſunt, neceſsitate ſumma cogente, vt grandius malum declinaretur, (cùm maius Eccleſiæ damnum ſit, ſi integri Epiſcopatus intereant, quàm vnum monaſterium) nemo dixerit, id ſine vlla religione factum eſſe: Si autẽ *petita & accepta ſunt* abſque tali neceſsitate, tui officij eſt legitimè demonſtrare, id Ieſuitis ſuadentibus & approbantibus eſſe factum; quod in æternum nunquam demonſtraturus es. **De commendis.**

4. Falſum eſt, *plurimorum animos in vitijs & peccatis ob eam cauſam confirmari, vel à perfectioris vita ſtudio deterreri, quod Ieſuitis credant, monachos tam nequiter improbeque viuere, &c.* Cùm enim hoc neque dicant, neque ſcribant

 Ieſui-

Ieſuitæ de monachis vniuersè, aut de maiore illorum parte, ſed de quorundam tantummodo ſcandalis omnibus notis, Bellarminus locutus ſit, fieri etiam non poteſt, vt quiſquam talia Ieſuitis credat. neque enim quiſquam dicendus eſt alteri aliquid credere, quando id ab altero non accepit.

An Ieſuitę prouincias fraudent precibus.

5. Falſum eſt *per Ieſuitas regna ac prouincias defraudari beneficio illo, quod vel ab vnius hominis perfecti Deóque grati ſanctitate ſibi polliceri poterant, &c.* Omnibus enim exploratiſsimum eſt, Ieſuitarum ſcholas fuiſſe in Imperio Romano poſtremis hiſce temporibus fæcundiſſima ſeminaria omnium Religioſorum Ordinum, qui ſi abſq; Societate fuiſſent, tantum numerum Religioſorum Deum precibus & jeiunijs colentium neutiquam habuiſſent. Paradoxum igitur non tantum maximum eſt, ſed & mendax calumnia, per Ieſuitas defraudari regna ac prouincias viris, qui pro peccatis populi apud Deum intercedant.

6. Falſum eſt vllum principem vſque eo *ſe in ſeruitutem Ieſuitis addicere, vt ipſius quoque Pontificis in eos Imperium minuere, ac circumſcribere religioni non habeant, eorúmque aduerſus Apoſtolica mandata contumaciam alat ac foueat,* Argumentum, quo id Aduerſarius pag. 83. ſtabilire nititur, ficulneum eſt. De Pragenſi Academia reſpondebo c. 5.

Ad ea verò, quæ de P. Poza affert Ardinghellus, dabunt reſponſum Hiſpani, qui rei no-

titiam habēt. Satis iam eſt publicè cognitum quid contra Franciſcum Roales, accuſatorem, Pozæ, in Hiſpania ab Inquiſitoribus fidei ſit conſtitutum. Si tamen Poza vel quiſquis alius Ieſuitarum malè egit, aut docuit, nunquam futurum eſt, vt Societas ei patrocinetur.

7. Falſum eſt, *Deum tot bonorum ſibi & ſanctis ſuis conſecratorum profanationibus & ſacrilegijs Ieſuitarum ſuaſu commiſsis grauiſsimè offenſum, virgam furoris ſui, Aquilonares reges ac populos in Germaniam immiſiſſe, &c.* O mi homo, quàm longè aliæ ſunt huius diuinæ animaduerſionis, atque caſtigationis cauſæ: quas in Anti-Melandro præfat: ad Lectorem expoſui; & tu ipſe in *Conſulatione de cauſis & remedijs publicarum Germaniæ calamitatum*; Igitur & in hoc tibi rurſum es contrarius.

Exempla, quæ de Ezechia rege, pag. 85. & Carolo Craſſo Imp. pag. 79. adiungis, ad rem nihil faciunt, niſi quod huius contumelioſi Opuſculi de *Paradoxis Ieſuiticis* authorem, qui ſe Auguſtinum Ardinghellum ementito nomine vocat, luculentiùs omnibus patefaciunt, & in ſolis lumine clariùs collocant; quippe qui in Aſtrologia Eccleſiaſtica Gaſparis Scioppij pag. 84. intrepidè fatetur, ſe non ita pridem hoc ipſo Ezechiæ regis, & Caroli Craſsi exemplo, Cæſari per litteras demonſtraſſe, rem omnibus Regnis atque Imperijs noxioſiſsimam, ac planè fatalem eſſe, ſi vlli

 alte-

alteri Ordini, quàm cui dicatum eſt, ſub prætextu maioris boni monaſterium concedatur, &c. Quod argumentum, (vt ſupra monui) in omnibus quoque competis, triuijs, & conuiuijs ſolitus eſt idem Grammaticus, vt teſtes fide digni aſſeuerant, ad raucitatem vſq; aduerſus Imperatorem & Ieſuitas creberrimè declamitare.

Concluſio. Atque ex his, quæ hucuſq; dicta ſunt non dubito, quin Lector abundè intellexerit, multas in his paradoxis ſententias Ieſuitis falsò adſcribi; quæ ex aliorum, non autem Ieſuitarum fontibus profluxerunt.

Deinde pleraſque ab Aduerſario aut luxatas, aut truncatas, aut alienorum verborum interpoſitu interiectúque ſubdolè corruptas, & in ſiniſtram partem eſſe detortas: quod nullum ingenuum ſcriptorem decet. Quæ ratio agendi ſi à ſcelere abeſſe videatur, nihil vetabit, quin etiam ex Euangelijs poſsit aliquis impius ſycophanta *paradoxa* colligere, & Chriſtum de abſurda doctrina inſimulare, vt Iudæi fecerunt, & hodiéque amant facere hæretici. Denique non pauca in his paradoxis in crimen vocantur, quæ & alij Religioſi litteris tradiderunt, quos tamen nemo vnquam grauiore cenſura notauit; ideo palam eſt, non niſi inuidiâ ac maleuolentiâ calamos iſtorum in Societatem armari.

Cur Bellarminus ab Ar- Exempli cauſa; horrendè flagellatur Bellarminus, quod iſta ſcripſerit, in libello *de gemitu*

mitu Columba lib. 2. c. 6. *Sancti Benedicti, & S. Dominici, & S Franciſci, & omnium aliorum Sanctorum, qui religioſos Ordines inſtituerunt, filij & nepotes per multos annos ita ſanctè, piè, perfectè vixerunt, vt vel omnes vel eorum pars maxima inſigni ſanctitate floruerint. Poſtea tamen multiplicari cœperunt regulares ſine numero, & multi non à Deo vocati ad ſtatum perfectionis, ſed alijs rationibus adducti, monaſteria repleuerunt; & impletum eſt illud Iſaiæ: multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam: Inde nata ſunt ſcandala grauia, & multiplicia, omnibus nota, quæ materiam vberem præbent columbæ gemendi & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem Ordinum religioſorum. Quamuis enim nullus ſit Ordo religioſus, in quo non aliqui verè pij ſanctique reperiantur, tamen negari non poteſt, quin magna inueniatur in quibuſdam Ordinibus multitudo relaxatorum.* Et in fine caput ſic concludit: *Ex quibus omnibus colligitur agendas eſſe gratias Deo cum ingenti lætitia pro tot ſanctis hominibus, quos Ordines Religioſi Eccleſiæ Catholica pepererunt, & indies pariunt; & ſimul etiam fundendas lachrymas copioſas pro deformatione, quam paſſa eſt tam illuſtris portio Gregis Chriſti, & ſimul orandum aſſiduè Deum, vt conuertat corda Patrum in filios, & relaxatos filios ad prudentiam ſpiritualem & feruorem cordis patrum iuſtorum.* Hæc Bellarminus, quæ adeò copioſam bilem in naſum conciuerunt non nemini, vt integris libris aduerſus Bellarminum euulgatis, quaſi

dinghello impugnetur.

Grauinæ, in voce Turnu & cong

minata voce Turturis.

quaſi claſsico ſignum omnibus religioſis ad pugnam dederit. Sed, O mi bone, cur tantopere tumultuaris ob tam paucula, támq; lenia, & nullo felle amaritudinis aſperſa dicta? quæ ſi conferantur cum ijs, quę S. Bernardus ad VVillermum Abbatem Cluniacenſem; vel Dionyſius Carthuſianus in Opuſculis *de Reformatione Clauſtralium*, & *profeſsione monaſtica*; vel Ioannes Trithemius Abbas *in Regulam* S. Benedicti, & *de Ruina Ordinis monaſtici*; aut Ioannes Nider Dominicanus in libris de *Reformatione Religioſorum* ſcripſit, prorſus inter mitiſsima habenda ſunt, vt non videam, quid jure à quoquam reprehendi poſsit, præſertim ſi mentem integerrimam aſpiciamus, quâ iſta ſcripſit Bellarminus, qui non voluit ſauciare, ſed mederi; non criminari, ſed criminationi obſiſtere; non riſum mouere, ſed commiſerationem; non ipſos Ordines ignominiâ afficere, ſed nonnullorum Ordinum homines meliores efficere. Hæc ſunt ſuſpiria, hi gemitus, hæ lachrimæ Bellarminiani libelli, non quales Crocodili ſimulant, ſed quales iam olim, & nuper alij religioſi quoque vbertim profuderunt.

Fr. Boucquetius Dominicanus idē ſcripſit, quod Bellarminus.

Edidit in lucem anno 1611. ex officina Plantiniana, R. P. F. Ioannes Boucquetius Dominicanus Antuerpienſis, ac Prior Yprenſis tres libros Fr. Ioannis Niderj eiuſd. Ord. *de Reformatione Religioſorum.* Is in epiſtola dedicatoria ad Auguſtinum Galaminium Magiſtrum

ſtrum Generalem ſui Ordinis hæc habet; *Nihil omnino eſt, quod adeò vehementer deſidero, quàm omnium omninò Religioſorum Ordines florere, eorúmq; vigere dotes, aut certè emortuas reuiuiſcere, quibus olim ſunt nati, propagati, totiq; orbi Chriſtiano commendati. Quod ſi fiat, omnia mihi pollicentur, totam Remp. Chriſtianam feliciſſimam faturam, dum videbimus omnem perfidiam, quæ plurimas orbis plagas longè latéq; inuaſit, hominúmq; deploratos mores obliterari & emori, & auitam fidem puros caſtóſq; mores renaſci, & caput erigere.*

Age, iam dicito, annon abſentia deſideramus? Ergo non cenſuit Boucquetius præſentem ſtatum Ordinum ita florere, vt nulla penitus egeant inſtauratione: alioqui cur tam ardenti eorum inſtaurandorum flagraſſet deſiderio? aut quomodo cuperet mortuas religioſorum dotes reuiuiſcere, ſi nuſquam languerent, ſed vbiq; eſſent vegetæ? viuidæ? floridæ? Si etiam Reſpublica Chriſtiana nondum eſt fælicisſima, ſed primum talis futura, quando Ordines religioſi ſuo priſtino vigori erunt reſtituti, nonne clariſsimè ſequitur; Ordines, iudicio Boucquetij adhuc defectu primigeniæ illius pulchritudinis ac firmitatis laborare? Et quid opus fuiſſet Librum Nideri de *refomatione Religioſorum* eo tempore, tantâ curâ dare luci publicæ, ſi omnes fuerunt *cãdidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, & ſaphiro pulchriores?*

Pharmacum hoc ſalutare (inquit porro Boucquetius) *& reficiens nutrimentum P. Ioannis Nideri, repertum à R. P. Fr. Iacobo Mollano &c. Tua Reuerendiſsima Paternitati omnibus in ſacra Religionis profeſsione ægris, atq; exhauſtis & deficientibus propinandum offerre decreui, eò quod totum debeatur R. P. T. à tuo confectum, à tuiſq; repertum.* Et poſt pauca. *Nec tuos curabis modò, ſed tuo auſpicio cuncti, quod tuos curauit, ſuis morbidis adminiſtrabunt.* Item, *Age igitur Reuerendiſsime Pater, infracto animo ſuſceptam tuæ Religionis reſtitutionem in Regno Neapolitano & Italiæ locis perfectam, in Chriſtianiſsimo Franciæ regno conceptam peragas, téq; intueantur cæteri religionum præfecti, ceu organum quoddam à Deo electum ad euehendam & illuſtrandam gloriam & maieſtatem ſtatus Religioſi, eiúſq; profeſſos ad eius amorem inflamma, obtrectantium obſtruas ora &c.* Ecce! fatetur Boucquetiꝰ ſine circuitione, adhuc *ægros, exhauſtos* & *deficientes* in ſuo Ordine ſupereſſe, quibus hoc tam præſentaneum adhiberi poſsit medicamentum. Si omnes omnino incorrupta Sanitate fruerentur, ſi nemo ægritudine afficeretur, ſi integro robore & viribus infractis vniuerſi conſtarent, nonne in caſſum obtruderentur illis medicabiles ſucci, & omnis generis fomenta?

Huic accedit, quòd non niſi in *Regno Neapolitano & Italiæ locis Boucquetius ait perfectam eſſe Religionis* (ſuæ) *reſtitutionem: in regno*

Fran-

Franciæ verò tantummodo conceptam; de alijs regnis & prouincijs altum ſilet: addit etiam *cæteros Religionum præfectos conſpecto hoc* exemplo permoueri poſſe *ad euehendam & illuſtrandam gloriam & maieſtatem ſtatus religioſi*, quo ipſo ſatis ſignificat, quid de alijs Ordinibus ſentiat.

Adhæc poſt paucas pagellas in *præfatione ad Religioſos* ita loquitur. *In hanc præclaram vitæ* (religioſæ) *rationem videtur velle irrepere quædam vitæ corruptio, & languor pietatis.* & *Inſtituta SS. Patrum, qui varias vitæ ſanctiſſimæ formas ſuis præſcripsêre, nonnihil labefactari; cui malo ni tempeſtiue ij, quorum intereſt, occurrant, in maximum diſcrimen deueniet, quidquid eſt Religionis, quidquid bonarum legum, quidquid monaſticæ diſciplinæ, quidquid probatorum morum, quidquid honeſtorum ſtudiorum, & ſicut populus, ſic & ſacerdos. Audeo itaq; quod in maris tempeſtatibus quis audet: Scio prudentes præfectos Religioſorum meis monitis non egere; non aſpernabuntur tamen, cùm nullum fretum adeo tranquillum, quod non quandoq; ſuos patiatur motus, in quibus quantumuis periti gubernatores ſe à quouis* (igitur etiam à Bellarmino) *moneri patiuntur.*

Deniq; in alia *præfatione ad Candidum Lectorem*, hæc ſcribit Boucquetius. *Huius* (R. P. F. Ioannis Nideri) *varia extant opera, doctrinâ referta; inter alia opuſculum quoddam de Reformatione Religioſorum perutile ad collapſas Re-*

ligiones erigendas, priſtinóq; candori reſtituendas. Hunc theſaurum & aureum opuſculum HAC TEMPESTATE COLLAPSIS *Religionibus Vtiliſſimum ac planè* NECESSARIVM *magno labore & induſtria quæſitum, repertum, & reſcriptum &c. non ſine magno multorum fructu & ſalute euulgandum exiſtimauimus.*

Hinc iterum diſcimus, 1. Boucquetij ſententiâ, inſtituta Patrum præſenti tempore in varijs Ordinibus *labefactari*, ac corruptioni vitæ & languori pietatis locũ dari. 2. grãde diſcrimen Religionibus impendere, nî mox malis obuiam eatur. 3. Hoc diſcrimen tantum eſſe, vt ſummum videatur; cuiuſmodi eſt in tempeſtatibus maximis maris, quando cuiuis licitũ eſt monere præfectos. 4. Etiamnum collapſas inueniri Religiones, vt neceſſarium ſit librum Nideri de Reformatione euulgare ad multorum (ſcilicet *morbidorum*) ſalutem. Ergo citra omnem dubitationem agnoſcit etiam Boucquetius multos nunc exiſtere *Relaxatos religioſos.*

Seruatij Layruelz ſententia. Seruatius quoque Layruelz Præmonſtratenſis Ordinis Vicarius generalis in Optica Regularium, *præf. ad Candidi Ordinis Candidos Lectores, Deum teſtatur, nihil aliud ſibi ob oculos poſitum fuiſſe, dum calamum* (ad ſcribendam Opticam illam) *arriperet, præter Vnam Dei gloriam, & ſanctæ diſciplinæ* NON PARVM COLLAPSAE INSTAVRATIONEM. In ſpeculo 1. pag. 3. *Faxit Deus,* inquit *Vt in die furoris huiuſmodi religioſorum* (malorum) *catalogo non adſcribamur.*

mur. Vereor tamen magnopere, ne id PLVRIMIS *accidet, qui agunt vitam monaſticam, nec agunt vouent, nec reddunt; regulam profitentur, nec ad regulæ præſcriptum mores ſuos exigunt &c. ſeipſos per obedientiam abnegant, totóſq; vt holocauſtum Deo conſecrant, nec Prælatorum iuſſa detrectare,* PASSIM *religioni ducunt.* Loqui autem Seruatium de illius temporis religioſis, quo hunc librum vulgauit, apparet ex eo, quod ſtatim adiungit, ſe talibus *hoc ſpeculum inſpiciendum obijcere, vt animaduertant, quàm diſſonum ſit à ratione, quod agunt.* Fatetur ergo & *plurimos* tunc fuiſſe relaxatos &, *paßim*, hoc eſt, in multis locis.

Eod. ſpeculo 1. pag. 9. Vndecima inſtructione ait: *D. Thomas ſcholaſticorum facilè Princeps, hoc etiam inter cætera docet; Religioſum ſtatum non ſolùm in perfectione charitatis conſiſtere, ſed etiam in perfectione pœnitentiæ. Sed quid* HODIE *nonnulli in hoc pœnitentiæ ſtatu moliuntur? Nonne feliciſſimum hunc ſtatum in miſerrimum, videlicet excæcationis, miſerrimè commutant? O quàm diſtant illi ab illo Monaſtico Hectore Norberto?*

In ſpeculo 3. pag. 16. *mihi,* inquit, *ſæpenumero ponderanti Monaſteriorum quorundam ſtatum deprauatum, & requirenti inter quotidianas meas lectiones cauſam, atq; inter fletus & lachrymas vberes, Deum roganti, vt mihi huius morbi fomitem ſimul & remedium panderet, non occurrit aliud veriùs, quàm illud veridici vatis Hiere-*

Hieremiæ. Quia ſtultè egerunt paſtores & Dominum non quæſierunt, propterea omnis grex eorum diſperſus eſt, &c. Nolite mihi ſuccenſere Patres Venerandi (alloquitur Abbates & Superiores Ordinum) *apud Vos Veritas odium parere non debet, qui Veritatis in terris eſtis Vicarij, &c.* & pag. 19. eod. ſpec. *Nunquam in caulas noſtras tanta proruperunt Vitia, quàm NVNC: nunquam auaritiæ lupus rapax, proprietatiſque ſuaſor ita noſtros inuaſit; nunquam caſtitatis inſidiator noſtros agros ita depopulatus eſt; nunquam filius ſuperbiæ ita noſtros ad obedientiæ prætergrediendos limites faſcinauit.*

Ibid. pag. 24. *Si recurrimus ad tempora quæ NVNC longè alia ſunt, quàm TVNC* (id eſt viuente S.Norberto) *& quæ nos Viles & abiectos inter confratres non patiuntur eſſe. Quæro, quo tempore profeſſionem egimus? Nonne hoc ipſo tempore? Atque in profeſſione ſecundum Sanctiſſimi P. Auguſtini Regulam nos Victuros, & mores correcturos promiſimus. Hoccine eſt mores corrigere? Hoccine eſt ſecundùm Regulam Beatiſſ: Auguſtini, quæ dicit omnia communia, Viuere? Accedit, quod prout NVNC à multis Viuitur, dignitas noſtra minuitur, &c. Plus gloriæ etiam mundanæ Northerus, Bernardus & Benedictus acquiſierunt ſuis obſeruantijs inſiſtentes, quàm nos externa ac ſæculari pompa addicti, etſi annos ageremus Neſtoreos, acquirere poterimus.* Hæc ſi Seruatius Layruelz anno 1603. quo iam Præmonſtratenſium monaſteria fuerant in pluribus prouincijs

uincijs per reformationem in meliorem ſtatum reducta, adhuc ſcribere non dubitauit, quid ſcripturum fuiſſe putabimus, ſi priora tempora voluiſſet ſuis coloribus depingere?

Fecit tamen id ſcriptor Vitæ VVilhelmi Rothenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, quam publicauit, & elogio illuſtrauit R.P.F.Ioann. Chryſoſtomus Van der Sterre ad S. Michaëlis Prior Antuerpiæ, eiuſd. Ord. anno 1627. ex Officina Plantiniana, cap. 3. his verbis: *Magna & atra ignorantiæ nubes vniuerſam Eccleſiæ ſphæram obtexerat, graui vbiq; laborabatur inſcitia, ſacerdotes ipſi rudes, & legis diuinæ imperiti, prô dolor, reperiebantur; eóq; lues communis omnibus, ipſa etiam pietatis ſacraria & Chriſtianæ diſciplinæ receptacula, Monaſteria, inquam & cænobia peruaſerat, adeóque denſis inſcitiæ tenebris inuoluerat, vt vix centeſimum quemque, vel paulùm politioribus litteris excultum inuenire licuerit, quæ res quantas clades, quantáſque ſtrages non ſolùm vniuerſæ reip. Chriſtianæ, ſed ſingulis etiam monaſteriorum habitationibus, inflixerit, vix deplorari, ne dum explicari ſatis* VNQVAM *poteſt. Errabant & aberrabant* PASSIM OMNES, *ruebant in præcipitia; non ad legis præſcriptum, ſed libidinis impetum vitam inſtituebant: voluebantur in foueas infernales cæca mente, & cæco ductu, nemine ferè per doctrinam agnoſcente & demonſtrante iter ad cæleſtem patriam ſecurum & expeditum.*

Scriptor Vitæ VVilhelmi Rothenſis, Ord. Præmonſtratenſis.

Et Cap. 17. *Illud priùs deplorandum occurrit,*

tempo-

temporum nimirum iniuriâ, ac hominum paſsim craſſa inſcitia, partim deſtinata nequitia, in eum miſeriarum Oceanum nō ſolum vanos ſaculi filios, ſed etiam Deo dicatos Religionum alumnos fuiſſe immerſos, vt ſtatus vocationiſque obliti, non quò diuinus ille ſpiritus, ſed quò fallax mundus, effrenis caro, ſeductor Satanas inuitabat, furibundo impetu pracipites agerentur, & eos, qui viam Dei ingreſsi, ipſorum oculos vita innocentia perſtringentes, turpia eorum facta praclara viuendi ratione condemnatum irent, acerrimo odio proſequi, miſeriarum procellis obruere, ac omni, qua poſſent, via, facta eorum bona vel tollere, vel oblitterare, caca & audaci mente conſilioque non vererentur. Quod malum occulto Dei iudicio permiſſum, vt alia pleraque, ita etiam Rothenſe noſtrum monaſterium perſuaſerat, & in VVilhelmi tempora vſq; nonnullos reperit, quos tranſuerſim abreptos ad ſimilia promptos paratóſque haberet, &c. Hæc alter ſcriptor ex laudabiliſsimo Ordine Præmonſtratenſi.

Ardinghellus tribus teſtibus non Ieſuitis conuictus falſitatis.

Quid iam ais Ardinghelle, cum tua *Congeminata Voce Turturis*, qui tribus teſtibus non Ieſuitis, ſed monachis es conuictus? Etiam horum chartas inter *impias, nefarias, ſcandaloſas, peſtiferas* collocabis? etiam iſtos dices, *deſlorationem, relàxationem religioſorum Ordinum fuiſſe commentos?* adhuc negabis, *eſſe publicè nota*, quæ comprobata ſunt tot confeſsionibus typo expreſsis, & *per totam Europam diſperſis?* Certè aut Bellarminus, qui longè

longè minus ſcripſit, quàm iſti, à crimine abſoluendus eſt, aut hi quoque condemnandi. Impius autem & nefarius ſis, ſi iſtos candidiſsimos viros voluiſſe denigrare famam Sanctorum Ordinum audeas vociferari. Procul abfuit ab eruditiſsimo & ſpiritu DEI pleniſsimo Seruatio Layruelz hæc calumniandi prurigo: qui *Vidit præuaricantes*, & in intimis medullis *tabeſcebat*. procul etiam abfuit à Boucquetio, qui Religioſorum omnium incolumitatem, & florentiſſimum ſtatum acerrimè concupiuit: procul à laudatore VVilhelmi Rothenſis, cui non modo ſui Ordinis, ſed & aliorum ſalus in deſideratiſsimis fuit. Dixerit Bellarminus *nata eſſe ſcandala grauia & multiplicia, poſtquam in Ordinibus religioſorum numerus eſt multiplicatus*. Quis hiſtorias Eccleſiaſticas ſuperiorum ſæculorum poſteritati tradidit, & hoc non etiam dixit? dixerit plorandum eſſe, & flumina lachrymarum profundenda, ob religioſorum quorundam peccata. dixit hoc quoq; S. Bernardus, S. Antoninus, Vicentius, Niderus, Dionyſius Carthuſianus, Trihemius, Baronius, & alij. dixerit hoc poſtremo etiam tempore adhuc in Ordinibus eſſe magnam *relaxatorum* multitudinem: Annon hoc ipſum aſſeuerantiſsimè dicunt Boucquetius, Layruelz, & alij optimi religioſi. Cur ergo pugnis & calcibus ſolus contunditur Bellarminus, & omnes alij impunè abeunt?

Bellarminus defenditur.

Oedi-

Oedipo coniectore non eſt opus. Ieſuita fuit Bellarminus. Luat ergo ſupplicio ſcelus, quod nunquam admiſit.

Ardinghellus in ſe duram ſententiā pronunciauit.

Non vides Ardinghelle, quam in teipſum duram ſententiam pronunciaueris? Nonne tu ipſe in *Scorpiaco* tuo contra Sereniſsimum Iacobum Magnæ Britanniæ regem, Moguntiæ anno. 1612. typis edito pag. 10. ad D. Ioannem Canonicorum regularium Præpoſitum S. Crucis Auguſtæ hæc ſcripſiſti? *Nec enim aliâ causâ magis in illum religioſæ diſciplinæ montem conſcendiſtis, Deóq; ac Diuorum hominum ſpiritibus, quorum veſtigijs anguſtos ad montem illum calles impreſſos ac ſignatos videtis, propiores facti, fluxas caducáſq; ſæculi res, & velut poëta loquitur, beatæ fumum & opes, ſtrepitúmq; Romæ, ex alto iam deſpectatis, quàm vt quod in vobis eſt, eos quorum parentes & aui propter Cleri ac Monachorum plerorumq; Epicuriſmum, morúmq; diſſolutionem ab Eccleſia Romana diſceſſionem fecerunt, per conuerſationem ſine verbo lucrifaciatis.* & poſt pauca. *Animaduerteras enim alicubi diſciplinæ monaſticæ inſtaurationem, morúmq; in priſcam innocentiam ac ſanctitatem reformationem ideò fruſtra tentatam fuiſſe, quòd Abbates ac Præpoſiti leges quidem egregias probè figere, earúmq; obſeruantiam auſteritate ac metu ſancire didiciſſent, ipſos autem interea cum domeſticis adueníſq; cuticulam molliter curare, maioremq; fructuum monaſticorum partem gulæ ventríq; pollucere, nihil ad rem*

referre

referre exiſtimarent. Hîc palam fateris non tantùm vetera Religionum vulnera, ſed & recentiores plagas, Ordinibus à quibuſdam Prælatis impoſitas; Ergo tibi fas fuit hæc ſcribere, & nefas Bellarmino?

Friuolum autem eſt, quod occinitur, *hæreticis dari anſam, & incauto vulgo ad calumniandum religioſos; & quod de vno ac altero dicitur, de omnibus credi, in præiudicium graue bonorum, & fidei catholicæ.* Non enim eſt vllus metus huius periculi, quando *omnibus nota* ſunt, quæ dicuntur: præſertim ſi cum magna cautione dicantur, probíq; & innocentes expreſsè, vt à Bellarmino eſt factum, excipiantur & defendantur. Alioqui non liceret in vlla concione ſacra, publicè amplius occlamare ſceleribus: & erraſſent grauiter ſcriptores Canonici, qui S. Petri, S. Thomæ, Iudæ, Ananiæ & Saphiræ, ac aliorum lapſus litteris conſignarunt: Erraſſent & hiſtorici, Baronius, & alij, qui ſimilia commemorarunt: erraſſet Magnus Gregorius, S. Bernardus, Caſsianus, Climachus, Aluarus Pelagius, & alij, qui multorum religioſorum & anachoretarum perperam facta ſine adulatione monumentis litterarum tradita reliquerunt. Friuola ſunt, quæ obijciuntur à Gratina.

Itaq; tantum abeſt, vt per hoc præbeatur hæreticis, & alijs occaſio malè ſiue de religioſis Ordinibus, ſiue de Eccleſia Catholica ſentiendi, vt potiùs hæc efficaciſsima ratio

videatur eorum animos in oppoſitũ, eámq; clementiorem ſententiã inclinandi. Quando enim conſpicantur, ipſos Catholicos huiuſmodi noxijs, & ſceleribus taciturnitate ſua non ſolùm non patrocinari, ſed omnem rudentem mouere, altiſsimáq; voce clamare, vt mala corrigantur; vt praua in directa, & aſpera in vias planas conuertantur, ſatis argumenti habeant, vt ſibi perſuadeant, apud nos grauia non tolerari flagitia, nec approbari;

Deinde quomodo hæretici induci poſſunt, vt de omnibus religioſis, ac de Ordinum inſtitutis ſiniſtrè ſentiant, quando vident ipſos religioſos, hoc eſt Layruelzios, Boucquetios, Bellarminos, & alios, magno conatu ſe malis opponere, intrepidè in vitia inuehi, & nihil eorum, quæ ad emendationem morum ac vitæ facere poſſunt, intermittere?

Candida confeſsio ſceleris, faciliùs impetrat veniam.

E contrario autem nonne offenſione iuſtiſsima mouerentur, ſi negando manifeſta oculis caliginem vellemus offundere? quo pacto omnem in alijs fidem nobis detraheremus, ingenti noſtræ Religionis damno; quemadmodum indignum meritò cenſeas, cui vlla in re amplius quidquam credas, ſi quis mero meridie, & coruſca radiorum vi per totum cælum, rutilante, adhuc ſolem lucere præfractè abnuat. De apertis enim apertè eſt ſentiendum: & turpiſsima laus eſt, quæ mendacio nititur; nec quiſquam eſt, qui non malit

malit de veritate reprehendi, quàm argui falſitatis.

Sed & illis ipſis, de quibus agimus, *Relaxatis* tùm religioſis, tùm Præſulibus foret perniciosiſsima hæc infitiatio; quippe qui inde magis roborarentur, in ſua malitia, ſi cernerent, ſibi impunè licere malis eſſe, nec metuendam vllam reprehenſionem publicam; ſed bonorum laudibus omnia ſua ſcelera tegi & cohoneſtari. Relaxati ſtimulantur reprehenſionibus.

Ipſis denique Ordinum præfectis additur per eiuſcemodi admonitiones ingens ſtimulus ad ſtrenuè vigilantérque faciendum officium ſuum, quorum culpa & oſcitantia nonnunquam fit, vt vitia ſe inſinuent, & ſedem ſtabiliant in familijs ſacris etiam optimè conſtitutis. Etenim cum *dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania.* Non autem facilè obdormiſcent, ſi ſint, qui aures eorum identidem validis clamoribus obtundant; ad Iſaiæ exemplum, cui præcepit Deus: *Clama, ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & Domui Iacob peccata eorum.* Iſaiæ 18. Prælati ijſdē excitantur.

Cæterùm quando ait Ardinghellus pag. 58. *ſolidam & modeſtam refutationem* paradoxorum iſtorum Ieſuiticorum contineri in *Congeminata Voce Turturis* Ludouici Grauinæ, grauiter errat: cum neque ſolida eſſe poſsit, neque modeſta refutatio, quæ tot fallacijs & mendacijs nititur, vt luculentè iam demonſtrauit; Iudicium de Con-

geminata Voce Turturis, Ludouici Grauinæ.

ſtraui; vnde miſeret me Grauinæ, quem video ab Ardinghello ſplendidè ludificatum: dum ab eo perſuaderi ſibi paſſus eſt, Ieſuitas in Germania talia ſcripſiſſe, de quibus ne cogitarunt quidem.

Grauina in Societatem iniurius.

Negare tamen non auſim, quin Grauina multa inclementer in Societatem ſcripſerit, & in eam culpam verè incurrerit, de qua falsò coarguit Bellarminum. Bellarminus enim non niſi generatim, & modeſtiſsimè dixit, *in Ordinibus fuiſſe nata ſcandala, & multiplicia peccata publicè nota, poſtquam multiplicati* religioſi *fuerunt*, quod & alij viri Religioſiſsimi dixerunt: particulatim verò nec pilum cuiuſquam tetigit. Grauina autem non ſolùm Societati generatim ſæpiùs mordacem & veneniferum dentem infigit, ſed etiam perſonas nominatim in theatrum producit, atque incognita multis facta, imò etiam non facta commemorat ad odium Societati conflandum. Deinde valde ridiculum ſe facit Grauina, dum ait auctorem *Canea* eſſe de Britannorum vicinia hæreticum, fictúmque patronum, & verum hoſtem Societatis, quæ ab ipſo oppugnetur magis, quàm propugnetur; & tamen vbicunq; ſe offert occaſio, ipſe Grauina quoque non minùs ferox eſt, & ſæuus in Ieſuitas. Si *Canea* author ſimulato patrocinio in nos iniurius fuit, non debuiſſet Grauina iniurias nouas addere: chriſtiana charitas non poſtulat, vt ſi videas quempiam

Grauina ſibi contrarius.

iniquè

iniquè cædi flagellis, tu eum cædas Scorpionibus: Hoc namque eſt *addere afflictionem afflicto;* & omnis humanitatis obliuiſci. Deuteronomij 22. grauiter mandat Deus. *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de aſino, & de veſtimento & de omni re fratris tui, quæ perierit, &c.* Tanto igitur magis debuiſſet Grauina Societati parcere, cùm videret eam ſceleratè oppugnari, quanto præſtabilior eſt homo boue, aſino, veſtimentis. *Numquid enim de bobus cura eſt Deo?* 1. Corinth. 9.

Si Bellarminus debuiſſet abſtinere ab his dictis, ne hæreticis videretur indiculum contexere ſcelerum, quæ Ordinibus obijcerentur, cur Grauina non tantum Indiculum, ſed longum indicem *paradoxorum Ieſuiticorum* (vti vocat) ſuo libro præfixit, aut præfigi paſſus eſt? Quaſi verò non etiam inde Hæretici glorientur & triumphent? Miſera & pœnitenda eſt vulneris ſanatio, quæ fit maiore vulnere.

At Maieſtati religionum & multitudini innocentium, ac ipſi Eccleſiæ parcendum fuit: Ita eſt: Vtique pepercit illis prudentiſsimus Eccleſiæ Cardinalis Bellarminus; Vbi enim is Eccleſiæ Sanctitati, vbi Ordinum dignitati, vbi innocentium honori quidquam decer-

pſit? nonne bonos expreſsè de malorum numero ſegregauit? nonne eod.c.6.lib.2. clariſſimè quoq; dixit, *agendas eſſe gratias Deo cum ingenti lætitia, pro tot ſanctis hominibus, quos Ordines religioſi Eccleſia Catholica pepererunt, & indies pariunt?* Nego autem ad Maieſtatem Ordinum, vel ipſius Eccleſiæ pertinere, vt defendatur mendacijs. Sancta eſſet Eccleſia, ſancti eſſent Ordines, etſi non plurimi in ijs eſſent Sancti; non tamen infitianda ſunt, quæ ſunt manifeſta. Ita defendatur ſanctitas, vt non offendatur veritas. Scimus in tritico reperiri zizania, in granis paleas, in ſimilagine furfures, in oleo fœces; in Eccleſia atque Ordinibus bonos & malos. Hæc enim eſt rerum humanarum per hanc mortalem vitam conditio, vt *ſint bona mixta malis, ſint mala mixta bonis.*

Ita Sanctitas Ordinum defendẽda, vt non offendatur veritas.

De qua re præclarè Trithemius in prologo ad Reg. S. Benedicti c. 2. *Nulli tamen dubium,* inquit, *quin adhuc multi boni religioſi inueniantur, qui ſunt mixti malis, qui à malis in hac vita nunquam poſſunt ſeparari.* 23. *q.* 4 *c. quantum: Gaudeant boni, quos non tangit increpatio malorum.* Quod ſi ergo, Grauina iudice, cenſendus eſt lædere Maieſtatem Eccleſiæ, qui commemorat mala quæ facta ſunt in Eccleſia, quid reſtat, niſi vt in Pontum Euxinum demergat omnes Annales Baronij & Bzouij, in quibus permulta perperam geſta recenſentur; ne delicatulus aliquis opinionem minùs honorificam,

Baronius & alij multa in Eccleſia perperã geſta recẽſent; non ideo carpũtur.

ficam, quàm par eſt, de Eccleſia concipiat. Sed quid dico de Annalibus Baronij? hac ratione nec ipſos libros ſacros, ſeu Veteris ſeu Noui Teſtamenti amplius Grauina ferendos putet. Equidem ſi diceremus, Eccleſiam & Ordines ſuo calculo approbare ſcelera, ſua manu fouere, ſuo patrocinio defendere, ſua doctrinâ ſeminare, & ad impietatem peruerſámque vitam homines inducere, tunc læderetur Maieſtas Eccleſiæ & Ordinum. Atqui hoc nec Bellarminus, nec alius Ieſuitarum dixit; etſi quis diceret, veritas in eo non eſſet. *Nullus Ordo* (inquit Ioannes Nider in prologo ad libros de Reformatione religioſorum) *quippiam recipit inordinatum. Vnde non aduerſus Ordines, ſed pro Ordinibus exclamare putandus ero: quia non Ordines in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Si quibus verò diſplicuerint ſequentia, ipſi ſe manifeſtant; quia Ordines non diligunt, quorum vtique corruptiones & vitia damnari nolunt. Ipſis itaq; illud Gregorianum reſpondeo; Melius eſt vt ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur:* Hæc Niderus Dominicanus, qualia optimo jure poteſt Bellarminus pro ſe dicere contra Grauinam: quibus & iſta Trithemij addo, ex epiſtola præfixa libro illius *Penthico de ruina Ordinis Monaſtici: Lacerabor,* inquit, *inuidorum dentibus, ſcio, qui me vel præſumptuoſum iudicabunt, vel nimium. Sed obturatis auribus probra eorum ſecurus tranſibo; modò ſanctis & eruditis viris placeat onus, quod porto,*

Non Ordines reprehenduntur à Bellarmino, ſed inordinati religioſi.

G reg. Homil. 7. in Ezechiel.

Trithemius reſpondet etiã pro Bellarmino.

Nihil me ſcripſiſſe memini, quod æmuli iuſtè valeant lacerare, ſed vera, ſed manifeſta, & quæ oculis pateant omnium: quæ ſi ſcribi nolunt, doleant facta.

Quæ omnia non ideò adduxi, vt de Ordinum dignitate honore & exiſtimatione (Deus mihi teſtis eſt) vel vnicum atomum vellem detrahere, cùm omnes, qui me norunt, etiam norint, me erga religioſos quoſcunque ſemper optimè fuiſſe affectum, & ad omnia officiorum genera illis præſtanda agilem & promptum; qui affectus adeò non refrixit in pectore meo, vt paratus etiamnum ſim pro illorum defenſione, quantum mihi ſupereſt ſanguinis, profundere: ideo omnes in IESV Chriſto amantiſsimè oro, vt benignè interpretari velint, quæ hoc tertio capite ſcripſi, Ardinghelli malitia ac importunitate coactus. Apertè atque ingenuè fateor non poſſe verbis explicari ſatis laudes Ordinum, in quibus quolibet tempore fuerunt reperti viri doctrina, integritate vitæ & innocentia præclariſsimi, & admirandi, qui contra vitia Herculeis lacertis ſtrenuiſsimè ſunt digladiati, quíque gloriam & *decorem domus Dei* cupidiſsimè promouere, ac *ſcandala* ab alijs malè poſita, de medio tollere ſtuduerunt, qualis fuit in Ordine S. Benedicti Trithemius, S. Dominici Niderus, S. Franciſci Aluarus Pelagius, S. Nortberti Layruelzius: quorum libros ſi Grauina æquè lègiſſet, ac alios

alios profectò innocentis *columbæ* pios *gemitus*, & ſancta ſuſpiria ſua crocitatione non interturbaſſet.

Caput quartum.

BERNARDINI GIRALDI PATAVINI PRO SENATV VENETO Apologia, ſiue, De Iuſtitia decreti, quo Senatus Venetus adoleſcentes ditioni ſuæ ſubiectos, ad Ieſuitarum ſcholas accedere interdixit.

TAm fæcundum vterũ eſſe noſtro Grammatico ad parienda noua nomina, nemo mirabitur, qui apud ſe cogitauerit, quã idem ingenioſus ſit ad inuenienda noua mendacia, quibus hanc Apologiam, à capite ad calcem, ita infarſit, vt vehementer dubitem, an à Sereniſſ. Repub. Veneta eam gratiam, quam ſperat, hoc publico ſcripto ſit initurus. Certè nunquam exiſtimo fore, vt ei ſtatua honoris ob huius tam bene geſtæ rei memoriam, in S. Marci foro erigatur. Neq; enim potentiſsima illa Reſpublica videri volet ſe adeò defenſoribus nudam & orbatam eſſe, vt indigeat opera tanti calu-

Quam ingenioſus ſit adverſarius in excogitandis nouis nominibus.

mniatoris, qui etiam optimā cauſam præiudicio infamiæ ſuæ poſsit peſſundare; proinde ſi ea mercede tandem donabitur, quæ ijs debetur, qui neq; vocati; neq; rogati patrocinandi laborem ſuſcipiunt, quiq; ſe obſequium præſtare DEO putant, ſi *mentiantur Reipublicæ cauſa* (quod munus cuiuſdam Legati quondam dixit Grammaticus) non erit, cur multopere de illata ſibi iniuria conqueratur. Profectò omnibus neruis egregiè contendit in hac Apologia, ne quis ipſum talem patronum non eſſe, neq; non ſtrenuè mentiri poſſe ſuſpicaretur.

Orditur à Marianæ libro damnato.

Vt autem huius rei ſpecimina demus, Primò non puduit illum etiam hîc ordiri telam ſuam ab infami illo Ioannis Marianæ ſcripto; quod extremæ aut dementiæ, aut deſperationis videtur indicium. Cùm enim probè cognitum habeat, eius figmenti vanitatem in Ant-anatomia Societatis IESV ſectione.7. ita eſſe detectam & denudatam, vt omnes perſpicuè cernere poſsint, librum illum, ob ſummam & in mentiendo impudentiam, & in Eccleſiam Catholicam impietatem, flammis vltricibus eſſe dignum, quomodo auſus eſt toties hebetata tela, in nos denuò regerere, ſi non orbitate mentis, aut incredibili malitia laborat, quia veritati de induſtria bellum indixit?

At pulchrè oſtendit, quomodo Liber Marianæ in illius ſcrinio repertus fuerit. Quaſi

verò

verò non etiam aliquando pluchræ cudantur fabulæ! Quis enim hæc credat, illi quem in cæteris ſcit eſſe tam falſiloquum? teſtem, quem adducit pag. 104. maximâ iniuriâ afficit, falsóq; crimine iniurioſiſsimè onerat. Quis namq; veroſimile putet, Franciſcum Soſam, ſanctiſsimi Ordinis Franciſcani Generalem & Epiſcopum, vſq; adeo charitatis Chriſtianæ atq; iuſtitiæ fuiſſe oblitum, vt contumelioſas illas chartas Marianæ, ſi earum inuentor fuit, in Societatis nondum de ea re admonitæ, ignominiam, legendas aljis, deſcribendáſque dederit, inceptórq; primus infamationis huius publicæ eſſe voluerit? Hoc de tanto viro nemo ſibi perſuadeat; qui haud dubiè non ignarus, neq; immemor fuit illius Chriſti ſententiæ: *ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Matth. 18. Hanc profectò charitatis Regulam ſecutus fuiſſet Soſa, & de ijs, quæ Marianæ Liber continet, vel Prouinciales, vel ipſum Generalem Societatis in eius bonum commonefeciſſet, ſi vir religioſus fuiſſet; de quo cum nos nihil ſinat dubitare, manifeſtum eſt, à Grammatico hunc tantum Præſulem quoq; mendaciter traduci. Verùm vtcunq; ſe habeat iſta inuentio, adhuc quæſtio ſupereſt, an integrè & incorruptè

De inuentione libri Marianæ.

ruptè ad typos venerint, ſi quæ apud Marianam reperta fuerunt ſcripta; de quo, vt & de Nicolao Ricardio Dominicano, plura inuenies in Ant-anatomia ſect: 7. n. 2. & ſeqq.

De P. Florauantij pronunciato.

Neque minus falſa ſunt, quæ pag. 105. & 106. de P. Florauentio, qui vrbano. VIII. Pontificj à ſacris confeſsionibus fuit, ſine teſte addit. Quo enim loco? quo die? & in quorum præſentia factum eſt, vt conſpecto Marianæ Libro ille Pater in exclamationem iſtam eruperit, *Heu! heu! actum eſt de nobis Ieſuitis, quando nimis vera ſunt, quæ hic liber cantat?* Non fuit à ratione tam deſertus P. Florauantius, vt Societatem matrem ſuam, non auditam, non examinatam, non conuictam, ad vnius hominis accuſationem condemnaret, ſeſéq; conſtitueret iudicem ſui iudicis. non fuit à fide catholica tam alienus, vt eis ſuum calculum adderet, quæ ſententiæ Oecumenici Concilij Trid. & tot Pontificum Rom. Bullis aduerſatur: non fuit tam impius in Diuos Cœlites, vt de eorum honoribus, qui extra omnem inuidiam ſunt, tam impudenter vellet detrahere: non fuit deniq; tam delirus, vt ea maledicè carperet, quæ ſingulari Diuinæ ſapientiæ ductu, magiſterióq; ſancti Spiritus ſaluberrimè ſunt conſtituta. Cum ergo per hos omnes ſcopulos præceps ruat Marianæ Liber, & modò in Societatem mendax, modò in Eccleſiam Catholicam & ſummos Pontifices teme-

temerarius, modò in Cœli incolas iniurioſus, modò in ipſum Spiritum S. impius, & conſceleratus, grauiſsimè erret, quemadmodum in Ant-anatomia Sect. 7. & 11. validis argumentis liquidum planiſsimq; feci; P. Florauantius autem non ſolùm iſtius Grammatici, ſed ipſiuſmet Summi Pontificis iudicio *Vir ſummæ Virtutis* fuerit, nemo prudens congruere cum vero putet, eundem Patrem, viſo Marianæ Libro, illa *ſtolida conuitia linguæ* effudiſſe, eáq; ſua aſſenſione atq; authoritate comprobaſſe, quæ contra veritatem, contra Catholicæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ ſedis iudicium, contra Diuorum in cœlis honorem, contra placitum ipſius Supremi Numinis directò, & apertè pugnant.

Atque ex his perquàm facile eſt conijcere, quid de illo colloquio, quod pag: 106. Patrem Florauantium cum S. Pontifice habuiſſe dictitat, ſit ſentiendum. P. Florauantius iam extremum vitæ diem morte confecit; ideo poteſt de illo comminiſci Aduerſarius, quidquid inuidia & mala mens illi ſuggerit. Hoc tamen certo certius eſt; ſi in viuis adhuc ſuperſtes eſſet, illud Eccleſiaſtici. 34. u. 4. noſtro Grammatico occineret: *Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur?* Qui enim toties vanus & falſidicus deprehenſus eſt, an dignus ſit, cuius verba hîc pro oraculo Apollinis Pythij habeantur? Equidem ſi eiuſmodj querimoniam apud S. Ponti-

De eiuſdē P. Florauantij colloquio cum S. Pontifice.

Pontificem P. Florauantius de imminente Societatis ruina, de laxata in immenſum religioſa diſciplina, de maximo diſceſſu à Regula habuiſſet, dubitandum minimè eſt, quin ſua Sanctitas pro iure & poteſtate ſupremi Paſtoris, de efficaci remedio malis quamprimum adhibendo ſedulo ſtudio, paternâq; curâ laboraſſet, Patriq; Generali mandaſſet, vt labanti Societatis ædificio fulcimentum ſupponere, vt anguſtioribus habenis nimiam diſciplinæ libertatem compeſcere, vt ſocios à ſemita *Regulæ* longiùs digreſſos in viam ocyſsimè vellet reducere, aut, nî id faceret, aliud experirj. Hoc autem cum tanto temporis interuallo huc vſq; factum non fuerit, neq; Grammaticus demonſtrare poſsit, Vrbanũ VIII. in ſuo munere deſidiæ atq; ignauiæ deditum eſſe, manifeſto liquet, meriſsimam hanc eſſe fabulam, à Grammatico non modo in iniuriam Societatis ſed etiam Maximi Pontificis compoſitam.

De imagine P. Henrici Garneti. Eiuſdem furfuris eſt, quod (pag. 107. & 108.) de P. Henrici Garneti imagine addit,

Nam I. Falſum eſt, ſummum Pontificem *omnes imagines Ieſuitarum, quæ Romæ in Eccleſia IESV parietes ornabant, tolli iuſſiſſe.* Edictum enim illius tantummodo eorum imagines ſuſtulit, qui necdum ab Eccleſia inter ſanctos relati, nec *Beatorum* titulo publicitùs digni ſunt pronunciati; ideo adhuc ibidem conſpi-

conſpiciuntur imagines SS. Ignatij, Franciſcj xauerij, Beatorum Aloyſij Gonzagæ, Staniſlai Koskæ, Franciſci Borgiæ, Iaponiorum trium Martyrum.

II. Falſum eſt propter illius Scoti Baronis obmurmurationem (quam etiam vltra verum exaggerat Grammaticus) peculiari interdicto fuiſſe vetitum, ne imago P. Garneti in templo palàm expoſita maneret. Eſt enim notiſsimum, per *generale Decretum*, vt vocant, quod omnes etiam alios Ordines comprehendit & Romæ in ſolitis locis affixum ac publicatum fuit, omnibus Epiſcopis ac Archiepiſcopis mandatum fuiſſe, ne ſinerent in locis ſacris publicè vllas proſtare imagines, niſi eorum, qui ſanctorum cætuj eſſent ritè ab Eccleſia adſcripti, aut eâdem auctoritate *Beatificati*, vel certè vltra memoriam hominum velut ſancti, venerationi habiti. Ad quod generale mandatum etiam P. Garnetj imago Romæ, quæ in templo ſocietatis expoſita cernebatur, inde fuit remota. Qua promptâ obedientiâ ſocietas potiùs laudem promeruit, quàm tam acerbam vituperationem.

III Falſum eſt (pag: 109.) *Ieſuitas id adeo grauiter tuliſſe, &t inter nota interioris amicos minimè diuturnam eius contumelia Societati facta lætitiam Pontifici futuram, & ſeſe ſuis cum precibus propediem confecturos minarentur.* Cũ enim Grammaticus nõ ſit inter amicos Ieſuitarum,

tarum, *nota interioris*, neq; etiam vnquam fuerit, tantiſper reum mendacij haberi ſe beneuolè patietur, donec integros pro ſe, & minimè vacillantes det huius rei teſtes, quos nunquam eſt daturus. Non enim ſunt tam excordes Ieſuitæ, vt neſciant, quantum debeant ſummi Pontificis imperatis, præſertim in ijs, quæ ad bonum cōmune Eccleſiæ ſapientiſsimè conſtituuntur: quæ nequaquam fas eſt ab illis in examen vocari, qui ſtudium humilitatis & obedientiæ profitentur.

VI. Falſum eſt (quod pag. 107. ait) *lippos & tonſores noſſe, non religionis catholicæ cauſa ad ſuſpendium adactum fuiſſe Garnetum, neq; quod pulueraria aduerſus regem coniurationis per Confeſsionis ſacramentum conſcius fuerit, ſed quod ipſe eam machinatus auctorem ſe ſuaſorémq; coniuratis ad facinus audendũ præbuerit.* Contrarium norunt non ſolùm Lippi & Tonſores, ſed & maximi nominis, ſummæq; fidei viri, inter quos meritò numeratur Cardinalis Bellarminus, qui in c. 15. Apologiæ pro reſponſione ſua ad librum Iacobi Magnæ Britanniæ Regis pag. 243. & pag. 299. manifeſtam hanc calumniam à Garneto validè potentérque defendit, cuius verba in Mantiſſa ſect. 1. n. 9. recitaui. quæ apologia Bellar. etiam ab ipſo Fr. Ludouico Yſtelia, Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici eſt approbata. Extat inſuper Andreæ Eudæmon Ioannis,

annis, ad actionem proditoriam Edouardi Coqui prolixa Garneti defenſio, qua mendacia, quæ recoctus ille Coquus, non ſine fallaciarum Apophoretis coxit, neruosè refelluntur: cui defenſioni, niſi Grammaticus fortiora opponat, eſuriens ex huius Coqui Culina, non ſecus, ac canis Æſopicus, egredietur.

Neque lautiùs cœnaturus eſt ex venatione palmarij illius mendacij, quod de P. Generali ſubtexere illi libuit. pag. 109. ait: *Acceßit deinde purpura parum feliciter, quamuis non minimo cum artificio, ambita memoria. Cùm enim annis ſuperioribus Pontifex propediem in ſacrum Cardinalium Collegium complures cooptaturus ferretur, boni Ieſuitarum Aßiſtentes, quos vocant, eum adiêre, multíſque precibus, ne Societatem IESV Generali ſuo priuaret, contenderunt: quod Pontificem animo agitare fama per Vrbem increbuiſſet: non ſe quidem dubitare, quin Pontificem eò impellat perſpecta, iámque omnibus cognita Generalis eruditio, vis ingenij, prudentia, virtus, vitæq́ innocentia & ſanctimonia, quibus quidem ſacri Collegij dignitatem mirificè illuſtrari amplificaríque poſſe nemo non intelligat. Sed tamen æquum eſſe Sanctitatem ſuam Societati quoq; Ieſu conſulere, nec Patrem multis nominibus cariſsimum hoc tempore tam neceſſarium ei auferre. Pontifex nec inurbanus, nec tam hebes, vt patricias iſtas artes non perciperet, exporrecta fronte ac renidens, bono animo eſſe iußit, voti quippe futu-*

Mendacium ingens de P. Generali & Aſsiſtentibus illius.

 ros

ros compotes, ac ſimul omni eis aſſeueratione confirmatum eſſe voluit, nunquam ſibi, ne per ſomniū quidem, vt tanto Societatem incommodo afficeret, in mentem veniſſe. Atque hinc Mimus per Vrbem mox diuulgatus riſum mouit omnibus, atque infanti quoq; Paſquini ſtatua vocem elicuit. Generalis verò demittere auriculas, vt iniqua mentis aſellus.

Reſp: Hæc eſt immanis criminatio, qua ſuæ mentiendi libidini egregiè indulſit Grāmaticus, vt in Anti-Melandro parte 3. cap. 2. obiect. 1. n. 28. & 29. oſtendi. Factum ipſum ex fide & veritate ſic habet. Cùm ante non multos añosS.D.N. Vrbanus Pōtifex VIII. nouos quoſdam Cardinales renunciaturus eſſet, plurimorum ſermone circumfuſa per vrbē fama fuit, futurum eſſe, vt etiam Societatis Generalis eorum numero accenſeretur. Deportata eſt hæc ſuſpicio per magnæ authoritatis viros, etiam ad patres Aſsiſtentes Generalis, qui exiſtimarunt ſui muneris eſſe, vt, quoad fieri poſſet, à Societate malum prohiberent, piæq; voluntati S. Ignatij, & ipſorum Summorum Pontificum in *Conſtitutionibus* expreſsæ morem gererent. Vetant quippe Conſtitutiones parte 9. cap. 4. §. 5. Generalem Societatis *aliquam dignitatem, in qua ei Præpoſiti officium neceſſariò relinquendum eſſet, admittere*, ſine conſenſu Societatis; *Societas autem aſſenſum nunquam præſtabit, ſi Obedientia ſedis Apoſtolicæ non compulerit.* Et c. 5. §. 6. *Si age-*

Aſsiſtentium officium.

Si ageretur de dignitate, quam vt plurimùm pati non poteſt Prepoſiti officium, ſi non compulerit talis obedientia Pontificis, qua ad peccandum obligare poſſet, res in conſultationem ne adducatur: ſed id omnino tanquam certum tenendum eſt, nec debere, nec poſſe conſenſum ad huiuſmodi dignitatem præſtari. Itaq; Legibus Societatis compulſi Patres Aſsiſtentes(*Per quos Societas ſuam facultatem & prouidentiam exercet erga Generalem,* vti habetur itidem parte 9. Conſtit. c.4. A.& c.5. §.2.) conſultò decreuerunt adeundum quamprimum eſſe S.Pontificem,& deprecatione tempeſtiua, antequam obfirmet animum à propoſito pro viribus deflectendum. Melius eſſe præuenire,quàm præueniri.Si enim expectent, donec ab eo res confecta iam ſit, difficiliùs poſtea obicem poni conſtitutæ publicatæq; illius voluntati apud quem re adhuc integra,Patrum Aſsiſtentium ſupplex interpellatio minus offenſionis, & plus efficacitatis ſit habitura.Quare hoc munus Aſsiſtenti Italiæ impoſuerunt,vt ad Pontificem accederet, causámque Societatis orator deprecabundus demiſsè,& genibus nixus ageret; quod & fecit his ipſis Italicis verbis, quæ ex Archiuo Societatis Romano, optima fide tranſcripta adiungo.

BEATISSIMO PATRE.

P*Er Roma ſi dice aſſai largamente, che V.S Vuol promouere al Cardinalato il Noſtro P.*

Generale: con che fundamento, non lo ſappiamo, ne ci curiamo di ſaperlo: ci mette bene in neceſsità di fare il preſente officio con V.B. Se ſi trattaſſe di qualche particolare della Comp. toccarebbe al P. Generale impedire per quanto poteſſe: ma trattandoſi della perſona di lui, a noi Aſsiſtenti, che in queſta parte rappreſentiamo tutta la Compagnia, tocca opporci con ogni modeſtia, ma inſieme con efficacia. Vengo io in nome di tutti, i quali verrebbero à gittarſi alli piedi di V.S. ſe non fuſſe per fuggire le dicerie di Roma.

Sono 85. anni finiti, che la noſtra Compagnia fù eretta dalla ſede Apoſtolica, & in queſto tempo ſono ſtati ſei Generali di qualche conſideratione tutti. Di S. Ignatio fundatore diceua Papa Marcello, che baſtaua l' autorità di detto Padre, che molto premeua in queſto, che tutto il mondo reſtaſſe perſuaſo, non conuenire alla Compagnia entrare in degnità. Il P. Lainez huomo eminente in dottrina, come ſi vidde nel Concilio di Trento, Pio IV. voleua promouere al Cardinalato, ma per le raggioni addotte e da detto Padre, e della Compagnia ſe ne ritirò. Il P. Franceſco Borgia, che V.S. ci fece gratia vltimamente di Beatificarci, fù nominato più volto da Carlo V. e dal Re Filippo II. per Cardinale: & Giulio III. & Pio IV. erano pronti a farlo; ma ſi ritirarono ad inſtanza e di detto Padre, e della Compagnia. Il. P. Claudio Aquauiua Papa Clemente VIII. & non sò per che voleua tutti i modi fare Arcineſcouo di Neapoli, ma ſi ritirò anche eſſo, vdendo le noſtre raggioni. Del noſtro preſente

P. Ge-

P. Generale Papa Paolo V. diſſe al Cardinal Bonzi, nel Conſiſtoro de l' Vltima ſua promotione, che era degno di Cardinalato, ma che ſtimaua meglio laßiarlo coſi, per bene della ſua Religione.

Da Paolo III. ſino à V S. ſono ſcorſi 14. Pontifici, e di eßi molti molto amoreuoli della Compagnia, e quanto più amoreuoli, tanto più ſtimauano conuenirli tenerla lontana dalle degnità, come fù Gregorio XIII. gran Padre della noſtra Religione: Non crediamo che V.S.tà ci voglia eſſere men amoreuole, maßime in queſto particolare La noſtra Compagnia fà voto particolare, di non procurare degnità, e quando ſono offerte, non le accettare, ſe non gli è cōmādato in virtute S. Obediētia. Con queſto ſpirito è nata, & alleuata, laſciataci da S. Ignatio, e dataci dalla S.tà ſede Apoſtolica, che l' approuata.

Riſpoſe ſua S.tà Noi non habiamo fatto ſin' hora riſolutione di neſſun Cardinale, ſe non di quel buon vecchio Monſig. Cauallieri. Replicai io, Or degniſi V. S.tà di riſoluerſi hora, di non promouere il Noſtro P. Generale, e mi partirò allegro, e darò queſta buona nuoua in Caſa. Riſpoſe, Noi vogliamo penſarci bene, e riſolueremo cio, che il ſignore ci inſpirerà. Poi ſi trattò lungamente del Cardinale Bellarmino S. memoria, il quale nel ſuo Cardinalato e con ſcritti ſpirituali, e cō opere buone diede grand' eſſemplo, &c. Quæ Latinè ſic amicorum aliquis conuertit.

BEATISSIME PATER.

S*Atis iam Romæ peruulgatum eſt, S. Sanctitatem*

tem cogitare de cooptando P. N. Generali in Cardinalium numerum; quo fundamento, neſcimus; neq; id ſcire laboramus. Cogimur tamen, ut hoc noſtro officio defungamur. Si de priuato aliquo Societatis homine ageretur, ad P. Generalem attineret, quibus id modis poſſet impedire; nunc, cum de illo ipſomet agitur, nobis Aſsiſtentibus, qui hac in re Vniuerſæ Societatis partes ſuſtinemus, incumbit, ut omni nos quidem modeſtiâ, attamen fortiter opponamus. Adſum ego omnium nomine, qui niſi cauenda viderentur Vrbis Romanæ dicteria, huc aduolarent, ut ſe ad pedes S. Sanctitatis abijcerent.

Octoginta quinq; anni ſunt, cùm Societas noſtra à ſede Apoſtolicâ erecta eſt, quo tempore ſex præfuère Generales, peculiaris cuiuſdam notæ ſinguli. De S. Ignatio Fundatore Marcellus Pontifex pronunciauit, ſatis eſſe illius autoritatem magnopere contendentis ſoli orbi perſuadere, è bono Societatis non eſſe, dignitates adire. P.em Lainez, virum doctrinâ ſingularis, uti Concilium Tridentinum docuit, Pius. IV. ſtatuerat in Cardinalem adſciſcere, ſed ob cauſas, & ab ipſomet Patre, & à Societate adductas, deſtitit. P. Franciſcus Borgias, in quo eam nobis S. Sanctitas primùm gratiam exhibuit, ut inter Beatos illum numeraret, ſæpius à Carolo. V. & Philippo. II. Rege, in Cardinalem fuit nominatus, & Iulius III. ac Pius. IV. eo ferebantur, ut fieret; ad oppoſitas tamen, & à prædicto Patre, & à Societate preces ceſſerunt. P. Claudium Clemens Papa. VIII. ne-

ſcio

ſcio quam ob rem, modis omnibus Archiepiſcopatui Neapolitano præficere volebat; verùm & ipſe à propoſito reſilijt, cùm quas nos rationes opponeremus audiſſet. De noſtro P. pro tempore Generali Paulus Papa. V. Cardinali Bonzi in vltima ſua promotionis conſiſtorio edixit, dignum eum eſſe honore Cardinalium, ſibi tamen videri expedire magis, ſi qualis eſſet, talem illum pateretur, pro ſua Religionis bono.

A Paulo. III. vſq; ad ſanctitatem. V.am. quatuordecim ſibi ſucceſſère Pontifices, & inter illos non pauci Societatis admodum amantes, qui quo maiori in illam amore ferebantur, eo magis iudicabant, è re ipſius fore, ſi procul à dignitatibus remota ſeruaretur. talis fuit Gregorius XIII. magnus Religionis noſtræ Pater. Non credimus S. Sanctitatem minus noſtri amantem eſſe velle, in hoc præſertim negotio peculiari. Societas noſtra ſingulare votum edit, de non procurandis dignitatibus, & ſi oblata fuerint, recuſandis; niſi ipſi in virtute ſancta obedientia mandetur. Hoc ſpiritu eſt nata, educata, nobis à P. Ignatio relicta & à ſede Apoſtolica, quæ illam approbauit, tradita.

Reſpondit S. ſanctitas. Nos hucuſq; nihil de quoquam Cardinalium decreuimus, præterquam de optimo ſene D. Cauallieri. Dignetur igitur, inquiebam ego, S. Sanctitas nunc conſtituere ſecum, P. N. Generalem ſe non promoturam, & gaudio plenus diſcedam, bonáq; iſthac noua domi nunciabo. Nos, reſpondit, rem diligenter expendemus, & quod Nobis Dominus ſuggeſſerit, ſtatuemus. Poſt

diu actum eſt de Cardinale Bellarmino S. M. qui & ſcriptis ſpiritualibus, & bonis operibus, luculento alijs praluxit inter Cardinalitios ſuos honores exemplo &c.

Sycophãtia à Grãmatico cuſa.

Ex his facilè perſpicitur, hanc accuſationem in P. Generalem, non eſſe, niſi doloſiſsimam ſycophantiam, à Grammatico in odium totius Societatis ſtructam, quæ extra ipſum vnum, & quidem animo vehementer ſaucium, nullum alium habet vel teſtem, vel adſtipulatorem. Quid faciunt aliud araneæ, quando ex candidiſsimis lilijs aterrima venena ſugunt? Nam. 1. exploratiſsimum mendacium eſt, dum ait, duos *Aſsiſtentes* acceſſiſſe ad Pontificem, cùm ſolus *Aſsiſtens* Italiæ acceſſerit, de quo illi teſticari poterunt, qui eum in conclaue Pontificis intromiſerunt: & cùm in hac re audeat tam calidum aduerſarius dicere mendacium, quid deinceps non audebit? 2. Peſsima fide refert, quæ P. *Aſsiſtens* coram Pontifice eſt locutus; illa enim omnia, ex quibus ſincera mens atque innocentia Societatis potuit cognoſci, & aduerſus calumnias defendi, fraudulenter reticet & detruncat; cætera autem multorum falſorũ admiſtione flagitioſiſsimè corrumpit. Quis enim tam emotæ mentis fuiſſe Patrem Aſsiſtentem credat, vt immemor illius, *ante mortem ne laudaueris quemquam*, ita thraſonicè Generalem laudare ante os Pontificis non erubeſceret? Nec dubium eſſe poteſt,

teſt, quin *ſua Sanctitas* tam importunum atq; inuerecundum laudatorem, (ſi tam immodicus in prædicando Generale fuiſſet) acerrimis verbis obiurgatura fuiſſet. 3. Etiam reſponſum Pontificis malignè deprauat, adſperſo improbo mendacio. 4. In DEVM eſt iniurius, cuius tribunal iterum nefariè inuadit, dum ait, conſilium Aſsiſtentium longè aliò ſpectaſſe, quàm verba oratoris præſeferãt. Vnde enim hoc illi compertum? *Res iſta cordis eſt* (inquit S Auguſtinus ſerm. 234. de temp.) *& iudicem habere non poteſt, niſi* DEVM. Num tibi eſt tam radiatum oculorum lumẽ, vt etiam ex longinquo, quæ in præcordijs hominum geruntur, præuidere queas? *Nemo accuſator* (veridicus) *cordis eſſe poteſt, niſi cordis inſpector* inquit idem ſanctiſsimus Doctor. Poſtulatum autem Aſsiſtentis Italiæ apud S. Pontificem, reuerâ aliud indicium non facit, quàm cogitationem animi illius, juxta & aliorum Patrum, qui ipſi hoc officium mandarunt, in id vnum fuiſſe intentam, ne Pater Generalis ad vllum dignitatis gradum extra Societatem attolleretur, tum quòd id detrimentum ſit noſtro Sodalitio, tùm quòd eiuſdem Conſtitutionibus aduerſum; quarum obſeruatio, præſertim circa hoc caput, eiſdẽ Aſsiſtentibus in Congregatione 4. generali pag. 329. vbi eorum *Regula* deſcribuntur) his verbis ſtudioſiſsimè commendatur: *Societatis, & communis boni amatores ſint, atq; illi im-*

primis fideles, maximè verò tum, cùm aliquis ex illis ſex, qui 9. parte Conſt. cap. 4. notantur (quod nunquam futurum ſperamus) caſus occurrerit. Quo tempore & caritatis, quam Societati debent, & officij, quod ab ea acceperunt, & iuramenti, quo ſe initio obſtrinxerunt, memores, non ſolùm fidem, ſed etiam diligētiam atq; prudentiam ſuam toti Societati probent, neceſſe erit. Nullo igitur modo culpandi ſunt Aſsiſtentes, quòd id fecerint, ad quod faciendum Societatis Legibus dirigebantur: quandoquidem inter illos *ſex caſus* etiam iſte de Generali ad aliquem *dignitatem* prouehendo numeratur: & ſi quis eſt, qui aliud mentis propoſitum illis fuiſſe contendit, quàm externum opus commonſtret, is profectò magnæ temeritatis homo ſit, qui pronunciare judicium de re audet, ad cuius ſcientiam, neque ſi Oedipus ſit, vllo diuinandi artificio poteſt pertingere.

Quæ de Paſquini ſtatua addit, parum nos mouent. Facillimum eſt alios mimicis ineptijs illudere, & optimè facta peſsimè interpretari; vt & Chriſto Domino & plurimis Sanctorum à maleuolis vſuuenit: *Deridetur nimirum iuſti ſimplicitas lampas contempta apud cogitationes Diuitum:* qui verò *habitat in cælis*, etiam aliquando *irridebit* irriſores iſtos, *& Dominus ſubſannabit eos.* pſal. 2. Interim gaudet Societas, ſe hac oblata occaſione, denuo ſuam mentem toti Orbi patefacere potuiſ-

potuiſſe, quæ ab omni dignitate vehementer abhorret, nihilq; intentatum relinquit, ne eiuſmodi honores cogatur admittere: quomodocunque eius inimici rectiſsimè facta interpretentur. Deo & conſcientiæ ſatisfeciſſe ſupra omnem inuidiam & calumniam eſt.

Sed ecce nouum & prolixum figmentum, quod figulus iſte in figlina ſua de Virginio Cæſarino figurauit, pag. 111. & ſeqq. vbi longo ordine narrat, *quibus Ieſuitæ artibus* Cæſarinum illum ob præſtantiam ingenij omnes in admirationem ſui rapientem, *& adhuc adoleſcentulum Parmæ fuerint conati in Societatem illicere. Cum animus eius (*inquit*) ab iſto vitæ genere eſſet alieniſsimus, non deſierunt illi per illius confeſſarium (quem dies noctéſq; lateri affixum habebat, ex eóq; Angelum cuſtodem ſuum per iocum appellare cõſueuerat) quidquid ille difficultatis afferebat, verbis leuare, maximéq; procliue facere; futurum denique, vt P. Generalis legibus illum ſolueret, cum eóque diſpenſaret, liberaliſsimè polliceri; adeo, vt cùm ille propter nocturnos neſcio quos terrores ſolum negaret ſe dormire poſſe, iſte idem cuſtos* eius, *ſe cum venia Generalis, etſi præter Societatis leges, perpetuò illi contubernio iunctum fore, atque etiam proptèr cubare velle oſtenderet; ne quis ſcil. prædator corporis admitteretur in cubiculũ, prorſus vt Emolpum illum Petronij referre videretur &c. Has vt familiaribus Virginius enunciauit, (quorum erat*

Aliud atrox figmentum de Virginio Cæſarino.

pag. 112.

pag. 113.

erat Thomas Stilianus notiſsimus poëta, qui adhuc ſupereſt) ſatis benigna illis materia riſus iſte fuit Eumolpides &c. Verum cum ne ſic quidem quidquam ſe proficere Ieſuita animaduerterent, aliud quiddam ex intimo artificio depromendum ſibi iudicarunt; ſcribit Maffeius in S. Ignatij vita lib. 3. cap. 11. eum artibus diaboli vti ſolitum ad iunandos homines, quoad fas eſſet, voluntates ſcilicet hominum, ac naturas eorum, cum quibus agebat, feſtiuè odorando, ambitioſis ſplendida, auaris vtilia, voluptuoſis iucunda proponendo, & ſuo, quod aiunt, hamo vel eſcâ quemque piſcando: ſic confitentem clari nominis Ieſuitam habemus, Societatis ſua homines arte diabolica vti ad homines piſcandos, & ad ſe pertrahendos. Sed quoad fas eſt. Fas verò habent omnes homines iuuare, id eſt, ſui ſimiles efficere, exemplo Pauli Actor. 26. Opto
pag. 123. *omnes fieri tales, qualis ego ſum. &c. In piſcando tamen Virginio Ceſarino adeo eas artes exacuerunt, vt longè ſeipſi ſuperaſſe videantur. Quod enim adoleſcentem ſummo loco natum, & inſigni corporis ſpecie praditum, animo elatiorem, & honorum atque Imperij prater cateros cupidum eſſe conijcerent, eam Mathematico, an Chaldao neſcio cui dederunt Prouinciam, vt inſpecta eius geneſi omnis vita fata digereret, eúmque ſic affecto cælo, ſideribúſq; compoſitis ortum pradicaret, vt ei circiter annum atatis quadrageſimum, ſummam Societatis Ieſu prafecturam non dubie aſtra por-*
pag. 128. *tenderent. &c. Hac & horum ſimilia Caſarino Cuſtos ſuus cantabat, vt tanti Imperij ſpe ineſcatum*

tum in Societatem ſuam pertraheret. Etſi autem pag. 132.
acutiſſimè ſibi Ieſuita commenti eſſe viſi ſunt, nihil tamen iſta omnia Cæſarinum mouerunt &c. ſuum ergo cuſtodem ſic eluſit, vt ſe cùm Romam adijſſet, ibi cōſilium in arena capere velle diceret. Sed interea accidit, vt prolapſu equi, quo vehebatur, crus ſibi frangeret, quod vbi Ieſuitarum Generali renunciatum eſt, ad cuſtodem eius dedit ille litteras, eúmque occaſioni huic occurrere etiam atq; etiam monuit. Demonſtraret Virginio, ei ſimile quiddam, ac B. Ignatio accidiſſe, cui vulnus in crure acceptum ad nuncium ſæculo remittendum, & amplectendum religioſum vitæ genus incitamento fuerit: magnopere proinde ei perſua- pag. 134.
ſum iret, eum prorſus ad Ignatij exemplum diuinitus in Societatem vocari; & quoniam adoleſcentis animus videretur eſſe parum ſtabilis, rectè cuſtodem facturum, ſi in audienda peccatorum eius exomologeſi eum impellat, vt voti religione ſe ſi conualuiſſet, ad nomen Societatis dandum obſtringat. &c. Sed Dei aliter ſtatuentis nutu contigit, vt quadam die, cùm cuſtos ex conſuetudine Virginij lectulo inſidens femorali ſacculo ſudariū extraheret, illa Patris Generalis epiſtola non animaduertenti excideret, quam Virginius clàm inuolutam, noctu cuſtode dimiſſo, translegit, quaque ſibi tenderentur inſidiæ cognouit, & omnis ille Ieſuitarum conatus inanis irritúſque exijt. &c.

Hæc Grammaticus: quæ ſiue multa, ſiue vnum, at longum mendacium eſſe dicas, nihil errabis; cùm à prima littera vſque ad vltimam,

timam, vix vlla ſit veritas, *ſed velut vnda ſuperuenit vndam*, ſic mendacium mendacio cumulatur: ideo certiſsimam mihi æqui Lectoris integritas addit fiduciam, cum nec aures, nec animum tam impudentibus Calumnijs præbiturum; quando perſpicuum eſt, hæc iterum à ſolo Grammatico, ſine vllis teſtimonijs affirmari. Quare Societas vnico verbulo NEGO, ſufficientiſsimè ſe purgauerit, donec indubitatam fidem faciat Accuſator, cui muneris iſtius neceſsitatem Leges omnium gentium iniungunt. Quis enim vni alicui ſoli homini, & quidem tali credendum autumet, quem tot experimentis iam nouit & Societati capitaliter inimicum, & ſimul eſſe ſpectatiſsimè mendacem, *ſeu velit Cretem imitari varium, ſeu inſulſum Ponticum?*

Certè dum de Virginio Cæſarino (poſtquàm is ſua ſtatione mortali iam functus, reclamare falſimonijs non poteſt,) nunc demum fabulam tam monſtroſam, turpémq; relatu Grammaticus decantat, vehementer ſe de fallacia ſuſpectum reddit; cum nullum accuſationis genus ſit iniquius, quàm quod per mortuorum nomen tantummodo ſtabilitur. Si oſtenderet Chirographum Virginij, ſi conſignatas ipſius annulo tabulas, ſi ſcripturam publicam produceret, tunc videri poſſet, aliquid meruiſſe fidei; at nullis viuis teſtibus innixum quis non refutet? Quem

enim

enim nominat *Thomam Stilianum* poëtam, is vnicus eſt. *Vnus autem vir, nullus vir;* qui proinde pari pondere & authoritate ſtare in iudicio bene conſtituto, aduerſus totum Religioſorum Sodalitium, nullo modo poteſt. Adde quod vix vlli hominum generi ſit magis fluxa & vana fides, quam poëtis, quibus quidlibet fingendi & mentiendi eſt conceſſa poteſtas; quare non immeritò Petronius Arbiter, (cuius non minus, quàm Eumolpi meminiſſe debuiſſet Grammticus) dixit, *Poëtas ad teſtimonium non citandos.* Adhæc qui nôrunt Fratrem Thomam Campanellum (nórunt autem in Italia plurimi) nôrunt etiam Thomam Stilianum poëtam, vti mihi Româ nunciatur. Qualis autem ille teſtis habendus ſit, alijs iudicandum relinquo.

Thomas Stilianus, poëta, aliàs Campanellus.

2. Cur non edidiſti, Grammatice, nomen illius Ieſuitæ, qui Virginio Cæſarino à ſacris confeſsionibus fuit, eúmq; tot artibus in Societatem pellicere eſt conatus? Vt enim vim ac robur habeat, contra totam aliquam Congregationem accuſatio, non eſt ſatis, ſi dicas, vnum aliquem, neſcio quem ex illo numero, deſignaſſe facinus; nec tamen; ater, an albus; Cornelius an Sempronius fuerit, exprimas. Intemperijs agitari dicerent te Philoſophi, & cum laruis luctari, ſi *indiuiduum vagum*, vt appellant, in ius vocares, criminis inſimulares, & iudicio perſequereris. Profectò nihil aliud hîc egiſti. Quid eſt autem

autem ſtultitiæ documentum dare, ſi hoc non eſt?

3. Certiſsima nota falſitatis eſt, ſi quis pugnantia dicat. Videamus ergò, quomodo tu in verbis tibi conſtes. Ais pag. 112. v. 14. Virginius *confeſſarium dies noctéſq; lateri affixum habebat, ex eóq; illum Angelum cuſtodem ſuum per iocū appellare conſueuerat.* Eadem pag. paulò poſt ais, *Qua quidem in re adeo Ieſuita proceſſerunt, vt cùm ille (Virginius) propter nocturnos neſcio quos terrores ſolum negaret ſe dormire poſſe, ille idem cuſtos eius ſe cum venia Generalis, etſi præter Societatis leges & inſtituta, perpetuo illi contubernio iunctum fore, atq; etiam propter cubare velle oſtenderet.* Et pag. 134. *quam epiſtolam Virginius clàm inuolutam, noctu cuſtode dimiſſo, tranſlegit.* Ex primo loco habemus, Confeſſarium vniuersè & ſemper, etiam nocturno tempore Virgino adfuiſſe, & ab eo nunquam, ne latum quidem vnguem, diſceſsiſſe: *hoc enim eſt, noctes & dies affixum aliquem habere lateri ſuo;* ex ſecundo autem & tertio liquet, confeſſarium noctu dimitti ſolitum fuiſſe, quamuis ſe promptum aliquando oſtenderit ad nocturnam præſentiam, cùm ſe ſolum adoleſcens dormire ob metum & terricula poſſe negaret: quæ profectò minimè cohærent inter ſeſe. Nam longè aliud eſt aliquem tantummodo paratum eſſe ad aliquid faciendum, quàm re ipſa id facere; & perſpicuè ſibi inuicem aduerſantur,

Antilogia Grammatici.

tur, etiam noctu lateri alicuius perpetuò affixum eſſe; & ab eodem noctu dimitti, altero ſolo relicto. Cùm ergò hac euidentiſsimâ verborum pugnâ ſeipſum turpis mendacij redarguat Grammaticus, ſtatuet iam haud grauatè prudens Lector quo loco cætera, quæ malitiosè hic commentus eſt, ſint habenda. Neque enim ad ſingula neceſſe eſt reſpondere, quæ vt ſola, impudenti illius aſſeueratione nituntur, ita ſola, & ſolida noſtra infitiatione abundè refelluntur.

4. Contrectari manibus grande poteſt mendacium, quod pag. 123. de Mathematico, ſiue Chaldæo confinxiſti. Non tantum innumeri Ieſuitarum diſcipuli, ſed & eorum libri vociferantur, palàmq; teſtantur, illis grauiſsimam iniuriam fieri. Quàm enim infeſto odio illi perſequi ſoleant *Iudiciariam Aſtrologiam*, vel inde pateſcit, quòd eandem velut ingentium errorum, & maximæ impietatis nutriculam, integro volumine iam dudum refutauit Benedictus Pererius; nigerrimo, calculo notauit in *Diſquiſitionibus Magicis*, Martinus Antonius Delrius; ſceleris damnauit in *Bibliotheca* ſua Antonius Poſſeuinus: acriter inſectatus eſt Alexander ab Angelis, alij deniq; in alijs ſcriptis de dolo, fraudibus, & præſtigijs deterrimis accuſarunt; vt dubitare nemo poſsit, quin Ieſuitæ vniuerſi vehementiſsime & execrentur & deteſtentur hariolos illos temerarios, qui fal-

Mendacium de Mathematico Chaldæo.

lacíſsimo artificio, ſpem precio vendentes, fatua mortalibus fata promittunt, & dum aſtrorum tyrannidi ſubijciunt omnia, humanæ imponunt iugum libertati; de quibus hæc legimus apud Iſaiam c. 44. *Ego ſum Dominus: irrita faciens ſignu diuinorum, & ariolos in furorem vertens; conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* & c. 47. *Stent & ſaluent te augures cœli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi.* & c. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Cùm ergo omnium Ieſuitarum ſit conſpirans ſententia voce & ſcriptis publicè conteſtata, & toti Europæ cognita, iſtiuſmodi Genethliacos, peſsimam artem factitare, & mendaci fatorum enodatione improbiſsimè homines deludere, quis credibile putet eoſdem Ieſuitas ad Virginium ſibi adiungendum argumento ex motu, poſitúq; ſtellarum ducto voluiſſe vti? quandoquidem nihil procliuiùs fuiſſet, quã vt acutiſsimi iudicij, & ſtupendæ eruditionis adoleſcens Ieſuitis diceret: O Boni! quid agitis? Vos mihi Generalatum veſtrum quadrageſimo ætatis meæ anno ex aſtris prædiuinando promittitis; & tamen veſtri Patres vbiuis terrarum *Diuinatricem* hanc ſcientiam ad Orcum ablegant: quomodo ergo fieri poteſt, vt mihi non verba detis inania, & me per lucida ſidera ſplendidè decipiatis? Certè

Ieſuitarũ omnium nota eſt ſententia de Genethliacis.

Certè non potuit ignorare iſta Virginius, cùm, decimum quintum annum ageret, quo ob incredibilem illam mentis capacitatem celeritatémq; iam iſta omnia ingenij alâ peruolauerat; cùm tamen nemo ante illum annum ſoleat ad Societatis tyrocinium admittj.

5. Si vera ſcripſiſſet Grammaticus, dubitandum minimè eſſet, quin Virginius mentem ſuam ab omni ſtudio ſenſúq; Ieſuitarum toto deinceps vitæ tempore ita deflexiſſet, itáq; ab eis animum auertiſſet, vt nec benigno quemquam eorum oculo intueri, nec de ijs apud alios honorificè loqui, neque in pectore vlli bonæ exiſtimationj de Societate locum relinquere potuiſſet; præſertim ſi Confeſſarius pudicitiæ illius velut Eumolpus ille Petronianus, perpetuas ſtruxiſſet inſidias, vt pag. 113. nequiſsimè indicat Grammaticus. Cùm enim ille ſummi generis adoleſcens non ſolùm ingenioſiſsimus, ſed & caſtitatis ardentiſsimè ſtudioſus fuerit, adeo vt S. Bernardini exēplo nihil minus ferre potuerit, quàm ſi quis coram illo aliquid indecorum aut diceret, aut faceret; nullo modo illi tam improbæ voluptatis captator & auceps tamdiu latere potuiſſet: quandoquidem flamma illa, quantumuis ſupprimatur, per rimulas tamen etiam anguſtiſsimas ſolet emicare. Si ergo vel minimum hac de re ſuboluiſſet Virginio, prô quantas ſurrexiſſet

Virginius benè affectus fuit in Societatē vſque ad mortem.

in iras! annon omnem in ſempiternum Societati amicitiam renunciaſſet? annon ab omni omnium Ieſuitarum conſuetudine ſe auocaſſet, ſuámq; alienationem animi palàm multis indicijs demonſtraſſet?

Atqui non modò à nobis alienus non fuit Virginius, ſed etiam per reliquum vitæ ſuæ curriculum (quod vſque ad virilem ætatem perduxit) ſemper peramans Societatis permanſit, & Socios quoſcunq; pijs charitatis brachijs adeo arctè ac validè complexus eſt, vt ante mortem, ſignatis teſtamenti tabulis, iuſſerit ſe humari, non alio, niſi ſacri noſtri Ordinis habitu indutum; quemadmodum Picus Mirandula olim (cuius cum laudibus certare viſus eſt) religioſis voluit Dominicanæ familiæ ornamentis terræ mandarj: vti commemorat in oratione funebri Alexander Gottifredus è Societate noſtra, quam habuit in funere illius ad S.P.Q.R. cùm ei in Æde Virginis Capitolinæ anno. 1624. publico ſumptu parentaretur· quæ oratio Romanis typis deſcripta, Vrbanóq; VIII. Pōtifici inſcripta multorum manibus cum laude circumfertur. Quæ autem poteſt eſſe luculentior atque certior ſignificatio animi, cùm rectiſsimè de Societate ſentientis, tum omni beneuolentiæ affectu in eam propendentis, quàm quòd Virginius in veſtibus Societatis voluit ſepeliri? vt videlicet mortuus teſtaretur, quantis in amoribus illam habuerit

Idem voluit ſe nō niſi habitu Societatis indutum ſepeliri.

viuus:

viuus: ſuáque oſſa eo honore afficerentur in ſepulchro, quem plurimi ſemper æſtimaſſet in mundo: & quia non obtigiſſet, vt in ea veſte potuerit viuere, ſaltem iam illâ indueretur, cùm mori amplius non poſſet;

Quamobrem ſi alia deeſſent, vel ex hoc vnico argumento ſatis vaniſsimum figmentum, & meditatum mendacium, quod de Cæſarino Virginio Grammaticus hoc loco friuolis chartis illeuit, cognoſceremus. Quo non ſolùm in Societatem eſt contumelioſus, ſed etiam in ipſum Virginium vehementer iniurius, cuius demortui laudibus obtrectat, famámque imminuit, dum eum illuſorem & irriſorem ſui confeſſarij, ſimúlque Religioſi Ordinis traductorem facit, vt qui non dubitauerit in maximum probrum ac dedecus, Societatem tam acerba inſimulatione dehoneſtare; à quo crimine eum fuiſſe ſemper remotiſsimum tota Roma & ipſe Romanus Pontifex, Vrbanus VIII. ſi ſit opus, teſtabitur.

Quæ porrò pag. 113. & 114. ex Maffeio de S. Ignatio, & Diaboli artibus deprauata & mala fide profers, impiáque interpretatione contaminas, in Ant-anatomia ſect. 11. n. 16. fusè latéque refutaui, vbi tam Maffeium, quàm ſanctum illum Virum ab iniuria vindicaui.

Quæ verò deinceps, vſque ad pag. 140. ad declarandam illam Maffeij ſententiam, co-

pioſè diſſeris, etiam magis ſcatent mendacijs, quàm putris & graueolens caſeus vermibus: quorum nonnulla hîc placet excerpere: nam omnia percurrere inutile eſſet, & faſtidioſum.

Falſum eſt pag. 115. *Ieſuitas omnes ſcholas, omnes cathedras totius orbis terrarum, ſuis hominibus occupaſſe.* Innumeræ enim reperiuntur & ſcholæ & cathedræ, ab alijs occupatæ; vt nouit totus orbis terrarum.

Falſum eſt ead. pag. *Ieſuitas nouam Philoſophiam & Theologiam inueniſſe excußis omnium eorum libris, qui prius fuerant in manibus.* Apud Ieſuitas enim in ſcholaſtica Theologia poſt ſacros libros, adhuc poſsidet priſtinum & principem locum S. Thomas de Aquino, quem habuit olim: Ariſtoteles itidem in Philoſophia, in Eloquentiæ ſtudio Cicero, & Virgilius in Poëſi; qui authores aſsiduè præleguntur iuuentuti, & ſummâ diligentiâ explicantur. Igitur nullo modo verum eſt, *omnes eos libros* in Ieſuitarum ſcholis *de manibus excuti, qui prius fuerant in illis.* Si Donatus in Grammatica rude donatus eſt, non inuidebis illi hanc quietem, qui nouâ Grammaticâ tuâ ipſe conatus es illum extrudere.

Falſum eſt (pag 118.) vlli eorum, qui daturi ſunt nomen Societati, proponi ſplendida & honorata, quæ poſsit conſequi in hoc *Ordine.* potiùs omnia contraria fiunt, illiſq; diſertiſsimè legitur, & legenda exhibetur

Regula

Regula Vndecima Summarij qua jubentur cuncti, cunctis dignitatibus, honoribus, titulis, & ornamentis renunciare, æternúmque valedicere.

Falſum eſt (ead. pag.) quempiam eâ promiſsione in Societatem allici; *ſi Ieſuita fiat, de cultu, victu, & amictu ſatis ei in omnem vitam proſpectum fore, vt cuiuis Principi citiùs, quàm ipſi prætimendum ſit egeſtatis periculum:* Superi enim norunt, à nobis omni cura tales moneri, & ea opinione imbui, ſi velint in Societate Deo viuere, neceſſe eſſe, vt parati ſint ad paupertatem, inopiam, famem & ſitim tolerandam, & quæcunque aſpera perferenda, vti à nobis poſtulat Regula Summarij 23. 24. & 25.

Promiſſionibus ſplendidis nemo allicitur in Societatem.

Tantum verò abeſt, vt (quod etiam nobis hîc mendaciter exprobrat Grammaticus) cuiquam ſpem faciamus, fore, *vt in Societate ijs muneribus præficiatur, in quibus tractare magnas pecuniarum ſummas ſuo ferè arbitratu poſſit, & in conſanguineos conuertere;* vt credam ex hoc ipſo figmento iterum Grammaticum vanitatis fortiter poſſe conuinci. Cùm enim in Societatem nemo recipiatur, niſi priùs meditatè Regulas eiuſdem perlegerit, & per plures dies diligenti conſideratione perpenderit, poſsítne humeris ſuis ferre id ponderis, quod Societas imponit, ſtolidiſsimus mortalium fuerit, quiſquis non aduertit, quantum cum Regula eiuſmodi promiſ-

 ſio, de

ſio, de qua Grammaticus nugatur, pugnet; ideo ſe dolo malo circumueniri actutum conijciet. Sic enim ſecum ratiocinabitur Quid hoc rei? Regulæ me ad arctiſsimè amandam paupertatem cohortantur, omnémq; pecuniæ amorem ex intimis medullis radicitus exciſum atq; euulſum volunt: iſte verò mihi pollicetur montes aureos, ampliſsimas opes, felicitatem opulentiſsimam, quæ inter ſe prorſus hiulca coaleſcere in vnum non poſſunt: profectò latet anguis in herba: componitur fraus: res geritur mendacijs. Quis autem, niſi albæ mentis homo, ſe per omnem vitam ſuam committat ijs, qui tam apertè fallunt? qui religioſæ paupertatis ſtudium profitentur in regulis, Tirones verò maximarum opum pollicitatione in ſuam naſſam, & ad ſuam Congregationem alliciunt & impellunt? Quid ſi deinde ſpe mea fruſtratum ſententiam? Quid ſi ad alia officia inuitus rapiar? Quid ſi, qui hæc promittit, poſtea non ſit meus Rector, nec Prouincialis futurus? Alius mihi ipſam, quàm priùs legi & probaui, Regulam obijciet, dicétque, in hanc me juraſſe; ex huius igitur præſcripto mihi viuendum. Hæc talia cuilibet non modò in his, ſed etiam in alijs, quorum ſpe adoleſcentes ineſcari à Ieſuitis contendit Grammaticus, facillimè ſuggereret intelligentia, ſi Ieſuitæ his artibus vterētur. Quare alij iudicent, quid commeruerit aduerſarius

rius tam abſurda atque immania mentiendo.

Neque hilum proficit ijs *Aphoriſmis*, quos tota hac Apologia ex Marianæ Libro magno numero producit; cùm non ideo mendaciū deſinat eſſe mendacium, ſi alijs mendacijs fulciatur. Cuius authoritatis ſit Marianæ Liber, iam dixi, & dicam ſæpius.

Falſum quoque eſt (pag. 120.) *Comitate Caroli Scribanij ſacrarium, ſeu ſacriſtiam templi Ieſuitici factam eſſe Didonis & Ducis Troiani ſpeluncam.* Citiùs longa fiet littera Grammaticus, quàm de Carolo Scribanio & inclito, ac æterni nominis Duce Ambroſio Spinola iſta ritè demonſtret: quorum vterque iam de vita deceſsit, nec propulſare calumniam à tam nefario conuitiatore intentatam poteſt. Calumnia de Ambroſio Spinola.

Falſum eſt pag 125. Generalem Societatis omnibus legibus ſolutum eſſe; cuius rei falſitatem in Mantiſſa ſect. 2. §. 2. n. 3. oſtendi.

Falſum eſt, & immane mendacium pag. 125. vllum Ieſuitarum dicere, *Gregorij XIII. Pontificis, viua vocis oraculo nobis permiſſum eſſe, vt quoties Societatis ſalus & conſeruatio id poſtulare videtur, ſacramenti Confeſsionis ſecretum ſine vllo piaculo ſuperioribus reuelare, illiſq; etiam aliena peccata, quamuis occultiſsima* (hoc eſt in confeſsione cognita) *aperire poſsimus.* Hoc nullus vnquam Ieſuita, qui mente motus non fuit, potuit cogitare. Quis enim Catholi- An Ieſuitæ ſigillū Confeſsionis violent.

tholicorum eſt tam bardus, vt neſciat, *ſigillum confeſſionis* eſſe ita inuiolabile & ſacroſanctum, vt potiùs quis mori debeat, quàm illa ſecreta referare, idque ob eam cauſam, quòd Theologi docent, *ex perpetua traditione Eccleſiæ cognoſci, quòd diuinum præceptum à Chriſto datum ſit, vt ſigilli huius obligatio ſit ſtrictiſsima, nec vllius boni conſequendi, aut mali vitandi gratia, vllum peccatum etiam minimum, quod in confeſſione cognitum eſt, liceat alijs pandere & reuelare*; vt videre eſt apud Laymann lib.5. Theol. moral. tract. 6. c.14. n.1. Coninckium diſp.9. dub.2. ad finem. Non eſt igitur vlla ratione credibile, Gregorium XIII. hoc jus diuinum confringere atque obterere voluiſſe. Accedit Claudij Aquauiuæ Præpoſiti Generalis Soc. Iesv Ordinatio c.2. pro *Superiorib. Localibus*, n.14. *Tametſi non deſint* (inquit) *Doctores, qui notitia per confeſsionem habita, ſaluo ſacramenti ſigillo Confeſſarijs vti nonnunquam licere ſentiant; noſtros tamen eam doctrinam ſequi non expedire iudicamus. Quare caueant diligenter Superiores, ne vel ipſi, vel noſtrorum aliquis eam, vſpiam introducant, priuatímue aut publicè doceant; nec ea, niſi forte de pœnitentis licentia vtantur.* Scripſit autem hæc dictus Præpoſitus Generalis, antequam Clemens VIII. idem per *generale Decretum* vniuerſis Confeſſarijs interdiceret.

Falſum eſt (pag. 126.) Ieſuitas tironibus perſuadere velle, *longè amplius & honorificentius*

tius meritò cenſeri Generalem Societatis, quàm Cardinalem eſſe, quod Generalis operâ ſuâ Cardinales facere, & in Pontificatu conſequendo, quem velit, inſigniter adiuuare, vel impedire ac ſubmouere poſsit. Hoc enim non ſolum eſt robuſtum, & per ſe euidens mendacium, ſed & alterius mendacij te Giralde manifeſtè conuincit. Si enim Ieſuitarum animis fixa ſedet hæc opinio, nempe præſtabilius eſſe Generalem Societatis agere, quàm Cardinalem, quis ea vera autumet, quæ paulò antè de purpura ab Aſsiſtentibus pro P. Generali parùm feliciter ambita protuliſti? Vides quomodo tuo iterum laqueo capearis? Aduerſarius iterū ſuo ſe capit laqueo.

Falſum eſt (pàg. 133.) *Socios in Societate vſq; ad annum ætatis quadrageſimum Aſſentatores aut Delatores agere, ijsq; artibus Superiorum gratiam colligere, aut inter plebem iacere.* Etenim Gratiam Dei captare nos oportet, non hominum, ſi cupimus eſſe verè religioſi. Siue ergo tibi faueat Superior, ſiue non faueat; parum tibi laborandum eſt, dummodo in virtute conſtans perſeueres. Tunc enim indubiè tibi fauebit Deus. Quo fauore armatus *non timebis millia populi circundantis te.*

Falſum eſt (pag. 134.) *iſta ſic ab ipſo Caſarino narrata eſſe*; cui ſit grauiſsima iniuria; qui fuit ſemper falſitatis hoſtis, & veritatis amator: ac ſi nunc viueret, te certiſsimè mendacij redargueret.

Falſum eſt (pag. 137.) *Generalis Ieſuitarum impre-*

improbitate extortam eſſe à Congregatione Indicis notionem Romanæ cenſuræ in Marianam. Ipſa manifeſta improbitas libri peſtilentiſsimi, & apertis calumnijs pleni, extorſit hanc iuſtiſſimam cenſuram. Neque enim opus eſt accenſo lumine ad videndum ſolem.

Franciſci Sacchini è Societate iudicium de legendis priſcis auctoribus.

Falſum eſt (pag. 142.) *Ieſuitas ſolere ſuis hominibus veterum linguæ Latinæ auctorum lectione interdicere.* Paſsim enim in manibus & oculis eruditorum, & adoleſcentum eſt libellus P. Franciſci Sacchini *de ratione libros cum profectu legendi* (quem typi Ederiani anno. 1614. Ingolſtadij publico dederunt) in cuius. cap. 3. multis argumentis oſtendit, *plurimum opera in cuiuslibet doctrina ducibus eſſe ponendum. Eſſe enim hos fontes, vnde hauſerint cæteri: eſſe principes, vnde aliorum pendeat authoritas; eſſe ſemina omnis doctrinæ, vnde per ſe varias quisq; poßit fruges educere.* In capite verò 4. adhuc clarius præcipit, *vt ſiue ſtyli, ſiue eruditionis cauſa, vetuſtiores auctores, cùm priùs, tum impenſiùs legantur;* & addit, *Cæterùm mea ſententia ea eſt ratio, quod & ſermo latinus, & cætera doctrina, multo ex fonte purius, quam ex riuulis hauritur. Vt optimi ſint poſteriorum ſcriptores temporum, fluxêre tamen è priſcis: imago non forma ſunt, Quotaquaq; autem ſpecies aſſequitur faciem? erit fortaſſe venuſtior, verior certe non erit. Contueamur igitur ad exemplum latini ſermonis: ipſam quodammodo viuam figuram ab ijs relictam, qui viua ſcripsêre lingua, non ſimulacra,*

tra, quæ mortua iam lingua penicillo, atq; coloribus adumbrare noſtrates conantur. Quod nequaquam pertinet ad auctorum recentiorum contemptum; ſed, vt quibus ipſi vijs profecêre, ijſdem proficiendum ſibi eſſe adoleſcentes admoneantur. Nec me fugit in recentiorum lucubrationibus multa inueniri, quibus pleraq; obſcuriora veterum illuſtrentur: nihilo tamen minus opinor ordinem, quem dixi, ſolido ſtudiorum profectui magis accommodatum. Nam præter ea, quæ de ſtylo diximus, & cuiq; certa videri neceſſe eſt: quod item pertinet ad eruditionem, habet cognitio veterum monumentorum opportunitates multas, & maximas. Ea prima eſt, quòd, quæ diſcimus videmur certius ſcire: & proferre autorē fas eſt. Recētiorum autoritas ferme tanta non eſt, vt vim niſi interpretis habeant. Antiquitati ille honos habetur, vt pro iudice, lege, forma ſit. Deinde facile eſt animaduertere, quos habuerit gradus diſciplinæ; quid ad priores, poſteriores addiderint. Ac ferme ita comperies, pleraq; recentiorum, vel ſumpta, vel ducta ab antiquis. Iucundiſſimúmq; eſt agnoſcere, quid ſumptum quid expreſſum ſit. Ptolomæus quondam Alexandriæ in ludis, quos Muſis, & Apollini dedicarat, certamine ſcriptorum inducto, ſex è ciuitate lectos adhibuit iudices: qui cum in poëtica primum ei præmium decreuiſſent, qui populo maximè placuerat; alterúmq; ei, quem proximè conuentus item auditorum probarat, placuit & Ariſtophanis audire ſententiam, qui libros omnes ex ordine ſummo ſtudio perle-

perlegere ferebatur. Is verò palmam ad eum detulit, quem minimè omnium cauea conſeſſus probârat. Quod cùm Rex, & vniuerſi non mirarentur modò, ſed & vehementer indignarentur, ſurrexit Ariſtophanes, & ſilentio facto docuit, vnum illum ex certantium numero eſſe Poëtam, cæteros aliena recitauiſſe: oportere autem iudicantes non furta, ſed ſcripta probare: prolatiſq; libris coëgit eos fateri ſeſe furatos, ac furti Rex comdemnatos cum ignominia dimiſit. Quam igitur ex lectione veterum iudicandi nactus eſt facultatem Ariſtophanes, eandem non ad ſeſe iactandum, nec ad alienam contumeliam, ſed ad veram rerum æſtimationem ex facili conſequetur, qui perſimili ſtudio rationem habeat cum antiquitate: nec ſaltuatim diſcurſet, & errabundus vagetur, ſed certa ratione progrediatur, ac via. Licebit pariter animaduertere, quam quidque commodè, quámq; feliciter, ac verè explicatum ſit. Qui enim in vna eademq; facultate doctorem priorum viderit, habebit hac commoda: primùm faciliimè poſteriorem intelliget. deinde vt creſcit ipſa facultas temporum tractu, eoſdem in profectu gradus & ipſe habebit: tertiò, cum in multis poſterior ſcriptor interpretur, & interdum reprehendat priorem, ſi eum iam legeris, licebit non modò faciliùs conſequi id, quod dicitur, ſed etiam iudicare, quàm vera interpretatio, quàm iuſta reprehenſio ſit. Itaq; fiet multò incorruptius, tanquam cauſa ſine præiudicio cognita. Nam, cùm quid antè reprehenſum in altero inuenis, quam pronun-

pronunciatum in ſuo autore legeris, facilè inſidet animo reprehenſio: & antè iudicas, condemnáſq; reum, quàm ipſummet audiueris, vel inſpexeris. Vt autem occurratur ijs incommodis, quòd antiquiſſimi habent quædam obſcuriora, vel minùs vera, quæ explicarunt, vel correxère poſteri, id facile fiet, ſi interpres adhibeatur, vel apud doctum, piúmq; ac prudentem cenſorem iudicium de eo, quem lecturus es prælegas. Deniq; videtur hæc ratio ſatis aperta, cur debeant priores præponi poſterioribus, quòd poſteriorum pleraq; certo intelligi nequeunt ſine cognitione vetuſtiorum. Atq;, vt exempli cauſa quid dicam. In his, qui de re ruſtica ſcripsère, ſi quis, vt æuo prægreditur ita primum legat Catonem, poſteáq; Varronem, tum Columellam, inueniet frequentem apud Varronem Catonis mentionem, apud Columellam vtriuſq;, & quædam nunc explicata, nunc defenſa, vel oppugnata magna ſua voluptate: & refricabit memoriam rerum iam lectarum in poſteriore legendo. Ad ſummam ſic habeto: qui poſteriorum contenti ſunt lectione, tanquam hi, cùm ea, quæ ſuperiores tum alia ſuper ea contineant, nunquam ad plenum ſententias noſcere ſuperiorum, nec rarò in errorem induci. & quamplurima ignorare, quæ ſuo ipſi ſtudio (nam alijs alia placent) obſeruaiſſent. Iam in vno legendo opere ille tenendus eſt ordo, vt à carceribus lectio recta decurrat ad metas. Ex ordine poro conſtanter, ab initio ad extremum vſq; proſequere. Ita argumentum operis totum, reſq; ſingula, ac ſeries diſputationis percipietur

pietur faciliùs, & hærebit fideliùs. Neq; tædium capiat, ſi quædam ſpinoſiora interueniant, neq; tranſiliat.

Falſum eſt (ead pag.) Ieſuitas publicæ rei damno eſſe, cum auctores veteres multa ſpurcitie inquinatos, iudicant iuuentuti non permittendos, niſi priùs à cœno, & à ſordibus fuerint liberati & repurgatj. In hoc enim non ſolùm conuenienter agunt Regulæ 7. Indicis Expurgatorij, ſed etiam ſanctorum Patrum, & in primis Apoſtolicis præceptionibus, ac ipſi lumini rationis. S. Paulus ad Epheſ. 5. ſeuerè monet: *Fornicatio & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo aut ſtultiloquium, aut ſcurrililas. &c.* Quantò igitur minùs in manibus adoleſcentum tolerandi ſunt tales libri, qui adhuc ſunt omni verborum turpitudine fædati? Si vocibus laſciuis quæ momento temporis præteruolant, tanta vis ineſt, vt quiduis mali etiam in bonam mentem inuehant, niſi cautiſsimus ſis, quid non efficient verba ſcripta, & non tam citò euaneſcentia? quæ quia diutiùs rimari, & in intimos pectoris receſſus demittere, ac quoties lubet poſſumus reuoluere, ideo magis honeſtati & ſanctitati morum officiunt. Quis neſcit ignem igni, & oleum camino non addendum? Quid eſt autem lectio impudici argumenti, niſi ardens facula, quâ flamma iuuenilis ætatis magis accenditur & inflammatur.

Auctores ſpurci iuuentuti non permittendi.

matur. Tu putes adoleſcentiam eſſe adeo adamantinam, vt in medijs ignibus, ceu Salamandra, non æſtuet? vt ſine aduſtione prunas in ſinu ferat?

Rarò moribus exprimit Catonem,
Quiſquis verſibus exprimit Catullum

dixit eruditiſsimus Muretus. Et,

Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?

vt fatetur ipſe obſcænus amorum doctor: quem cum Ioannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius in Pontum ab Auguſto Cæſare, ob impuras chartas fuiſſe relegatum, attentiùs conſideraſſet, non potuit, quin exclamaret, *O DEVS, o ſancti & ſancta, o deuota Chriſtiana religionis Curia, o præſentis temporis mores! Inter paganos paganus iudex, & incredulus paganum condemnat, qui doctrinam ſcribit, qua ad fatuum alliciebat amorem; & inter Chriſtianos, & per Chriſtianos tale, aut peius opus ſuſtinetur, laudatur, defenditur. Reuera nequaquam ſatis rei huius indignitatem, & horrorem exprimere poſſum.* Hæc Gerſon. Cum quo & ego exclamo; Reuera nequaquam ſatis mirari poſſum, inuerecundum os, & incredibilem Giraldi impudentiam, qui refractis omnibus pudoris & reuerentiæ clauſtris, audet Ieſuitis probri loco obijcere, quod ſoleant eos authores, qui ſine detrimento pudicitiæ à iuuenibus legi non poſſunt, aliquibus partibus admutilare; quaſi verberibus piandum

Lib cont. Roman. de Roſa.

Ioan. Gerſonis memoranda ſententia.

P faci-

facinus ſit, ſuum ſtudium caſtis Muſis nauare, ne ex Virginibus in meretrices euadant, néue in lupanar Parnaſſus tranſmutetur. Quanquam fateri ſimul cogor, magno Societatem beneficio affici, quando hac de re incuſatur. Quid enim? annon perhonorificum eſt Societati, ſi fateatur eius Capitalis inimicus, ipſam ita tradere Humaniores litteras, vt quæ ſunt noxia & pudenda, ex adoleſcentiæ oculis & vſu procul remoueat, & non niſi pudica procliuiori ad vitia ætati permittat? Taceo Giraldum hac accuſatione ſe ipſum, ſuámque famam magno exponere periculo, ne ab alijs *Turpilius* habeatur, credatúrque verum eſſe, quod in illius vita ſiue Ioſ: Scaliger, ſiue Daniel Heinſius de *Commentario in Priapea* per ipſum conſcripto commemorat, qui Comentarius, *omnium antiquorum improbitatem in hoc genere adeo excedat, vt ab hominum memoria nihil fœdius ab vllo Cinædo in lucem editum fuerit.* Scilicet huic turpitudinis Patrono committere tutò poſſunt Chriſtiani Magiſtratus honeſtarum diſciplinarum alumnos. Sed ad alia.

Falſum eſt ibid. Ieſuitas loco veterum auctorum ſuis libros *à Societatis hominibus ſcriptos ad legendum obtrudere, à Pontano puta, Perpiniano, Maffeio, Gallutio, Stephonio, Strada;* ſolum enim Pontanum excipio, cuius nonnulli Dialogi in Germania duabus aut tribus in Claſſibus prælegunt ur, & ob materiæ jucun-

jucunditatem fructum edunt haud pœnitendum : reliquos autem nec jubentur legere diſcipuli, nec prohibentur. At, inquis, *ſolaciſmis & barbariſmis ex horum lectione imbuuntur diſcipuli; Maffeio enim auctore breuiorem amiculum dicent pro breuius: ſecus flumen, pro ſecundùm; caligas pro braccis femoralibus: voluptuoſum hominem pro voluptuario : vt minimùm, pro ad minimum, vel minimùm. Memoriter diſcere, pro memoriæ mandare : adſtruere pro affirmare : mortificare ſpiritum pro domare: ſpeculationem pro contemplatione : exorare aliquem pro rogare: mercimonium pro mercatura: Ditionem pro ſolo regni, vel imperij, ſeu territorio. Pontani verò exemplo dicent, Da mihi mutuo tuum calamum, pro, da vtendum vel commoda : & cum elegantiarum Patre Famiano Strada, Mutuò accepi pecuniam, pro mutuam; & neceſſe habeo pecunijs, pro opus mihi eſt.* Ita Giraldus pag. 143. Pag. 143.
Reſp. Mirum nemini videri debere, Ieſuitas à Giraldo de ſoleciſmis ac barbariſmis accuſari, cum nec Ciceroni, nec Varroni, effrenato ſuo calamo pepercerit. Audiant litterati, & deteſtentur hominis faſtum. *Cicero & Varro* (inquit in *Paradoxis litterarijs* Groſippus idem qui Giraldus) *neſciuerunt vtro modo rectè Latinè diceretur: Pompeius tertium Conſul, an tertiò Conſul.*

Cicero ſolaciſmi ab Attico poſtulatus perditiſſima ſui defenſione vſus eſt, ſeq; ſolaciſmum feciſſe agnouit, cùm tamen rectè locutus fuiſſet. Cicero

Syntaxeos rationem in Attij verbis prorſus neſciuit. Cicero ſua & aliorum loquendi conſuetudinis in ratione dictorum reddenda turpiter oblitus fuit. Cicero ſibi à Grammaticorum regulis imponi paſſus eſt, vt vitioſè dici putaret, quod & rationi, & auctoritati, & publicæ, ac ſuæ propriæ conſuetudini cõſentaneum eſſe ſcire poterat. Varro, Salluſtius, Cælius impura dictione vſi fuere. Varro minimè bonus Latinæ linguæ auctor eſt. Hæc Momus ille, cuius dentes quis effugiat, ſi Cicero non effugit? aut quis ſibi ſolæciſmorum dicam ſcribi miretur, ac doleat, quando etiam Claſsicis auctoribus ferulam iſte Orbilius intentauit?

Ciceroni obijcit Giraldus ſolæciſmos; igitur æquè ferant eos ſibi obijci Ieſuitæ.

Non infitiamur, bonis quoque ſcriptoribus aliquando incogitantibus dicta quædã excidere, quæ ad Criſin ſuam Grammaticus quiſpiam reuocare poſsit; ſed quid eſt in hac vita ex omni parte beatum? Indignemur, ſi quandoque bonus dormitat Homerus? Si enim in pulcherrima facie Solis tubo Optico maculæ deprehenduntur, an putabimus in terra corpus reperiri abſq; næuo? Ipſe Giraldus in Hypobolimæo ſuo ſcaligero non auſus eſt omnes ſuos libros à Latinitatis vitijs liberos pronunciare. Cur ergo non ignoſcat etiam alijs, præſertim talibus viris, qui cæteroqui in litteris excelluerunt? Annon commendandi potiùs videntur Ieſuitæ, quod in tot, tantiſque Ieſuitarum libris, tam pauca obelo digna, (ſi tamen digna) repererit? Quid,

Quid, quod etiam affingere alijs errata pro ludo habet! Nam Ponticum mendacium eſt, quo Pontanum impugnat. In cuius Volumine 1. Dialogorum Progymn. 35. (cuius titulus eſt. *Mutatio calami*:) inuenio quidem, *Da mihi Vtendũ calamum*: *Nullos habeo calamos, quos tibi dem mutuos*. Item, *nullos habeo, quos tu commodatos retineas*; & rurſum, *da mutuum calamum*: ſed illa verba. *da mihi mutuò tuum calamum*, nuſquam inuenio: quin potius expreſsè vetat Pontanus huiuſmodi loquendi formulam in *Annotatione* eidem progymnaſmati annexa: *Concedere*, inquit, *accommodare, pro mutuari, conceſſum pro mutuum, conceßio pro mutuatione, Latina eſſe non puto nec dare, accipere commodatò, accommodatò. Dicamus ergo commodare, mutuum, Vtendum dare aliquid. Cicero mutuum ſumere, non accipere; & mutuum NON MVTVO.* Hæc Pontanus. O ſi daretur mihi iam videre frontem tuam omnia tetra ſpirantem! profectò ſi erubeſcere neſcires, palleſcere cogereris. Quomodo iam triumpharet Scaliger tuus, ſi te in tã flagranti mendacio deprehenſum cerneret! Haberet enim, quod maximè cuperet, te illius ſceleris reum, cuius tu ipſum toties accuſaſti. Quin igitur, O Muſæ Batauæ, aliquando expergiſcimini, & triumphum Victoris Giraldi, hoc eſt, G. S. fauſtis acclamationibus celebratis? Statuite illi tropœum nobile, ingẽs, æternum, ob victoriam, quam de Pontano Ieſuita reportauit.

Pontano inſignis illata iniuria.

Ex his coniecturam faciet Lector de ijs quæ Maffeio, Stradæ & alijs obiecit, vt taceam facillimè fieri poſſe, vt ſiue ex deſcriptoris, ſiue ex Typothetæ iniuria errores in libros optimos irrepant, citra omnem authoris culpam.

Quid enim procliuius, quàm *amictum* vertere, in *amiculum? ad minimum*, in, *vt minimũ?*

Secus flumen, pro *ſecundum*, ſeu *iuxta*, Latinum eſſe teſtatur Paſſeratius in Dictionario ſuo, quem ad finem tuorum *Paradoxorum litterariorum* ita laudas, vt dicas, *eius Commentario in Propertium nunquam quidquam viſum fuiſſe perfectius.* Verba Paſſeratij hæc ſunt: *Secus, præpoſitio cum Accuſatiua idem ſignificans, quod iuxta.*

Voluptuoſum hominem pro *voluptuario* rectè accipi, teſtatur idem Paſſeratius in eodem Octolingui Dictionario, anno 1620. Geneuæ edito; *Voluptuoſus homo*, inquit, *qui perquàm amat voluptatem, quem Cicero voluptarium vocat: voluptuoſa res, quæ in ſe habet voluptatem, & quæ voluptate afficit; ille recipit, hæc recipitur Plin. lib. 2. epiſt.* 13. *voluptuoſam rem eſſe, vtrumque eadem operâ, eodem viatico inuiſere.* Simile quiddam videmus in vocabulo *libidinoſus* quod ad hominem refertur, & ad res: nam & homines *libidinoſos* dicimus, & dapes, & litteras, & picturas.

Quid *Caliga* veteribus ſignificauerit non ignorant Ieſuitæ, vt teſtatur Iulij Nigronij diſſer-

diſſertatio de ea re typis etiam Dilinganis edita. Quia verò communi omnium vſu alius nunc eſt ſignificatus illius vocis, ita vt de vulgo plerique non intelligant, quid dicas, ſi eam pro pedum calceamento, & non pro femorum tegumento ſumas: idcirco quiuis prudens facilè apud ſe ſtatuet, Maffeium prudenter accommodare ſe tempori, atque vt in prouerbio eſt, *cum pluribus loqui, cum paucis verò ſapere* voluiſſe. Sæpe enim fit, vt vſu vniuerſi populi à primæua notione in aliam vocabulum detorqueatur. Si iam confeſtim læſæ Latinitatis reus dicendus ſit, qui iuſta de cauſa torrentem hunc ſequitur, & relicta ſignificatione veteri, in nouam concedit, ſudaturus eſt non parum Giraldus, vt ſe quoque ab errore vindicet, qui hoc ipſo loco *braccas femorales* dixit; Certum namq; eſt apud ſcriptores antiquos, & linguæ Latinæ ſcientiſsimos, *Braccam* eſſe veſtimenti genus intonſum, & varij coloris, toti ferè corpori, non autem tantum medijs artubus tegendis deputatum, vt indicat clarè Ouidius 3. triſtium Eleg. 10.

Pellibus hirſutis arcent mala frigora bracca,
Oráque de toto corpore ſola patent.

& tradit etiam Diodorus lib. 6. vnde Galli *braccati* dicti ſunt populi Prouinciam Narbonenſem incolentes. Cur ergo iam *bracca* nomen aliter vſurpat Giraldus, niſi quia S. Hieronymus in cap. 3. Daniel. S. Ambroſ.

lib.1.offic.c.18.& alij etiam hac voce *feminalia* ſignificari voluerunt?

Adſtruere tranſlatè pro affirmare reperies in Plinio lib.18. c.12. teſte Paſſeratio. *Periti rerum adſtruxerunt, non ferre tantum annuo fœtu, quantum &c.*

Memoriter, vox eſt Latina: & *narrare memoriter* Cicero; *memorare*, & *meminiſſe memoriter*, dixit Plautus. Quid eſt diſcere aliud, quàm ita rem animo comprehendere, vt firmè memineris? Si ergo rectè dicimus *memoriter meminiſſe*, cur non *memoriter diſcere?*

Mortificare verbum Chriſtianum longè ſignificantius eſt, quàm *domare* & *compeſcere* &c. quare non mirum id à Maffeio adhibitum, præſertim quando de *Religioſorum* exercitijs eſt locutus; De quo optimè monuit Pontanus in Dialag. præfat. Volum. 1. *Verborum*, inquit, *tam ſolicitus eſſe non potui, nec debui, vt non quadam parum quidem latina, verumtamen contritiſſima, & ad rem eandem toties notandam commodata retinerẽ. Talia ſunt, ſi exempla quæris ſtudioſius, pro dedito litteris, recitare, repetere, aſcendere; pro ingredi maiorum ſtudiorum rationem. Item Eccleſiaſtica nonnulla, vt Communio, ieiunium, roſarium, benedictiones, confeſsio, campana, & ſimilia. Nam ſemper hæc mutare incommodum, valdeq; putidum eſſet. Nec pauca verba minus Romana, nec è Tulliano myrothecio prompta, nec illius ſaculi, quod perfectiſsimum quidam & aureum vocant,*

totam

totam orationem deformabunt, ſi alioqui ſplendidida, illuſtris, & artificio quodam diſtincta fuerit &c.

An *ſpeculationem* pro *contemplatione* accipere ſit error, nondum liquidò demonſtrâſti In confeſſo enim eſt, *ſpeculari*, eſſe, quaſi è ſpecula proſpectare, & accuratè contemplari. nec dubium, quin poſsit hoc vocabulum per tranſlationem poni pro ſcrutari, & exactè conſiderare: quod videmus actum à Tacito lib. 18. & à Cicerone in Catilinam: ideo non video, cur hîc reprehendas Maſſeium. Quando enim in Ant-anatomia ſect. 11. §. 3. *ſpeculationem* inter vitia Latinæ Linguæ repoſui, argumento, vt vocant, *ad hominem*, vſus fui.

Cæterùm an tantum periculum ſit, ne diſcipuli à Ieſuitis ſolæciſmos & barbariſmos diſcant, iterum ad tuum ipſius iudicium prouoco, ac te ex ore, ſeu calamo tuo, falſi manifeſtum deprehendo. Noſti verba tua in Mantiſſa Amphotidum, edit. 2. in 8. pag. 364. & 365. *Veruntamen non minima Ieſuita cauſa ſunt, cur Scioppium Eremita ferendum non putet, Nam Scioppius tametſi Ieſuitarum diſciplinam, quantùm quidem ad humanitatis ſtudia, politioremq́; litteraturam attinet, non eam eſſe cenſet, qua aureo fune de cœlo demiſſa videri debeat, quàque meliorem homines re potiùs, quàm venditatione eruditi, etiam inter ipſos Ieſuitas inſtituere nequeant,*

(quamuis vbi melior inueniri queat, adhuc ignoret ac pro ratione rerum humanarum, quæ nihil habent perfectum, omnibusq; numeris abſolutum, hoc Catone, velut Auguſtus Cæſar dicere ſolebat, nos meritò contentos eſſe exiſtimet) nequaquam tamen diffitetur, ſi quid ex ea parte Ieſuitarum inſtitutio claudicat, id religioſo vitæ ipſorum inſtituto, quo melior temporis pars ipſis aufertur, tribui debere, & ingentibus alijs vtilitatibus cumulatè ab ipſis redimi, cùm multos egregios ſacerdotes, aut alioquin laicos ad veram pietatem, vitaq; honeſtatem inſtitutos, quamuis in Plauto, Lucretio, Catullo, Petronio, & Apuleio minus verſatos inueniri, multò plus Reip. Chriſtianæ interſit, quàm meros Burdones Baudios & Heinzios ex eorum ſcholis prodire. Et tametſi dirumpant omnes Sodomitæ (Eremitæ inquam, tametſi alterum illud aliquantò verius dixero) nunquam vllum mihi dabunt, non dico Ieſuitam, ſed quemcunq; adoleſcentem Ieſuitica diſciplina perpolitum, qui tam pudendis ſolœciſmis ac barbariſmis orationem ſuam inficiat, quàm à Burdone factum eſſe Scioppius Hypobolimæi ſui pag. 181. & ſeq. itemq; 231. & ſeq. vſq; ad pag. 224). ita demonſtrauit, planúmq; fecit, vt inuitis, ringentibus, & complorantibus omnibus Baudijs & Heinzijs veriſſimè gloriari Ieſuitæ poſſint, ſuam docendarum litterarum rationem eius eſſe notæ, vt etiam adoleſcentes ea imbuti latinitatis laude illum Criticorum omnium Principem immo DEVM poſt ſe relinquant: Eremitæ

hoc

hoc Scioppij de Ieſuitis iudicium adeo concoquere nequit, vt fremat & indignetur, ac tantùm non ferro & igne vindicatum velit, quòd tot Ieſuitas velut ſæculi ornamenta Hypobolimæi pag. 247. enumerare ac velut Ioſepho Burdoni opponere auſus fuerit, cùm tamen vniuerſa illa ſodalitas nondũ cum Triumuiris illis rei litterariæ Heinzio, Grotio, Baudio componi meruerit. Hi enim illuſtri fama ſunt, & orbis terrarum legit ſcripta illorum quæ dulci quodam melle condita, promiſcuas omnium aures ſuauiſſima voluptate afficiunt. Sic enim cenſet Eremita de ſui ſimilibus, hoc eſt pudoris ac honoris ſui decoctoribus, tametſi Grotium excipi non repugno, quod nihil adhuc de illo, quale de cæteris, fama diſtulerit. Plura de hac re in Ant-anatomia ſect. XI. § 3. & ſect. 8. vbi & ad obiecta reſpondetur, de dictatione ad calamum in ſcholis Ieſuitarum ; & ad alias calumnias, quæ à pag. 143. vſque ad pag. 170. Marianæ abs te tribuuntur.

Falſum quoque eſt pag. 147. Ieſuitarum culpâ fieri, *vt vix quenquam hodie, niſi mediocriter in litteris verſatum, longeque Corradis, Robortellis, Sigonijs, &c. inferiorẽ, in Italia poſſis oſtendere.* Nam 1. ſunt adhuc in Italia eædem ſcholæ, (vt Patauij, Mediolani, Romæ, Piſis, Bononiæ) quæ ante Ieſuitas fuerunt, & quidem in ſæcularium, aut aliorum manu. Si ergo iam non amplius tam docti viri inde prodeunt, quàm olim, Ieſuitæ huius rei cauſa eſſe non poſſunt. 2. Grauiſsimam iniuriam infert

infert Giraldus viris maximis in Italia, quorum plurimi etiam poſt exortam Societatem fuerunt, & aliqui adhuc ſunt in illis partibus omni doctrinarũ genere excultiſsimi; cuius rei teſtem alium nõ ſiſto, quàm ipſum Giraldũ, qui ſeipſum mendacij cõuincit in Grammatica ſua Philoſophica, præfatione de Origine Gramaticæ, pag. 160. 161. & 162. vbi commemorat eius generis non paucos, eóſque ſummis laudibus celebrat, & inter hos primo loco Virginium Cæſarinũ, quendam Ieſuitarum diſcipulum, quem *litterarum verè Phænicem, & omnis ſapientiæ & eruditionis Principem* vocat: deinde Scipionem Paſchalium Caſalenſem Epiſcopum, *virum Hebraicè & Græcè non mediocriter, Latinè præcipuè doctum, & cum primis Italiæ luminibus numerandum*; cui addit Ioannem Ciampalum, *virum cuiuſcunque prædicatione maiorem*: Item Balduinum de mõte Simoncellum, *cùm genere, tùm libris Latino & Hetruſco ſermone, cum doctiſsimi cuiuſque gratulatione editis illuſtriſsimum*: Antonium Salmatiam *ſummum Theologum, nec eorũ, qui Græcarum & Latinarum litterarũ laude hodie florent, cuiquam ſecundum*: Ludouicum Septalium *non medicinæ tantum & Philoſophiæ peripateticæ, in quibus planè regnat, ſed & humaniorum litterarum ſcientia præcellentem*: Ioſephum Paulum Meronum, *ſapientiæ, eloquentiæ & interioris litteraturæ laude optimo cuique ac doctiſsimo laudatiſsimum*, Ipſum denique

Vrba-

Vrbanum VIII. Pontificem Maximum, eiuſque nepotem ex fratre Franciſcum Barberinum, nunc Eminentiſsimum Cardinalem, *non vulgariter Græcis & Latinis litteris excultũ*; Ex quibus omnibus diſcere licet, quanta vertigine circũferatur caput Giraldi, quem odium in Societatem ita conturbat, vt quæ in vno libro effutiuit, in altero mox reſorbeat; & ſæpe in eadem pagina cum ſeipſo turpiter pugnet.

Falſum etiam eſt, Patrem *Balthaſarum Nimitſcium ad Grynbergerum Archiducis Secretarium* talia verba protuliſſe, qualia illi tribuit Giraldus pag. 160. & 161. nec probat id aduerſarius, nec probaturus eſt.

Falſum eſt pag. 164. *Mediolani Leonardum Vellium Romanum Ieſuitam Rhetoricæ Magiſtrũ non ita pridem in complurium adoleſcentum circulo ea de Pontificis genere, cognatione, inſignibus & honorum incremento ſumma cum rabie, & exulcerati animi ſignificatione elatraſſe, vt intemperantius nihil ne ab infeſtiſſimo quidem hæretico fieri poſſe videretur.* Nam 1. Leonardus ille Vellius non eſt Romanus, ſed Setinus. 2. ab octo iam annis non docuit Rhetoricam: quomodo ergo non ita pridem? 3. Negat conſtanter Vellius ſe ſiue Pontificis, ſiue aliorum Principum genealogias tenere: proinde neque de illis vnquam publicè diſſerere ad adoleſcentium coronam potuiſſe. 4. Ait, Honorem Pontificis aſſuetum ſe à puero reuereri,

uereri, vt naturalem ſubditum: colere item, vt Catholicum; obſeruare denique, vt peculiari vinculo obligatum & Societatis profeſſum. 5. Nullum ſibi verbum excidiſſe vnquam in omni vita contra Pontificem hodiernum, quod debuerit, vel jure potuerit inuidis & maleuolis anſam præbere calumniandi, aut ſiniſtrè interpretandi: proinde quæ ſcripſit Giraldus, non niſi ex liuore impotentiſsimi pectoris, ac de malo theſauro cordis eſſe profecta in iniuriam maximam innocentis. Hæc ille Mediolano 2. Iulij Anno 1636.

Superſunt duæ grandes & palmariæ calumniæ, quarum altera eſt de *Viſitatione* Eccleſiarum Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ: altera de Monaſterio Girienſi: ad quas diluendas apponam ea ipſa, quæ à Collegio Græcienſi, de cuius innocentia defendenda hîc agitur, accepi. Accuſatio ſic habet apud Giraldum in Arcanis Societatis pag. 164 & ſeqq.

NOn minimum verò hoc etiam Venetos terret, quòd Ieſuitas in alienis rebus curioſiores eſſe, facileq́; legib⁹ & iuſſis alienis obloqui, atq; adeo, ſi poſſint, factis intercedere ſolere, multis documentis compertum habent: quorum vnū valde illuſtre hoc loco commemorare placet. Saluagus Sarzanenſis Epiſcopus, cum Gracij in Regia Ferdinandi Archiducis, nunc Auguſti Imperatoris, Apoſtolicam obiret Legationem, Pauli V. iuſſu perluſtrationem & Viſitationem Eccleſiarum Sty-

riæ,

ria, Carinthia, & Carniola inſtituerat: quâ peracta ſex omnino Sacerdotes, qui non eſſent concubinarij, in tribus illis prouincijs inuenit: cum tamen magna pars ex Ieſuitarum diſciplina prodijſſet. Sed quoniam Ieſuitis ſubinde munera mittebant, eorum gratia & fauore muniebantur. Summis ergo Viribus Viſitationem illam Ieſuitæ impedire conati ſunt; Cùm autem aliam Viam non inuenirent, ipſe P. Villerius Archiducis Confeſſarius Prouinciarum illarum Barones, Archiducis familiares, Vt Viſitationi aduerſarentur, ſtimulare non deſtitit, cauſam, an prætextum interſerens, magnam eſſe imprudentiam, permittere, Vt hominibus externis, præcipuéq; Italis, Prouinciarum ſtatus noteſceret. Sed illos minimè fefellit, quid eſſet, quod Ieſuitas pungeret; & Villerio ſe excusârunt, quod impium & nefas eſſe dicerent, Pontificem impediri, quo minùs in Principis tam Catholici Prouincijs iuriſdictionem ſuam exerceret; aliter quippe Vix quidquam inter Archiducem & Venetos fore diſcriminis. Hoc Epiſcopum illum multi narrantem audiêre; cui quoniam de purpura nihil iam ſpei eſt reliquum, adeoq; nec cauſæ quicquam, cur Cæſaris, aut Cæſariorum offenſam excipere formidet, idem ipſum, quoties rogetur, ingenuè confeſſurum confido &c.

Ibidem Pag. 167.

PApa Gregorius XIII. (Velut idem ille, quem ſupra dixi, Tergeſtinus Antiſtes narrabat,) mille ducentos Scutatos annuos Ieſuitis dependebat,

bat, ut ea ſumma Gracij in Seminario Clericorum octodecim Alumni Sacerdotio initiandi alerentur, quòd in ſingulorum victum annuum 66. ſcutati ſatis eſſent; Demonſtrarunt ei Ieſuitæ, ſi Girienſe Carthuſianorum Monaſterium ipſis concedatur, & ipſum ſummæ illius facturum compendium, & ſibi facile futurum vel nonaginta Alumnos educare, quod Monaſterij reditus ſex millia ſcutatorum annua conficerent. Pontifex auditati eorum Monaſterium illud addixit. Ipſi verò fructibus illis non niſi quinque Alumnos tolerant. Quid iam cenſes Lector? annon hoc videtur ad quæſtum ſuum ſatis eſſe callidum? Primùm omnium D. Brunonis hæreditatem iſti alieni cernunt, & Carthuſiam familiam patrimonio ſuo euertunt. Deinde Spiritui S. mentiuntur, dum Petrum in ſucceſſore eius circumueniunt, & de fructibus Monaſterij, fidei eorum creditis defraudant, 5670. ſcutatos in rem ſuam conuertendo. Tum octoginta quinque egentibus ad victum neceſſaria ſacrilegè præripiunt. Tandem vineam Dei operarijs priuant, nec ipſi tamen interea mercedem eorum recipere dubitant: hoc amplius autem, de quinque illis Alumnis optimum quemque in Societatem ſuam cooptant, ut omnino à Gregorio ouem lupo commiſſam fuiſſe appareat, & Ieſuitis Prouincia illa debeant, quòd octoginta quinque Sacerdotum operâ, tam ipſis neceſſaria, priuata ſint: Et tamen minimè Ieſuitis deeſt, vnde non ipſi modò viuere, ſed etiam, cùm velint, nepotari, & in domo ſua quietis animi cauſa venatum ire poſſint: Nam

Mille-

Milleſtadienſe Monaſterium reddit eis quotannis triginta florenorum millia; Eberndorffenſe ſex; decem millibus amplius Girienſe. Hac ſcil. eſt lata illa paupertas Epicuri praconio tantopere celebrata, quam Logici Doctores inter Entia rationis meritò numerauerint.

Ad hæc ita reſpondent Patres Collegij Græcienſis.

QVa Bernardinus Giraldus, vt ſe vocat, in illo libello, cui titulus Arcana Societatis IESV, de Patribus Collegij Gracienſis ſcripſit, falſa ſunt. Et primum, quò d ait Saluagum Nuncium Apoſtolicum inſtituiſſe viſitationem harum Prouinciarum, Styria Carinthia; Carniolia, quamuis renitentibus Patribus, & in aula Archiducis Ferdinandi agentibus, ne Nuncio viſitatio permitteretur, Aula tamen Miniſtros fauiſſe potius Nuncio, permiſsámq; tandem illi viſitationem; apertè vel ab eo confictum inter ſua arcana mendacium, vel auditum ab eodem ex quocunq; tandem fictore mendaciorum. Cui vt multis reſpondeatur, non eſt opera precium. Tota res ruit, ſi vnica litera legantur Ill.mi Principis Saliſburgenſis ad Saluagum; & alia eiuſdem ad Martinum Epiſcopum fel. mem. Vicarium per Styriam Generalem in ſpiritualibus.*

Literæ Archiepiſcopi Jll.mi ad D.num Nuncium Apoſtolicum Saluagum, qui in Salisburgenſi Diocœſi viſitationem inſtituere voluit.

Ex protocollo Epiſc. Seccouiens.

ILluſtris ac Reuer.me D.ne, Literas Dominationis V.a Reuer.ma à familiari ſuo accepimus cum adiuncto munere, eundémq́, vt petijt, audiuimus, quidue ſentiat, & velit, ex eo percepimus. Quapropter & paucis referimus gratam Nobis eſſe D. V. R.ma in Nos animi propenſionem, quam ſuis voluit teſtatam eſſe literis, ideóq́, & munus tranſmiſſum, vtpote amoris & beneuolentiæ pignus, lubenti gratóq́ animo ſuſcepimus, parati par referre. Quòd verò de viſitanda noſtra Diocæſi, vel nonnullis in Partibus Styriæ conſtitutis Monaſterijs innuit, hoc vt inſuetum, & à prædeceſſoribus ſuis minimè viſitatum, omnino ſuperfluum, & minùs neceſſarium reputamus. Habemus enim iiſdem in partibus Vicarium generalem Reuer.mum Epiſcopum Seccouienſem, & ſedi Apoſtolicæ ipſi, & omnibus notum, eiuſq́ fidei, ſinceritatis, & diligentiæ virum, vt muneri ſuo vndique par ſit, nec aliquis in eo defectus hactenus argui potuerit. Quòd ſi quid eſt præter ſpem; qui in ipſo forſan deſiderari poſſit, adſumus & Nos, muneri noſtro nunquam in vllo defuturi; nouimúſq́ conatus, & ſtudia noſtra, in Eccleſiam Catholicam his in partibus hactenus à Nobis colla-

ta,

ta, non ſolùm Sedi Apoſtolicæ cognita, ſed & eadem diuerſis ſummorum Pontificum Breuibus, diuerſiſq; temporibus, ſummopere laudata, & commendata; ideóq; & aliorum operam in noſtra Diœcaſi minimè neceſſariam eſſe, eandem iudicaturam confidimus. Hortamur igitur Reuer.mam D. V.m, Vt ſua functione in Aula Gracenſi contenta, Nos, noſtróſq;, in noſtra Diœcaſi ſuo libere patiatur fungi munere, Vtpote quibus & Prouinciæ mores, & Religionis & pietatis in eadem ſtatus ac conditio magis, quàm extraneis, & qui Vix iſtas regiones attigerunt, cognita atq; perſpecta ſint. Sic enim non ſolùm Nobis rem gratam faciet, & Decretis Concilij Tridentini cumprimis conuenientem; ſed & Prædeceſſorum ſuorum in eadem Nunciatura exemplar ſequetur, & imitabitur; Nóſq; ad alia, nomine SS.D.N.i, eò promptiores & paratiores reperiet, magis neceſſaria, magiſq; Vrgentia ijſdem in partibus negotia. Cui omnia proſpera à Domino optantes, eandem diutiſsimè Valere cupimus. Ex Metropoli noſtra Salisburgo. VIII. Idus Iunij, anno. 1607.

VVolfgangus Theodoricus.

Literæ Jll.mi Archiepiſcopi Saliſburgenſis ad R.mum Epiſcopum Seccouienſem Martinum, de negotio dictæ viſitationis.

Erwürdiger beſonders lieber Freundt/

Was wir dem jetzigen Nuncio Apoſtolicò zu Grätz/ auff ſein Anbringen/ wegen einer Viſitation in Antwort zukommen laſſen/ das haben E: E: auß inligender Copey mit mehrerem zuuernemmen/ Derowegen vnſer Befelch / dieſelb wölle die Sachen dahin richten / damit ſolchem vnſerem Antwortſchreibē allerdings nachgegangen / vñ weder vns / noch vnſerer ordinari Iuriſdiction derſelben Orthen / durch Jhne Nuncium, was nachtheiliges oder præiudicirliches fürgenommen werde. An ſolchem thun E: E: vnſern Willen/ vnnd Wir verbleiben derſelben darneben mit guetten Gnaden gewogen. Geben in vnſerer Statt Saltzburg den 6. Junij/ Anno 1607.

Wolff Dietrich.

Quæ Latinè ſic habent. Admodùm Reuerende, ſingulariter dilecte amice: Quæ moderno Nuncio Apoſtolico Græcij ad ſua petita ratione Viſitationis reſpondimus, poterit R.a V.a ex adiunctà copia amplius intelligere. Idcircò mandamus, rem eò dirigere velit, vt huic noſtro reſponſo omnino mos geratur, & neque Nobis, neque noſtræ Ordinariæ Iuriſdictioni illis in partibus per Nuncium aliquid præiudiciale ſuſcipiatur. In eo præſtet R.a V.a. noſtram voluntatem, cum bona gratiâ præterea affecti permanemus. Datæ in noſtra Ciuitate Salisburgenſi VI. Iunij, 1607.

VVolffg. Theodoricus.

Ex

Ex his apparet Nuncium Saluagum voluiſſe quidem, ſed non viſitâſſe Diocæſin Salisburgenſem, quæ hîc partim per Styriã, partim per Carinthiam eſt. Secundò, quòd non viſitauerit, neq; actum fuiſſe in Aula Ferdinandi Archiducis, neq; cauſam fuiſſe Patres, ſed Salisburgenſem Archiepiſcopum, qui Iuri iudicauit ſuo cedendum non eſſe. Ex quo palàm fit, quæ de concubinarijs ſacerdotibus addit, falsò relatum etiam; cùm à Nuncio viſitatio non ſit facta. Sed neq; à quoquam id iure affirmari potuit, cùm conſtet ex memoria eorum temporum, harum Prouinciarum Eccleſiaſticos viros, & Parochos fuiſſe, qui integerrima vita, caſtis moribus præfuerunt; facitq; iniuriam Ampliſſimis Præſulibus, Seccouienſi, Gurcenſi, Lauantino, Archiepiſcopóq; Salisburgenſi, ipſiq; Auguſtiſſimo Imperatori, quaſi lenitate ſua tanta flagitia in his Prouinciis tolerarint. Sed & Monaſteria condemnat omnia, quibus non pauca Parochiæ Subiecta ſunt, pérq; ipſos Religioſos plures gubernantur, quòd tantam labem in ſuis Eccleſijs parterentur. Quod quàm verè ſeu fictius Giraldus, ſeu alius dixerit, noſtra non tanti intereſt, quàm horum, & ſummi Magiſtratus, quibus adeo grauem notam inurit negligentiæ in prouidendis Eccleſiis.

Sed diſciplinam Societatis arguit, quaſi ex illa tales Parochi prodirent: quod quàm verum ſit, facile confutatur Mundus enim teſtis, eſt iámq; non centuriæ modò, ſed agmina, quæ DEI *gloria eſt, grauiſſimorum virorum in vtraque*

republica ſunt, qui in ſcholis Patrum educati, integerrima virtute DEO famulantur, & eius Eccleſiæ; eſtq; in promptu numerare ſolùm in his Prouincijs viros Eccleſiaſticos, Prælatos ampliſſimos, & doctrina & virtute probatiſſimos, centum amplius, qui morum caſtimonia, & puritate animi; adeo ſpurcæ falſitatis condemnabunt Schoppium; cuius etiam adeo mala mens eſt, vt ne quietos cineres R. P. Bartholomæi Villerij ſinat, viri de his partibus meritiſſimi, quòd muneribus corruptus, has labes Eccleſiarum aluerit. Sed mendax erit, & reus omnis ſtigmatis Giraldus, niſi palàm oſtenderit, quid, quantum, à quo, quando acceptum ſit. Se verò fruſtra etiam tuebitur Saluago Nuncio, quaſi ab illo iſta acceperit, quia nequiter tanti viri audet niti authoritate, vt colorem aliquem apparentem veri, ſua virulenta lingua inducat. Non enim credetur illi: cùm enim mendacij non ſemel deprehenſus ſit, meritò præſumitur vbiq; talium calumniarum faber eſſe, & viros innocentes ſua malitiæ teſtes adducere.

Quantum ad alterum attinet, de Monaſterio Gyrenſi, æquè falſa ſunt, quæ dicit. Primum quidem verum eſt Gregorium. XIII. Alumnatui 1-00. coronatos aſſignâſſe; verùm in altero nimiùm quàm vel nequiter malitioſius eſt, vel qui ſcrutari arcana profitetur, craſſè ignarus. Nam cum Gregorio. XIII. neq; à quoquam actum de Monaſterijs illis Collegio Græcenſi applicandis, neq; ille ſummus Pontifex vnquã de illis transferendis in Collegium cogitauit. Monaſterium enim Geyrachen-

rachenſe, ſiue Gyrienſe, poſt tempora primùm Gregorÿ XIII. variÿs vicibus, vt Collegio Gracenſi incorporaretur, cogitatum fuit. Nam primò poſtquam à Gregorio XIII. penſionem pro Alumnis promiſſam Sixtus V. cuperet tollere, ob temporum difficultates, & Cameram Apoſtolicam aggrauatam, vt ex quadam ipſius ad Ser.mum Carolum Archiducem fel: men. apparet anno 1587. 14. Februarÿ data Romæ; tum vt Collegio Societatis Gracÿ fundato ſtabiliendo prouideret, tum vt Seminarium Alumnorum alia via conſeruaret, non ſolùm Gyrienſe Monaſterium, ſed & Seyzenſe Carthuſianorum, ſed deſtitutum Religioſis, Collegio Gracenſi, proprio motu, incorporare deliberauit, ea cum obligatione, vt Collegium Alumnis ſuſtentandis quotannis 1800. florenos Rhenenſes penderet, ſiue 1200. coronatos, vti patet ex informatione data Romam. Cuius quidem negotÿ author ipſe Pontifex fuit, nobis nec ſcientibus, nec quicquam de hoc cogitantibus. Hæc certa ſunt ex literis Adm. R. P. N. Generalis Claudÿ ad P. Henricum Blyſſemium Prouincialem Auſtriæ, anno 1586. die 7. Februarÿ, & ad P. Emericum Forſterum Rectorem olim Gracenſem, anno 1586. 19. Iulÿ. & ex aliÿs ad P. Georgium Duras Rectorem Gracenſem 1. Martÿ, anno 1587. Cui diſpoſitioni cùm ſe Carolus Archidux opponeret, cupiens, vt ſummus Pontifex à Gregorio XIII. penſionem promiſſam ad quindecim annos, vti conſtat ex literis quibuſdam Romæ datis ad Carolum Archiducem anno 1587. die 7. Februarÿ, Alumnis ſuſtentandis

daret; (nolebat enim Archidux tunc Monaſteria magna ex parte oppignorata, oneratáque debitis, deſtructa, & deſolata, illa penſione onerare;) aliam viam init Pontifex, & Monaſteria dicta Epiſcopatui Labacenſi, inconſulto Archiduce, applicuit, eadem cum obligatione Alumnorum ſuſtendandorum, Bulláſque expediuit: quæ cùm Archiduci præſentarentur, non ſunt acceptata, eò quòd Epiſcopatui Labacenſi aliunde ſatis iudicaret eſſe prouiſum. Penſionem nihilominus facto ipſo ſuſtulit Pontifex; quam, ne Alumni dimitterentur, ex propria Camera Archidux biennio dedit, donec tandem ſua Sanctitas dicta Monaſteria Archiducis Caroli diſpoſitioni relinqueret. Atque ita factum, vt ſua Serenitas illa Abbati Runenſi elocaret, cum onere pendendi 1200. coronatos annuos pro Alumnis, & 200. florenos pro pauperibus ſtudioſis, (plus enim ex ijs bonis eo tempore extorqueri non poterat,) eo nihilominus cum propoſito, vt illa, vbi in meliorem ſtatum reducta fuiſſent, tandem Collegio Academiæ, & Alumnis Pontificijs, pauperibúſque ſtudioſis attribuerentur, vti poſtea mortuo Archiduce Carolo, Ser.ma Archidux vidua Maria, Conſiliariíque intimi, Archiduci Erneſto Gubernatori harum Prouinciarum teſtati ſunt. Super hanc tamen diſpoſitionem, quòd taxa Cancellariæ Romana non ſolueretur, (Archidux enim, quòd magnis debitis & oneribus grauarentur Monaſteria, gratis Bullas expediri cupiebat,) à ſummo Pontifice Sixto V. Bullæ non ſunt expeditæ, iiſque in terminis manſit omnis hic

tracta-

tractatus, donec mortuo Carolo, Archidux Erneſtus, harum Prouinciarum Gubernator, Auguſtiſſimo Ferdinando II. tunc adhuc minorenni, & in pupillari ætate, veniret. Is primus fuit, qui motus rationibus dictis, Collegio Gracenſi vtrumque Monaſterium, ex Sixtiana diſpoſitione dedit, cum obligatione dictæ penſionis, quod factum anno 1591.

Porrò hac ab Erneſto facta diſpoſitione, ad inſtantiam PP. Carthuſianorum, qui tunc primùm huic diſpoſitioni interceſſerunt, Clemens VIII. dicta Monaſteria rurſum Carthuſianorum Ordini reſtituit. Obligauit tamen, vt ſuperiores illorum Monaſteriorum, ex redditibus vtriuſque Monaſterij, qui inſimul tunc dicebantur eſſe duorum millium ducatorum auri de Camera, Alumnis ſuſtentandis ſingulis annis penderent 1200. *ſcuta. Quod etſi promiſiſſent PP. Carthuſiani, tamen quia onus grauius viſum fuit, illis volentibus & petentibus, Clemens VIII. ita demum concluſit, vt Monaſterium Geyrachenſe ſolum ſuſtentandis Alumnis deputaretur, Collegióque Gracenſi incorporaretur, illo cum onere, eſſetque ſolùm adminiſtratio penes Societatem, vſus autem fructus totus Alumnatui cederet; & Seyzenſe PP. Carthuſiani poſſiderent pleno iure, liberíque eſſent à prædicta penſione; quod & factum anno* 1596. *Bulláq; à ſua ſanctitate expedita* 23. *die Martij. Atque ab hoc tempore primùm Societas plena cum poteſtate Monaſterium Gyrienſe poſſedit.*

Ex his porro omnibus manifeſtè falſum apparet, quod Calumniator ait, Gregorium XIII. à Patribus perſuaſum, vt penſionem à ſe conſtitutam, Geyrachenſis Monaſterij traditione commutaret; cùm illius tempore nec cogitatio huius rei ſuſciperetur.

Secundò & illud falſum, à Patribus Societatis Patres Carthuſianos ſuo patrimonio exutos: multis enim annis, priuſquam P. Quintana veniret, PP. Carthuſiani illis Monaſterijs exciderant. Nam vt ex informatione Nuncij Apoſtolici D. Hieronymi de Purlilijs, quam ſuæ Sanctitati miſit anno 1592. 20. Decembris, apparet, & ex quadam diſpoſitione ipſiuſmet Ser.mi Caroli; anno 1564. longè ante, quàm Societas Gracium veniret, Ser.mus Carolus fel. mem. quia illa Monaſteria per. 26. annos ante Carthuſianis Religioſis pene orbata erant, (totis enim illis annis, in his, & alijs præterea duobus, vix quatuor aut quinque Carthuſiani vixêre,) Emin.mo Cardinali Zachariæ Delphino, ad Cæſarem Nuncio Apoſtolico, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus gubernanda tradiderat, vt Monaſtica diſciplina, quæ corruerat, ſi fieri poſſet, in illis inſtauraretur, & aliqua ſchola inſignis, aut Seminarium erigeretur, quorum neutrum difficultate temporum factum eſt. Cardinalis excedens Germania, illa bona cuidam ſuo familiari gubernanda tradidit, cum certa penſione, quam ſibi annuè perſolueret. Ab hoc bona partim alienata, partim verò non Catholicis modò, ſed & hæreticis oppi-

oppignorata ſunt, atq; vſq; ad tempora Sixti ita relicta. Sub Carolo rurſum Archiduce, vti dictum, non modò Labacenſi Epiſcopatui attributa ſunt à ſummo Pontifice, ſed & poſtea ab ipſo Archiduce Abbati Runenſi elocata. Palámq; eſt totis his annis. 27. quibus bona illa in manibus partim ſæcularium, partim Eccleſiaſticorum erant, PP. Carthuſianos nihil mouiſſe apud quemquã, ad id vſq; tempus, donèc Erneſtus Archidux Societati IESV *illa conſignâſſet.*

Tertiò falſum & illud, Patres Gracenſes promiſiſſe Gregorio. XIII. Alumnos ſe ſeruaturos nonaginta, eò quòd redditus illius Monaſterij eſſent ſex millium ſcutorum: ſi enim cum illo non fuit actum; neq; promiſſum. Præterea conſtat ex Bulla Clementis. VIII. qua Monaſteria dicta reſtituuntur Ordini Carthuſiano, redditus vtriuſq; loci non ſuperare duo millia ducatorum auri de Camera. taceo alias antiquiores rationes, quæ ex vrbarijs antiquis colligi poſſunt. Præterea ex nulla elocatione Gyrienſis Monaſterij, de quibus ſupra, acceptum ſupra duo millia florenorum. Qua ergo prudentia Patres iſta fuiſſent auſi promittere Pontifici? quaſi verò, cum toti Mundo illorum Monaſteriorum ſtatus, & præcipuè tunc calamitoſi temporis illius conditio perſpecta eſſet, tótq; actionibus inter Archiducem & Pontificem ageretur res, aliquid amplius Patres promittere auſi eſſent, quod neq; Principes nôrant, neq; perſpiciebant Conſiliarij.

Quartò iam falſum etiam illud, nos priuâſſe

Prouinciam. 86. Alumnis quotannis, aut. 5670. ſcutatorum in priuatum vſum conſumpſiſſe: fundamento enim totius calumniæ ſublato, omnia ruere neceſſe eſt.

Etſi porro tanti redditus non fuerint, quantos Arcanus iſte ſomniauit, Alumnos tamen aluit longè plures, quàm quinque, ſingulis annis. Conſtat enim ex tabulis Seminarij illius, ab anno. 1578. quo datum ſeminario initium, ad annum vſque præſentem, reperiri Alumnos. 414. pluréſq; ſingulis annis, quam quinque, vt etiam quandoque ad numerum. 36. aſcenderint.

Ex illis porro ſi quemque optimum eligamus, non debet inuidere calumniator: iniuriam tamen facit reliquis, qui vel per Styriam, aliáſque Prouincias, ex hoc Seminario educti, magna cum laude, & doctrina, non Paracijs modò Curiones, ſed & Prælati maioribus Eccleſiis præfuerunt, & adhuc præſunt; & longè plures, quàm putat mendax iſte. Solùm enim ex 400. qui Societatem ſunt ingreſſi, ſunt 23. qui in diuerſas Religiones, ſunt vnus & viginti. Vt autem totus Orbis perſpiciat, quàm iniurioſè & mendaciter Societas in hac re ab aduerſario traducatur, viſum eſt Catalogum Alumnorum Pontificiorum ſubijcere.

Cata-

Catalogus Alumnorum Pontificiorum Græcij ab anno 1578. vſq; ad annum 1635.

Anno	fuerunt.	Anno	fuerunt.
1578.	7.	1607.	17.
1579.	13.	1608.	17.
1580.	20.	1609.	20.
1581.	23.	1610.	25.
1582.	25.	1611.	23.
1583.	37.	1612.	17.
1584.	34.	1613.	17.
1585.	31.	1614.	17.
1586.	36.	1615.	19.
1587.	30.	1616.	17.
1588.	25.	1617.	19.
1589.	28.	1618.	19.
1590.	32.	1619.	22.
1591.	34.	1620.	20.
1592.	29.	1621.	20.
1593.	27.	1622.	20.
1594.	25.	1623.	18.
1595.	29.	1624.	26.
1596.	30.	1625.	26.
1597.	21.	1626.	27.
1598.	18.	1627.	27.
1599.	18.	1628.	34.
1600.	16.	1629.	38.
1601.	20.	1630.	28.
1602.	20.	1631.	25.
1603.	15.	1632.	33.

1604.

1604.	15.	1633.	22.
1605.	15.	1634.	17.
1606.	17.	1635.vſq.ad Iunium 10. Deinde 4. quòd Gyrium tnmultu Ruſticorum dıreptū ſit.	

Ex his omnibus perſpicuum eſt, qua fide & diligentia Societas hucuſque *Alumnatum* Pontificium Græcij adminiſtrauerit, cuius rei teſtimonia ac legitima documenta plurima produci poſſunt, ex ipſo Archiuio Archiducali, quorum copiam in promptu habeo, paratus illa ad cuiuſcunque poſtulationem edere. Nihil igitur cauſæ habet Inclytiſſima Reſpublica Veneta, cur huic Giraldo ingentes Gratias ſe debere exiſtimet pro iſta Apologia: potiùs cauſæ habet plurimùm, cur calumniatorem iſtum pro impudentiſſimis mendacijs à ſua prouincia procul faceſſere, & in malam maximam rem jubeat quàm longiſsimè abire.

Quæ de Eberndorffenſi & Mylſtadienſi Monaſterio Giraldus adiunxit, pariter falſa eſſe in Ant-anatomia ſect. 9. n. 49. planum feci.

(o)

Caput

Caput quintum.

CONTROVERSIA PRAGENSIS DE CAROLO-FERDINANDAEA Academia.

VT hæc res, cuius & in Actione perduellionis, & in alijs famoſis libris ſæpiùs aduerſarius mentionem fecit, bene intelligatur, neceſſe eſt prius ipſum factum, ſeu rei geſtæ ſeriem breuiter explicare, quod facio ipſorum Pragenſium Societatis IESV Academicorum verbis ante aliquot annos Romam miſsis, & optima fide, vt ab ipſis accepi, hùc tranſcriptis.

Cum Auguſtiſſimus Imperator, poſt glorioſam illam diuinitus partam in albo monte victoriam, & perdomitam, pacatámque Bohemiam animum adiecisset, ad perſananda eius vulnera, priſtinámque faciem illi reddendam, inter alia ſapientiſſimè iudicauit, Lernæum illum Academiæ Carolinæ fontem, ex quo tantum veneni per 200. annos ipſos in omnes Regni partes fluxerat, maturè eſſe claudendum; atque poſt multa cum Excel.mo P.m. Principe Carolo de Lichtenſtein, quem huic Regno ſumma cum poteſtate præfecerat, agitata & tractata, demum clementiſsimè decreuit, vt Academia Patrum Societatis IESV, quam Ferdinandus I. auguſtæ recordationis ante 68. annos hîc Pragæ erexerat, ex perduellis Academiæ ruinis amplificaretur, additis ad eam duabus facultatibus,

tatibus, Iuridica & Medica, in quarum Profeſſores impenderentur redditus iam extinctæ Academiæ; vti patet ex binis litteris eiuſdem Ferdinandi II. Cæſaris ad Principem de Lichtenſtein 15. Iulij & 9. ſeptembr. Anni 1622. datis. Quare commemoratus Princeps, vt Cæſaris voluntati pareret, continuò P. Gregorium Rumer, tunc Prouinciæ noſtræ Præpoſitum, ad ſe accerſendum curauit, eíque mentem & ſententiam Cæſareæ Maieſtatis aperuit. Iſta re in conſultationem vocatâ, poſt multa in vtramque partem propoſita, tandem ex P. Rectoris, & aliorum omnium, qui aderant ſenſu atque iudicio, exiſtimauit eam Carolinæ Academiæ qualem qualem cum noſtra coniunctionem, duarúmque acceſſionem facultatum, & bonorum Academicorum adminiſtrationem, ob varias, quas iam tunc animo ſagaci prauidebat, difficultates, minus è re noſtra futuram. Reuerſus ergo ad Principem, gratijs imprimis reuerenter actis, ob tam honorificum Cæſareæ Maieſt: & eius Celſitudinis de noſtra Societate iudicium, affectu quanto poteſt maximo, rogat, vt Auguſtiſsimum Imperatorem ab eo conſilio dimoueat, nóſque ab impendente odio, & certiſsima inuidia liberet: ſatis nos negotij in noſtris duabus facultatibus tuendis & excolendis habituros. atque in ea ſententia conſtãs perſtitit omnino per multas hebdomadas, quicquid ad eum permouendum, tum ab eius Celſitudine, tum ab Ill.mo S. Rom. Imperij Comite Domino Paulo Michna de Vacinoua, per quem potiſsimum vniuerſa res acta eſt, in contrarium afferretur,

ſed

ſed demum, cum idem Dominus Comes affirmatè pronunciaſſet, niſi Noſtri eam Academiæ curam ſuſciperent, alterum è duobus, iiſque haud leuibus incommodis ſecuturum; vt aut duæ eſſent in vna vrbe Academiæ, cum manifeſto grauium diſcordiarum periculo; aut bona Academica aliò conuerterentur: cúmque quod attineret ad Sedem Apoſtolicam, tranquillo nos animo eſſe iuſſiſſet, eò quod Cæſar facilè ab ea obtenturus eſſet, & conſenſum in illa, ſi qua talia eſſent, quæ Pontificiã authoritatem neceſſariò requirerent, & aliorum planè omnium approbationem, vti moris eſt in Academiarum, aut noua erectione, aut magni alicuius momenti mutatione; ceſſit P. Prouincialis tanti viri authoritati, & Principis atque Cæſaris imperio obſecutus eſt; cuius rei teſtis omni exceptione maior eſſe poterit ſupra laudatus Ill.mus Dominus Comes. Atque ita Academiæ Carolinæ bona noſtræ gubernationi tradita ſunt 10. Nouẽb. eiuſdem anni 1622. ſciente & gaudente Ill.mo & R mo tunc Archiepiſcopo Pragenſi, ſanctæ memoriæ Ioanne Lohelio.

Cum hæc Romam ſcripta fuiſſent, erat adhuc in viuis ille Dominus Comes.

Poſt traditionem illam iuſſi ſumus de vniuerſæ Academiæ forma, quæ nobis viderentur optima, déque illis, quæ ad acuendam Academicæ iuuentutis induſtriam facere putaremus, ſeriò cogitare; & omnia complecti ſcripto, quod deinde à Regni Proceribus & Cæſareis conſiliarijs examinandum magno Cæſari offerretur. Fecimus, & diploma concepimus, in quod ea, quæ occurrerant, coniecimus omnia, non ea ſpe, vt, prout à nobis de-

ſcriptum erat, continuò Auguſta manus ſubſcriptione & appreſsione ſigilli firmaretur, ſed ut, quemadmodum dictum eſt, ea quæ in illo comprehenſa eſſent, diſcuterentur, & reiectis quæ parum opportuna viderentur, ea eligerentur, quæ viderentur futura è commodo Regni; atque ad extremum, pro omnium illorum confirmatione Cæſarea Maieſtas cum Chriſti Vicario ageret. Non potuiſſe autem cum illo agi citiùs, quàm de omnibus, quæ eſſent petenda, foret conſtitutum, nemo non videt.

Poſtquam diploma illud, vel potius diplomatis rudis quædam delineatio, & prima adumbratio, ex Cæſaris voluntate atque decreto venit in manus Ill.morum Procerum, & Ill.mus nouus Archiepiſcopus, qui tum, necdum erat euectus ad ſacram purpuram, circa quædam in eo diplomatis conceptu comprehenſa, ut, circa Typographos, Bibliopolas, ſcholarum Triuialium Magiſtros, &c. difficultatem nobis mouit, is qui tunc Collegij Rectorem agebat, ſcripto ad Ill.mam eius Celſitudinem dato disertè profeſſus eſt. 1. *Societati nunquam in mentem veniſſe, ut ea intelligantur eo ſenſu, quo vel minimùm derogent iuri Ordinarij; ſed eam tantùm poteſtatem expetijſſe, quã ex omnium Doctorum ſententia Principes terræ ſibi vendicare poſſunt, & ſolent.* 2. *Si tamen videatur periculum, ne aliquando Ius ordinarij inuolet, poſſe Ill.mum Archiepiſcopum ſuo, ſucceſſorúmque ſuorum iuri cauere, curando, ut in Imperatoris diplomate expreſſa ponatur clauſula, SALVO IVRE OR-*

ORDINARII, aut alia, prout libuerit. 3. Si Ill.ma eius Celſitudo iudicet, neq; ſic expedire, vt priuilegia illa Academiæ noſtræ tribuantur, quibus tamen omnes per Germaniam Academiæ fruuntur, ſe pro iſtis neq; manum amplius moturum, quin immo ex conceptu diplomatis expuncturum omnia.

Hæc Academici Patres Pragenſes, vt dixi, ante aliquot annos.

IStis ita geſtis ſperabat Societas in hoc negotio fore deinceps tranquilla & quieta omnia: ſed ſpe ſua falſa non multò poſt intellexit, horribiles *oppoſitiones*, vt vocabant, ab æmulis quibuſdam aduerſùm iam dictum diploma meditatò conſcriptas, Viennæ, Pragæ, & alibi non ſine graui Societatis inuidia circumferri & legi; donec tandem fortuitò etiam ad noſtrorum Patrum manus deuenerunt, nihil, aut parum differentes ab hoc *Iudicio*, ſeu *Cenſura Bullæ à Patribus Societatis Cæſari oblatæ*, vti appellat pag. 171. Arcanorum, Grammaticus. Qui tametſi non ſit authot huius *Cenſuræ*, eſſe tamen eum editorem, nihil dubitandum eſt: quanquam in eo videatur fallere Lectorem, quòd dicit, hoc eſſe *Archiepiſcopi & Eminentiſſimi Cardinalis* Pragenſis *Iudicium*, cum conſtet ab alijs clanculò fabrefactum, & quaſi furtiua manu fuiſſe in angulis diſſeminatum. Quis autem credat Eminentiſſimum Pragenſem Cardi-

Æmuli quidam Societatis & inuidi, eandem vexant.

nalem tali agendi modo contra Societatem vti voluiſſe?

Accuſatur Societas, quòd erectio Carolo-Ferdinãdææ Academiæ lædat Eccleſiaſticam Iuriſdictionem.

Cæterùm vt ad rem veniamus, præcipuum accuſationis caput hoc eſt, pag. 173. *Attentata erectio Carolo-Ferdinandææ Academiæ habet annexam excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſeruatam: Nam omne quod derogat iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, inhibet Chriſtianis quibuſcunque ſub pœna prædictæ excommunicationis, quod cùm ex multis Canonibus, tum maximè probatur ex Bulla in Cæna Domini: cuius inter multa hæc ſunt formalia verba. Eccommunicamus omnes qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones pragmaticas ſeu quauis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſa & quouis quæſito colere, ac etiam prætextu &c. fecerint, ordinârintque & publicárint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur vel deprimitur, vel aliàs quomodolibet reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ ſedis, aut quarumcunque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expreſſè præiudicatur &c. At inſtitutio Carolo-Ferdinandææ Academiæ minuit Eccleſiaſticam iuriſdictionem. Nam eximit Cæſaris auctoritate politica totam Academiam, hactenus quoad Carolinam Archiepiſcopo Pragenſi tanquam Capiti ſubiectam, ab omni prorſus huius regni Iudice Eccleſiaſtico, transfertúrque eâdem politica Cæſaris Auctoritate in Ieſuitas Academiæ moderatores omnimodum ius ordinarium in totam Academiam, in omnes pædagogos Pragenſes, totiúſque*

totiúſque regni ſcholas triuiales & Gymnaſia, nec non & ius omnimoda cenſura omnium librorum totius regni, cum Iure Inquiſitionis ac Correctionis hæreticæ prauitatis in omnes Academiæ profeſſores, pædagogos Pragenſes, totiúſque regni Ludimagiſtros, &c.

Reſp. 1. Si attentata iſta erectio Carolo-Ferdinandææ Academiæ habet *ob Bullam Cœnæ Domini*, (vt vocant) annexam excommunicationem latæ ſententiæ, euidenter ſequitur, Cæſarem re ipſa iam excommunicatione eſſe obſtrictum, qui hanc erectionem ſuo mandato *attentauit*, fieríque iuſsit ac voluit, & vult in hodiernum diem. Cæſarem autem nec S. Pontifex, nec S. Congregatio *de propaganda fide*, ad cuius judicium ante aliquot annos hæc cauſa delata eſt, vnquam cenſuit eſſe ob eam rem *excommunicatum*. neque credibile eſt, Cæſari Archiepiſcopum & Cardinalem Pragenſem hanc dicam impingere voluiſſe, &c.

2. Ieſuitæ hac in re nec *Decretum*, nec *Statutum*, nec *Ordinationem*, aut *Conſtitutionem Pragmaticam vllam* quæ detrimentum attulerit Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, fecerunt; Ergo nec ipſos ferit Cenſura *Bullæ Cœnæ*. Diploma enim illud Cæſareum, quod Cæſaris juſſu Ieſuitæ primis lineamentis tantummodo adumbrarunt, oblatum eſt quidem ab iiſdem S. Cæſareæ Maieſtati: attamen ad examen, & correctionem, ſi opus ſit, atque ad

Ieſuitæ Pragenſes, cur non ſint excommunicati.

S.Sedis Apoſtolicæ liberam approbationem: qua ratione nemo non videt, Ieſuitas animo prompto ac parato omnia Cæſaris ac S.Pontificis judicio & voluntati ſubieciſſe; Quis autem vnquam audiuit aliquem commeruiſſe pœnam in *Bulla Cœnæ* decretam, ſi ne latum quidem vnguem voluit à mente & ſententia ſupremi Præſulis Eccleſiæ diſcedere? Si ea quæ ſcripto complexus eſt, non voluit vllo modo efficacia ac rata eſſe, neque à Politico Magiſtratu, aut Principe ſubſcriptione muniri, niſi prius comperta fuiſſent Iuri & Sacris Canonibus conſentanea?

Ius Ordinarij & Ius Cancellarij.

3. Quando dicitur Ius Archiepiſcopi à Ieſuitis eſſe læſum, vel ſermo eſt de *Iure Ordinarij Loci* vel de *Iure Cancellarij*. Ius *Ordinarij* læſum non eſt. Nam Academias veteres pleraſque in Europa (inter quas & Carolina Pragenſis) à *Iuriſdictione Ordinariorum* fuiſſe exemptas, teſtatur in hodiernum diem *Euidentia rei*, & virorum grauiſsimorum, nominatim Cupeneri, olim Doctoris Lipſienſis Catholici, lucubrationes in Authenticam *Habita, C.ne.filij &c* quę adhuc extãt. Habetur deinde peculiare *Diploma* Bonifacij IX. ab anno Pontificatus illius Octauo, ſecundo Kalend. Februarij, quo plena juriſdictio, plus quam ante ducentos annos, *in omnia & ſingula membra Pragenſis Academiæ, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, &c.* Rectori illius *abſolutè* conceditur, cum hac expreſſa appendice;

dice; oportere deinceps Rectorem Academiæ eſſe Clericum, vt poſsit etiam Clericorum eſſe judex; cui *exemptioni* Archiepiſcopus non contradixit, tametſi per hoc illius *Iuriſdictio*, quam antea in Academicos Clericos habuerat, fuerit reſtricta; à quo tempore Academia illa in poſſeſsione quieta ſuæ *exemptionis* perpetuò permanſit. Nemo igitur verè dicere poteſt, *Iuriſdictionem* Archiepiſcopi hoc facto à Ieſuitis eſſe violatam; præſertim cum etiam liquido conſtet, proximè antegreſſum Archiepiſcopum, Illuſtriſſimum Dominum Ioannem Lohelium, virum in omni genere virtutum incomparabilem, cum de futura erectione huius Carolo-Ferdinandææ Academiæ aliquid inaudijſſet, vehementer lætatum fuiſſe, eámque palàm laudâſſe & approbâſſe.

Academia Pragenſis exempta.

Ius Cancellarij in Carolina Vniuerſitate nemo negat Dominum Archiepiſcopum Pragenſem à Clemente VI. quondam obtinuiſſe. Hoc autem à Ieſuitis illi iniquè eripi, nullo modo damus. Nam 1. Hiſtoria Bohæmica Æneæ Siluij cap. 42. docet, Conradum Archiepiſcopum Pragenſem, & Cancellarium Academiæ non ſolum palàm factum eſſe hæreticum, ſed etiam in eundem errorem reliquos Academicos pertraxiſſe. 2. Teſtantur Annales Academiæ Pragenſis ab Innocentio VII. priuilegium illi Academiæ fuiſſe conceſſum, quo poteſtas Rectori dabatur, ab-

De Cancellariatu Pragenſi.

ſente Archiepiſcopo, aut ſede vacante, fungendi munere Cancellarij· vnde mortuo dicto Conrado Archiepiſcopo,& ad 130.annos vacua Archiepiſcopali ſede, toto illo tempore, Cancellarij officium Rector obijt: Adhæc cùm deinde Ferdinandi I. Imperatoris voluntate ſedes illa Archiepiſcopalis reſtituta fuiſſet poſtliminio Catholicis, atque in eam eueheretur Antonius Epiſcopus Viennenſis, nihilominus non deſijt Academiæ Rector, partes Cancellarij agere; neque Antonio Archiepiſcopo,neque illius ſucceſſoribus reclamantibus, aut ſua jura ſibi eripi quiritantibus.

Poſtquam Regnum Bohemiæ à Cæſare anno 1620.recuperatum eſt, exauctorati fuerunt eiuſdem Cæſaris authoritate omnes *Profeſſores* & *Officiales* Carolinæ Academiæ; ſigilla item & inſignia ablata, fundi, prædia, prouentus annui, cætera bona adempta, omne denique jus, omnis poteſtas abrogata adeóque Vniuerſitas illa eſt abolita & extincta; idque ob cruentas rebelliones aduersùs Principem, óbque funeſtiſsimas clades, quas à duobus ſæculis illi regno importauit, ſuſcitato ſchiſmate, inducta hæreſi, turbatis omnibus.

Carolina Academia extinctâ céſetur &

Extincto igitur & abolito priore ſtatu Vniuerſitatis Carolinæ, etiam Cancellarij jus ſublatum, deletum, & oblitteratum eſſe cenſendum eſt: cùm extincto corpore, extinguantur

guantur & membra. Neque huic abolitioni obſtat Bulla Confirmationis Clementis VI. Sic enim Reſpõdent Patres Pragenſes; *Quando Summus Pontifex ad alicuius Principis deſiderium & preces quampiam Academiam confirmat, non ſubtrahit Magiſtratum Academicum eiuſdem Principis Iuriſdictioni, vt vbiq; terrarum experientia nos docet: & nominatim de Carolina Academia manifeſtum eſt ex eo, quòd cùm VVenceſlaus Rex & Imperator proprio ſuper ea re edito Diplomate in Rectorem illius contuliſſet poteſtatem (quam nempe antea neque à Fundatore Carolo IV. neque à Confirmatore Clemente VI. habebat) ſententiam ferendi de omnibus Academicorum cauſis, ſibi & ſucceſſoribus expreſſè reſeruauit Ius de iiſdem cauſis cognoſcendi per viam appellationis. Itaque per Confirmationem Clementis VI. glorioſiſſimo Ferdinando II. Imperatori noſtro, tanquam Regi Bohæmiæ integrum fuit Magiſtratum Academiæ Carolinæ, qui collegialiter crimen læſæ Maieſtatis admiſerat, iudicare, & ſempiterna abolitione punire.*

Cancellariatus extinctus

Neque per id violârunt Ieſuitæ jura Archiepiſcopi, quod petierunt in illo Diplomate à Cæſare Rectori Academiæ Carolo-Ferdinandææ ſubiici omnia in Regno Gymnaſia, triuiales ſcholas, pædagogos, Ludimagiſtros. Certum enim eſt primæ fundationi Carolinæ ex mente Regis ab ipſo primo Archiepiſcopo Erneſto inſerta fuiſſe hæc verba: *Similiter Rectores Scholarum & eorum*

Gymnaſia & triuiales ſcholæ à prima fundatione fuerũt Carolinæ ſubiectæ:

Scholares ſubditi ſint Rectori (Vniuerſitatis) *&* *iurent ac promittant eidem:* quod poſtea longiſsimo vſu firmatum eſſe Acta Academica teſtimonio ſunt. Cùm ergo Ieſuitæ hac in re aliud nihil poſtulauerint, quàm quod iam olim Archiepiſcopus vltro dedit Carolinæ, quis eos læſæ *Iuriſdictionis* Archiepiſcopalis incuſet, niſi quem exagitat obtrectandi libido, & inuidiæ felle flagrans animus?

Quomodo Concilium Trident: triuiales ſcholas Epiſcoporum curæ demandet.

Verum autem non eſt, (quod contendit Aduerſarius pag 183.) Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. c. 1. & ſeſſ. 25. c. 18. *triuiales ſcholas, Seminaria & Collegia ſtudiorum vniuerſalium prouidentiæ & Iuriſdictioni Epiſcoporum demandâſſe.* Quia ſeſſ. 5. c. 1. de refor. ſubijcit Ordinariorum Iuriſdictioni duntaxat eos profeſſores, qui *Grammaticam,* & S. ſcripturam in *Collegiatis Eccleſÿs* docent, atq; ex beneficijs Eccleſiaſticis aluntur: alias vero communes Scholas & Gymnaſia publica relinquit principibus & Magiſtratibus, quos adhortatur, vt ex chriſtiana charitate omni diligentia conſeruent eiuſmodi Gymnaſia, vbi ſunt; vbi verò non ſunt, ad defenſionem fidei Catholicæ erigant: quibus verbis ſatis indicat Concilium, Magiſtratus habere *iuriſdictionem* in eos, quibus de ſuo, aut communi ærario ſtipendia perſoluunt, & in aliqua re delinquentibus pœnas irrogant. Ac licet eodem loco Concilium etiam addat, ne quis ad talem *Lecturam* admittatur, niſi prius

prius examinatus & approbatus ab *Ordinario Loci:* nôrunt tamen omnes docti, ius examinandi & approbandi ab *abſoluta Iuriſdictione* plurimum diſtingui, vt patet in exemptis Religioſis, qui ab Epiſcopis examinantur & approbantur.

Aliud eſt jus approbãdi, aliud abſoluta juriſdictio.

Seſsione verò. 23. c. 18. de refor. agit Concilium tantùm de erigendis Seminarijs Clericorum per Archiepiſcopos & Epiſcopos,, in ſingulis Diœceſibus, vt inde ſemper idonei miniſtri Eccleſiæ in promptu haberi poſſint. Quis autem vnquam negauit iſta ſeminaria ſubeſſe Epiſcopis & Archiepiſcopis?

Æquè parum læſa eſt Archiepiſcopalis *iuriſdictio* per poſtulatum de Typographis. In ipſa enim *fundatione* Carolinæ, operâ Erneſti Archiepiſcopj factâ, poteſtati Rectoris ſubeſſe omnes *Librarij* iuſsi fuerunt his verbis: *Rector Vniuerſitatis tenetur facere, quod omnes ſcriptores, illuminatores, correctores chartarum, raſores pergameni, librarij, ſtationarij, ligatores librorum, & eorundem venditores, ac omnes qui viuunt quodammodo per Vniuerſitatem; ſimiliter Rectores ſcholarum, & eorum ſcholares ſubditi ſint Rectori, & iurent ac promittant eidem.* An igitur tam inexpiabile nunc facinus perpetrauerint Ieſuitæ, ſi aliquid iuris petiuerunt à Cæſare pro Ferdinando-Carolina, quod tam longo tempore conceſſum fuit ſoli Carolinæ? immo quo etiamnum gaudent, ſine vlla querela *Ordinariorum*, multæ a-

Typographi etiam in alijs Academijs Rectori ſubſunt.

tæ aliæ Academiæ Europæ? Exempli gratia. In ſtatutis & priuilegijs almæ Vniuerſitatis Bononienſis typo expreſsis Anno. 1561. pag. 7. Tit. *Ad quid Rectores ſpecialiter teneantur*, iſta legimus. *Item teneantur Rectores facere, quod omnes ſcriptores, miniatores, correctores & minorum repoſitores atq; raſores, librorum ligatores, cartolarij, & qui viuunt pro Vniuerſitate ſcholarium iurent, quod ſubditi ſint Rectoribus, & Vniuerſitati, & fideliter ſeruiant vnicuiq;.* Similia habentur in aliarum quarundã Vniuerſitatum *ſtatutis*, vt ignorantiſsimus rerũ cenſendus ſit, qui hæc talia neſcit, aut maleuolentiſsimus, qui illa criminari audet. licet autem in LateranenſiConcilio,nec non in ſeſſ. 4. Tridentini lex ſancita ſit, vt nulli libri *de rebus ſacris* vendantur, niſi priùs ab *Ordinario Loci* approbati; huic tamen minimè conſequens eſt, Typographos & bibliopolas eſſe omnimodis ſubiectos *Iuriſdictioni* Epiſcoporum, cùm nemo ignoret, crimina iſtorum *ciuilia* non ab Epiſcopis, ſed à Magiſtratibus alijs puniri.

Per petitam *cenſuram librorum* ſiue iam typis deſcriptorum, ſiue adhuc deſcribendorum, etiam nullo modo excluſerunt Ieſuitæ ius Archiepiſcopi; multò minùs arrogârunt ſibi Iura *Inquiſitionis & correctionis hæreticæ prauitatis.* Quis enim regum aut principum Catholicorum eſt, qui non peculiarem quoq; habeat curam, ne in ſuis territo-

rijs

rijs libri noxij, qui maxima turbamenta & exitia Reip. eſſe ſolent, ſeu clâm ſeu palâm vſpiam vendantur, & à regno ſubditis legantur? In quem finem tam in Belgicis prouincijs, quàm in Gallia, & alibi, præter *Epiſcopos*, aut *Fidei Quæſitores*, etiam ſunt conſtituti regij librorum *Cenſores* & *Viſitatores* citra quorum ſcientiam ac voluntatem neq; Typographis fas eſt, neq; bibliopolis vllum librum aut prelo ſubijcere, aut venum exponere. Cùm ergò Ieſuitæ Pragenſes plus non petiuerint à S. Cæſarea Maieſtate, quàm quod alij Reges & Principes Chriſtiani, ſaluo in omnibus Iure Epiſcoporum & *Inquiſitorum* fidei, ſuis miniſtris largiuntur, quæ (obſecro) maleuolentia eſt, Ieſuitas ob eam rem criminationibus inceſſere? An Imperatoria dignitas nunc iſtis adeo euiluit, vt putent Cæſari non licere, quod alijs omnibus Magiſtratibus eſt conceſſum? ſi Cæſar eſt ſummus defenſor fidei; ſi eſt ſupremus aduocatus Eccleſiæ, annon etiam excubare pro ſuo regno poteſt, & legem condere, ac ſuis hanc curam demandare, vt nullus in eo ſit incola, nullus Ludimagſter, nullus typographus, aut bibliopola, qui hæreticum aut alium peſtilentem librum emat, vendat, legat, aut apud ſe retineat? ſi autem hanc poteſtatem alijs, illæſo Iure Archiepiſcopi, aut *inquiſitorum* fidei impertire poteſt, cur non etiam Academiæ.

Quid circa cenſuram librorum petiuerint Ieſuitæ Pragenſes.

At,

Obijcitur 1.

At, inquiunt, Archiepiſcopus fuit *caput Carolinæ* & illius *Eccleſiaſticus Iudex*; non poteſt igitur authoritate ſola politica Cæſaris eripi hoc ius Archiepiſcopo, & transferri in Ieſuitas. Reſp. Ex dictis iam perſpicuum eſſe, Carolinam olim per Pontificem fuiſſe *exemptam à Iuriſdictione Archiepiſcopi*, relicta illi ſolius *Cancellarij* poteſtate: inde tamen nec debet dici *caput Academiæ* nec habet *Iuriſdictionem* in illam. Cancellarij enim munus eſt, *gradus & honores litterarios loco principis conferre*, inquit Panormitanus. c. *Cum Venerabilis, de except.* aut licentiã eoſdem honores conferendi alijs dare, non autem ius dicere Academicis. Quod ſi in nonnullis Academijs Galliæ Cancellarius etiam habet aliquid Iuriſdictionis in Profeſſores, id per accidens eſt, non per ſe; vti tradit Gregorius Toloſanus lib. 15. c. 19.

Obijcitur 2.

Iterum obiectant: Non decuiſſe, vt iſta ſolus Cæſar cum Ieſuitis perageret: ſignificanda priùs S. Pontifici fuiſſe; præſertim cùm etiam de docenda Theologia, & Iure Canonico agatur.

Reſp: Iniuria eſt, de S. Cæſareræ. M.is. venerabunda, atque inclinatiſsima erga S. Apoſtolicam ſedem voluntate dubitare, neq; enim tam inops mentis eſt Cæſar, vt neſciat, quid hac in re facto ſit opus. Quis quis etiam non omnino infans eſt, facilè intelli-

telligit, quo ordinè in talibus ſit procedendum. Quis enim pia aliqua *fundatione* DEVM veneraturus, non priùs eam & animo diſtributè concipit, & in papyro primam illius ſpeciem, ſiue imaginem, ſaltem tenuibus coloribus, exprimit? Hoc factum eſt à Cæſare, qui iuſsit idæam fieri ſuæ de Carolo-Ferdinandæa Academia voluntatis, poſtmodò non ſolùm per Conſiliarios, ſed etiã per ipſum S. Pontificem æquiſsimi iudicij lance adhuc ponderandam. Qui mos eſt & conſuetudo omnium hominum, vt poſtulaturi conſenſum atq; confirmationẽ quampiam à Principe, dilucidè & apertè priùs proponant, quæ authoritate maiori cupiunt ſtabiliri: prius enim res conſtituitur, quàm confirmatur; vt euidens eſt in teſtamentis, & ſacris *Fundationibus*, cuiuſcemodi & iſtam eſſe putandum eſt. Ex quo videmus nullius momenti eſſe, quæ de *Theologia docenda* & *Iure Canonico* ingeruntur: Quid, quod in diplomate illo Cæſareo non conceditur à Cæſarenoua facultas Societati docendi Theologiam & S. ſcripturam, cùm eam iam antè habuerit in Ferdinandæa Academia, etiam Pontificia authoritate roborata. Nec Concilium Trident. his vllo apice aduerſatur ſeſſ. 5. de reform. c. 1. vbi non ſtatuitur, an *Laicali poteſtate* concedi poſsit *Lectio Theologiæ*, ſed mandatur tantùm, vt Epiſcopi in ſuis *Diœceſibus* S. ſcripturæ interpretationem pro

An Laici poſsint Lectores Theologiæ conſtituere.

pro viribus promoueant, & curæ habeant: Multò minùs *Extra. de Magiſtris*, quidquam inuenitur, (vt pag. 183. falsò contendit Aduerſarius) quod Erectioni huic Carolo-Ferdinandææ Academiæ vel in ſpeciem repugnet.

Profeſſionem fidei an exigere poſsit ſæcularis Magiſtratus.

Profeſsionem fidei poteſt etiam ſæcularis Magiſtratus à ſuis exigere, quando iudicat eſſe neceſſarium. Oſtende enim mihi legem, quæ hoc fieri vetet? Neque vllo ſcelere ſe obſtringunt Ieſuitæ, cum vigili cura attendunt, *ne quid in Lectionibus & diſputationibus ſana doctrina & moribus aduerſum irrepat.* Hoc enim non ſolùm quilibet parochus in ſua parochia, quilibet Doctor in ſua ſchola, ſed quilibet etiam paterfamilias in ſua familia curare & poteſt & debet.

Habes optime Lector potiſsima fundamenta accuſationis & defenſionis in hac Academiæ Pragenſis cauſa; Quæ vlterius in Societatem iaculatur Grammaticus, aut ſunt apertè falſa, aut ita obtuſa, vt nec extimam cutem rumpere queant. Vide Anti-melandri partem 2. c.3. §. 1. & Petri VVadingi Refutationem breuem calumniarum, quas Collegio Pragenſi impegit ſcriptor famoſi libelli, cui titulus Flagellum Ieſuitarum.

Caput

Caput ſextum.

DE STVDIIS LITTERARIIS IESVITARVM, EX CAP. 6. IOANNIS Marianæ lib. de regimine Societatis.

QVæ hoc capite ex Marianæ libro iterum Lectoris oculis & auribus ingeris Grammatice, in Ant-anatomia ſect. 7. n. 15. ſect. 8. & 11. ſunt confutata; quam confutationem ne faſtidio ſim, & actum agam, nolo repetere.

Vnum teſtimonium ipſius Marianæ non cenſeo negligendum, quo manifeſtum ſit, iſta, quæ tu Marianæ adſcribis, ab eo vel omnino non ſcripta, vel non de tota Societate ſcripta. De plurimis enim prouincijs Societatis illum rectiſsimè & ſenſiſſe, & ſcripſiſſe mox viſuri ſumus. Hem tibi verba Marianæ ex *Præfatione ad Cardinalem Bellarminum*, quam præfixit *Scholijs* ſuis *ad Vetus & nouum Teſtamentum Pariſiis editis anno* 1620!

Memoria ſuperioris temporis tantiſper oblectare animum ſolebam (veniam hanc ſeni dato) cùm Romæ tu quidem poſt obitum auunculi tui Marcelli Pont. Max. Opt. ætatis, ſed & artium liberaliū impigro pede prima ſpacia metiebaris, Parra præceptore tuo, amico noſtro & æquali Ego

ſcholas theologicas explicabam, immatura quamuis ætate, neq; eruditione firma. Ita res noſtræ erant. In Italia nullus noſtri Ordinis, qui eam Prouinciam ſuſtineret, Nunc INNVMERI, vt audio, & credo libenter: ſic tempora commutantur. Collegæ tamen in ea profeſſione tunc erant Emanuel & Ledeſmius, quales & quanti viri ingenio, eruditione & modeſtia! In Philoſophia Toletus, qui eruditionis ergo poſtea donatus eſt purpurâ. Pereira eleganti prorsus ingenio. Acceſſit Acoſta nihilo alijs inferior. Artem oratoriam Perpinianus tradebat, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio, eloquentiæ laude cumprimis noſtræ ætatis comparandus, neq; antiquis abſimilis. Matheſim Clauius ex ſuis libris ſatis notus & nobilis. Hebraicas litteras Baptiſta Romanus inter ſuæ gentis ſpinas Roſa odorata, & ſuauis moribus magis, quàm facie. Græcas Stephanus domo Valentinus. Eorum & temporum & virorum ſæpe recordatio recurrit, eáque reficitur animus. Sed & eorum adoleſcentum qui ſupra ducentos ex varijs nationibus, vnà nobiſcum viuebant, ſubit animum cum voluptate cogitatio. In eo numero Galliardi tres, totidem Sardi, quibus ſe quartum poſtea adiunxit eorum pater, nobilis in Sicilia medicus: Lucas Pinellus, Iacobus Crucius, Bernardinus Caſtorius, alij, quorum nomina exciderunt, hæret animo virtus. Sed certè Ludouicum Odeſcalcum ipſis gratiarum diuinis manibus factum forma, moribus, ingenio,

Eximet è noſtro pectore nulla dies.

Recto-

Rector Collegij Sebaſtianus Romaus prudens iuxta & modeſtus. Neq; te Iacobe Paëci, dubium ingenio, an gratia maior ſilentio inuoluo, meorũ quondam in litteris prime ſodalium mihi præ cæteris chare. Non Organtinum non ita pridem in Iaponia poſt immenſos labores extinctum. Non Maldonatum, quamuis exiguo tempore in Romanorum profeſſorum numero; ſed Collega deinde noſter Lutetiæ, noſtræ nationis & Ordinis decus. In tanto numero nulli redditus erant; nulla vectigalia. Miraculi inſtar tot tunc iuuenes ali potuiſſe. Victus proinde frugalis erat & tenuis. Docendi labor improbus, cælum nobis præſertim externis graue. Ita fractæ in limine vires noſtræ ſunt. Tredecim tamen annis in Italia, Sicilia, & Gallia confectis, in Hiſpaniam neceſſario redij, ſi natiuo cælo melius haberem. Neque fefellit ſpes &c. & poſt pauca. Noſtri hactenus conſilij cauſas, ſed & vitæ partem explicui, otij & ſeceſſus Hiſpanici rationem reddidi. Addam tamen, me in hac vigilia breuitatem conſectatum, ne opus in immenſum ſcilicet creſceret, ſi varias aliorum explicationes referrem, & de omnibus diſceptarem. Et alioqui in locis ſingulis, quæ mens auctoris fuerit, quid verba ſacra ſignificent, paucis explicare quid vetat? Laudem conficiendi in diuinos libros latiſſima Commentaria alijs relinquimus: quorum noſtra ætate, & in noſtro Ordine MAGNVS EST NVMERVS. Neque me cum illis compono memor noſtræ tenuitatis. Nos ex agello noſtro tenues florum manipulos damus; ditiores offerent integra

viridaria &c. Hæc Mariana, de quibus iam ſic ratiocinabimur.

1. Huius *præfationis* indubitatus auctor eſt Mariana, qui eam deliberato ſtudio, & appoſito nomine ſuo, auctoritatéque Maiorum per typos luci publicæ dedit: Ergo plus illi fidei habendum eſt, quàm clandeſtino huic, &, neſcio, ex quo angulo *de Regimine Societatis* extruſo libello; quem nec Mariana ſuum eſſe vnquam confeſſus eſt; nec Societas pro partu illius genuino àgnouit; quippè tot alijs vitijs laborantem, vt adulterinum eſſe, aut ab aliena manu vehementer corruptum meritò ſit judicandum. Atqui diſertiſſimè hîc fatetur Mariana, *ſe libenter credere, NVNC INNVMEROS eſſe* per Italiam, qui munus & onus docendæ Theologiæ ſuſtineant, hoc eſt, qui rectè & laudabiliter exequantur: Item, *in noſtro Ordine hac ætate eſſe magnum eorum numerum, qui laudem ex latiſſimis Commentarijs in diuinos libros reportare poſſint,* Nullo igitur modo idem Mariana capite 6. de Regimine Societatis ſcribere potuit; *Inter Ieſuitas pauci ſunt boni Philoſophi ac Theologi.* Item, *Eorum qui præſtantes in altioribus ſtudijs euadunt, exiguus eſt in Societate numerus.* Sic enim tu illius verba recitas in Anatomia Societatis pag. 38. & in Arcanis Societ. pag. 196.

2. Confitetur itidem Mariana, in Societate, iam eſſe commutata tempora, & quidem in partem non peiorem, ſed meliorem; nam

nam vbi ante 50. & 60. annos fuerunt pauci viri docti, nunc *eſſe innumeros* &, *magnum numerum* dicit. Non igitur illius mens & ſententia fuit, Societatem in litterarum ſtudio adeo oblanguiſſe, vt hæc Laurus interuallo temporis amiſerit viriditatem ſuam; & ad extremam tabem peruenerit.

3. Videmus quoque Marianam, in Hiſpania, de externa Italiæ prouincia valdè cautè & honorificè locutum eſſe, ac non niſi ea, quæ auditione, aut litteris accepit, proferre voluiſſe: Ait enim, *NVNC* (ſunt in Italia) *innumeri, vt audio* (Theologi docti & præſtantes) *& libenter credo.* Quis ergo putet ex Marianæ calamo fluxiſſe, quæ in iſto libro, cuius ille author perhibetur, omnibus in Europa Ieſuitarum Prouincijs, vniuerſæque Societati obijciuntur crimina? Quomodo enim fieri potuiſſet, vt vnus homo, qui nec Prouincialis, nec Rectoris munere eſt functus, ſed priuatam ſemper, ſtudiiſque litterarijs penitus immerſam vitam, & quidem in tam remoti orbis partibus egit, exploratum haberet, quid in quolibet regno, ab alijs de Societate rectè aut perperam geſtum fuerit? Quis illum ſcientem fecit, quid in gubernando vbiuis locorum peccauerint Præpoſiti & *Rectores*? quid in re Oeconomica *Procuratores* deliquerint? quid admiſerint culpę in domeſticis miniſterijs *Coadiutores*? quid in ſcholis Præfecti & Magiſtri? quid in *Do-*

minibus probationis Nouitij? Certi igitur ſumus, à Mariana hæc ſcripta non eſſe, quæ illi attribuuntur, aut eo modo ſcripta non eſſe, quo recitantur.

4. Etſi Mariana dicit, olim *in tanto numero nullos redditus fuiſſe* Collegio Romano, *vt miraculi inſtar ſit, tot tunc Iuuenes ali potuiſſe;* addit tamen; *Ita fracta in limine vires noſtra ſunt.* Quaſi dicat, non parum damni tunc feciſſe Societatem, quando ob tantam rerum ad vitam neceſſariarum inopiam, juuenes & ſenes, Doctores & diſcipuli, ſcholaſticis ſudoribus præmaturè, & ante tempus exhauſti, atque debilitati, ad alia deinceps effecti ſunt inutiles, aut minus apti. Quantum verò hoc vulnus ſit, ſi religioſis Ordinibus inferatur, nôrunt ij, quibus impenſiſsimè laborandum eſt, vt opem inueniant ad medendum. Quæ cauſa Societatis parentem S. Ignatium inter alias impulit, vt in Conſtitutionum parte 4. c. 2. §. 5. & parte 6. c. 2. A. & in Examine c. 1. §. 4. permiſerit *Collegia habere redditus propter ſuſtentationem ſcholaſticorum.* Experimento quippe ſuo didicerat, quàm vehementer bonis conatibus atque etiam litterarum ſtudijs officere mala valetudo ſoleat, quæ ex immodicis laboribus, & nimia egeſtate ſæpenumero incurritur, ideo dubitandum non eſt, quin à Mariana agnita quoque fuerit neceſsitas prouidendi Collegijs de certis prouentibus, ſi ea non modo ſtabilia,

ſed

ſed & Reip. vtilia eſſe velimus. Atque hæc de Ioanne Mariana.

Caput ſeptimum.

DANIELIS HOSPITALII AD REGES PRINCIPESQVE CATHOLICOS Conſultatio, de cauſis & modis conſeruandæ & amplificandæ Societ.is IESV.

SI *quiſquam eſt* (inquit pag. 204. & 205. Laruatus iſte Daniel, non hoſpitalius, ſed hoſtilius dicendus) *qui Societatem IESV à diuo Ignico ſiue Ignatio Loyola conditam & conſtitutam, & Apoſtolica Sedis auctoritate confirmatam, ingentes Eccleſia DEI, omníque generi humano Vtilitates attuliſſe, eáque re optimi ac maximi cuiuſque beneuolentia, fauore, & auxilio digniſſimam eſſe cenſet, in his ego nomen profiteor meum, ac nato nemini de ſtudio erga illam, eiuſque conſeruanda & amplificanda cupiditate nec tantillum conceſſero.* Quàm blandum eſt hoc exordium, tam fallax. Res ipſa demonſtrat, aliud dicere hunc authorem, & aliud agere; ideóque ex eorum numero eſſe, *qui bene dicunt proximo Voce grandi.* (prou. 27.) mala veró meditantur à tergo. Si enim non

fictè, ſed ſeriò ita ſentit, cur in hac conſulta- tione tam improbo niſu laborat, vt modũ gubernandi, qui à S. Ignatio conſtitutus, & à Sede Apoſtolica firmatus, tantos in Eccleſia fructus protulit, conuellat & euertat? Cur ita ſudat, vt Societatis nomen nouis commentis inuiſum omnibus reddat?

Ingens mendacium de P. Conrado Vetter & Matthæo Greütter.

Ingens certè mendacium eſt, quod pag. 207. & 208. de P. Conrado Vettero Germano, & Matthæo Greuttero ſcribit his verbis: *Matthæus Greutterus Argentinenſis, qui nunc Romæ imaginibus in ære incidendis vitam tolerat, ſæpè amicis narrat; Cùm adhuc adoleſcens ad P. Conradum Vetter in Germania veniſſet, eíque ſuum conſilium de nomine Societati dando aperuiſſet, ſibi totidem ferè verbis ab eo reſponſum fuiſſe. Magnam equidem tibi gratiam habeo, qui tam bene de Societate noſtra exiſtimes, vt in eam te quoque cooptari expetas; Verùm ego mihi minimè hominis ingenui, aut boni viri officio fungi videar, ſi eum errare patiar, qui tanta de re mecum deliberare, meóque vti conſilio voluerit. Quod ergo te, ſi Ieſuita fias, inter meros Angelos ætatem acturum ſpe & opinione præcipis, næ te plurimum fugit ratio. Si enim experimentum capias, pol tu extremæ nequitiæ Cacodæmonas magno numero inueneris. Ego quidem me Ieſuitam gaudeo, neque hoc vitæ genus cum quocunque alio mutatum velim, bona etiam ſpe ſum fore, vt DEO propitio meam in eo ſalutem operari, beatóque vitæ fine quieſcere poſſim; nemini tamen alij, vt Socie-*

tati noſtræ ſe ſuámque ætatem committat, auctor rem audeam, quippe quam ſui, tam diſsimilem factam eſſe, & ab ea, quæ tum erat, quando in eam me intuli, vſq; eo degeneraſſe videam. Hęc Grammaticus: quæ longiſsimè à vero abeſſe ſponte iudicabit, quiſquis P. Conradum Vetterum, eiuſque erga Societatem minimè dubium, ac integerrimum nouit affectum, quem non ſolum editis permultis pro Societate egregijs apologijs demõſtrauit publicè, ſed etiam priuatim, vbicunque fuit occaſio, neque obſcurè, neque frigidè oſtendit, præſertim in eos, quos Societati aggregare ſe velle intellexit: quorum compluribus, vt id facerent, author ſuaſórque fuit. Quia verò ille Pater morte iam obita, neque pro ſe, neq; pro Societate dicere teſtimonium amplius poteſt, Greuterus compellandus erat; qui de hoc interrogatus Romæ, abſque circuitione, voce liberrima dixit; *Grammaticum N.* qui hoc affirmat, *impudenter mentiri; idq; ſi opus ſit, publico teſtimonio teſtatum ſe Orbi facturum, Nunquam de Societate ineunda ſe cum Patre Vettero egiſſe: nec permiſſurum fuiſſe, vt frater ſuus iunior Chriſtophorus Greuterus in Societatis Tirocinium admitti peteret, atque etiam admitteretur, ſi eius generis dehortationem à P. Conrado Vettero vnquam audijſſet.* In hæc verba reſpondit Greuterus, cùm primò de calumnia certior factus eſſet: non autem multò poſt etiam ſcripto teſtificari voluit, quàm falſa

S 5 eſſent,

eſſent, quæ de ipſo Grammaticus confinxiſ-ſet. En! humaniſsime Lector, Greuteri Confeſsionem.

Matthæi Greutteri teſtimonium cõtra Grãmaticum pro innocentia ſocietatis.

EGo Matthæus Greutter optimâ fide teſtor, omnia ea, quæ in famoſo libello, ſine auctore, & loco impreſſo, cui titulus, Arcana Societatis IESV, folio 207. & 208. ad eandem Societatem infamandam adducuntur, & meo teſtimonio perperam approbantur, falſa eſſe, & à maleuolo animo auctoris gratis conficta. Ego enim, etſi fateor me ſenem eſſe, quem fallere poſsit memoria, ſanctè tamen affirmo, me eiuſmodi colloquij, aut narrationis non meminiſſe (meminiſſe autem deberem, ſi tam ſæpe, vti auctor fingit, amicis narrarem) ſed neque potuiſſe mihi in mentem venire, niſi cum hoc ipſo auctore, audacter mentiri vellem. Nam cum anno 1594. Ratiſponam, vbi Comitia Imperij celebrabãtur, mercium mearum causâ veniſſem, cum P: Conrado Vettero, verè hæreticorum flagello, & quem ego ſemper amaui, & veneratus fui, diſputare cœpi, &

conui-

conuictus etiam manus dedi, atque à Luthero, cui tum adhærebam, ad Romanam Eccleſiam acceſſi; nihil verò tunc de ſtatu mutando, aut Religione ingrediendaactum à me fuit, aut cogitatum: aut quomodo cogitarem, qui tunc nòn, vti auctor ait, tam adoleſcens fui, ſed trium iam liberorum pater eram, & modũ quærebam, quo etiam illos, ne in hæreſi educarentur, in tuto collocarem? prout feci, & liberos mecum primò Lugdunum in Galliam, ac deinde huc Romam adduxi. Ex quibus clarè conſtat, falſa eſſe, quæ auctor de me attulit ad calumniandam Societatem, quã ego ſemper amaui, & colui, & dum viuam, amabo, neque Ordinem vniuerſum vnquam vituperandum exiſtimabo, etſi hic, vel ille ſit, quod in cælo Angelus, vel in Apoſtolatu Iudas fuit. Ita iterum, & optima fide affirmo, teſtor, & propria manu ſubſcribo. Romæ 14. Aprilis 1636.

Ego Matthæus Greuter affirmo vt ſupra, manu propria.

Vides

Vides iam Lector, quibus armis à Grammatico oppugnetur Societas? nempe ſpiſsis crudiſque mendacijs, quibus nemo honeſtæ mentis, & veritatis amicus vel hoſtem ferit, vel ab hoſte ſe defendit.

Eiuſdem Grãmatici figmentum de S Põtifice.

Nec abſimile huic figmentum eſt, quod pag. 108. & 109. de S. Pontifice adiungit. *Hic* (inquit Grammaticus.) *apertè fert Generalis Ieſuitarum Imperium eſſe deſpoticum, ſiue herile, hoc eſt, Tyrannicum, & bono cuiuis meritò inuiſum. Nemo enim niſi improbus Tyrannidem in homines ingenuos, ac bonis natos non cane peius odiſſe atq; execrari poteſt. Dum autem Tyrannidem in eo imperio Pontifex agnoſcit, eadem opera fatetur ei adeſſe illa, ſine quibus ea imperÿ forma ſubſiſtere non poteſt; aſſentatores puta & exploratores, ſeu delatores; quos in Societate pro neceſſarÿs haberi Mariana diſertim confitetur.*

Reſp. Dolendum eò veſaniæ progreſſum eſſe Grammaticum, vt etiam in ipſum ſupremum Eccleſiæ Paſtorem iniurius eſſe audeat, de quo tamen ne veriſimiliter quidem mentiri poteſt: Cùm enim palàm notum ſit, illam ipſam gubernandi rationem (hoc eſt monarchicam,) quæ hodie in Societate viget, iam olim non modò à S.Ignatio in Conſtitutionibus fuiſſe expreſſam & à tot ſummis Pontificibus confirmatam, ſed etiam in ipſa Vniuerſali Eccleſia adhuc eſſe vſitatam, quis niſi Tragico Oreſte, aut Athamante dementior, dicat, Vrbanũ. VIII. nunc demùm

mùm in ipſius Eccleſiæ Romanæ præiudicium, ea reijcere & improbare velle, quæ tot Pontifices, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. c. 16. de regular. approbarunt & nomine pij inſtituti condecorarunt? Non eſt Tyrannicum, quod eſt pium. Nulli bono eſt inuiſum, quod nulli bono non eſt bonum. Perfectiſsima gubernatio eſt per vnũ; qualem Chriſtus inſtituit in Eccleſia. nec ignotum eſt illud Homericum: *multos Imperitare malum eſt, Rex vnicus eſto. Si optio eligendi conceſſa fuerit, non aliud eligas quàm vnius poteſtatem*, inquit Plutarchus lib. de Monarch. *In religioſo ordine*, cui nomen dedimus, nemo noſtrum iure poteſt conqueri de Tyrannide: Quò non venimus, vt mollia & holoſerica tantum imperet *Prælatus*. Si aſpera & dura præcipiuntur, lætandum nobis eſt: quia ſubminiſtratur materia maioris lucri. Integram voluntatem, & omnia noſtra tradidimus in manus *Superioris*, quando nos Ordini per Vota conſecrauimus. Quidquid ergo facere iubeat, modò non Deo repugnet, faciendum mihi eſt; nec, niſi iniuriâ, illum Tyranum dixero. An vnquam auditum eſt à corpore exanimi accuſari eum Tyrannidis, qui illud ad arbitrium ſuum vel hoc, vel illo, vel illo locò ſtatuit? *Tolle* inquit S. Franciſcus *corpus exanime, & vbi placuerit pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum.*

Vide Bellarminũ lib. 1. de Romano Pont. c. 2.

Refert S. Bonauẽtura in vita S. Franciſci c. 6.

Quod

Quod ſi ſtatuatur in cathedra, non alta, ſed ima reſpiciet; ſi collocetur in purpura, duplo palleſcet. Si verus obediens eſt, cur moueatur, non dijudicat, vbi locetur non curat, vbi tranſmutetur, non inſtat. Euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat ſe indignũ. Aliud eſt etiam criminis *denunciatio* in Religione, aliud *Aſſentatio* Illa eſt perſæpe neceſſaria, & laudabilis; iſta ſemper execranda. Grauis eſt error exiſtimare, in religioſis Ordinibus *denunciationem* non eſſe vtilem, aut ſalutarem; quem eruditè refellit Layruelz in *Optica Regularium*, ſpeculo. 79.

Modi cõſeruandæ Societatis ab Hoſpitalio præſcripti.

Sed videamus *cauſas & modos conſeruandæ & amplificandæ Societatis*, quos Hoſpitalius nobis proponit. *Hoc* (inquit pag. 210. & 211.) *non alijs modis confectum dare poſtulo, quam quos D. Ignatij inſtitutis, moribus & verbis conſentaneos videmus: de quo in vita eius Maffeius ſcribit, dicere ſolitum: Quibus artibus, quóue ſpiritu excitata & conflata eſt Societas, eodem profectò alenda & conſeruanda eſt. &c. Quæ verò artes, quíue ſpiritus fuerit, quo Societatem Ignatius primùm conflauit, id Maffeius paſsim explicat, & duobus hiſce capitibus complectitur, Fuga ambitionis & Auaritiæ: Prouidit B. Ignatius, quantum ingenio & cogitatione aſſequi voluit, cùm vt cæteris vitijs, tum verò vt Auaritiæ & Ambitioni, quæ duæ ſunt perniciosiſsimæ mortalium peſtes, omninò obſtrueretur aditus, veráq; Humilitati & Paupertati, quàm maximus & maximè*

maximè diuturnus honos ab omnibus haberetur.
Reſp. Quæ Maffeius ſcribit, nullo modo inficiamur: ſunt enim veriſsima; & tam diu ſtabit, atq; florebit Societas, quamdiu in ea Ambitioni & Auaritiæ nec locus, nec aditus vllus relinquetur. Eſſe autem his duabus truculentis belluis portas in Societate ita apertas, vt dicit Aduerſarius, id conſtanter & verè negamus.

De Auaritia profectò, ſuperuacuum videri poſsit, vel verbulo ampliùs reſpondere; cum iam toties reſponſum à me fuerit; videlicet in *Ant-anotomia* ſect. 10. n. 14. in *Mantiſſa* ſect. 2. c. 3. pag. 113. in *Anti-Melandro* parte 3. c. 2. obiect. 3. n. 137. & ante plures annos ab Adamo Conzen in *Diſceptatione de Secretis Societ.* Iesv, à pag. 104. vſq; ad 138. ne tamen aduerſarius noſtrum ſilentium interpretetur triumphum ſuum, etiam hoc loco aliquid dicendum duxi.

Auaritia inquit S. Thomas. 2. 2. q. 118. a. 1. *eſt immoderatus amor habendi.* Hoc vitioſo amore Ieſuitas laborare ex eo fit incredibile, quod non modo ſinguli eorum ſe voto communi paupertatis obſtringunt (quo bonis iſtis caducis æternum repudium renunciant) ſed etiam *Profeſſi Societatis* nouo ſacrammento peculiariter ſe obligant, Deóq; ſanctè promittunt, nunquam conſenſuros ſeſe, vt paupertatis legibus detur laxamentum, ſed potiùs vt earum habenæ adducantur. — Auaritiæ obſiſtit paupertas religioſa.

Quam

Pauper-tas Socie-tatis.

Quam religioſam paupertatem in *Summario Conſtitutionum.* §. 23. iubentur omnes de Societate, *ut murum Religionis firmum diligere; & in ſua puritate conſeruare.* & §. 24. *ueluti matrem* amare. Hanc autem fidiſsimam matris tutelam amittere; hoc muri tam valido munimine, firmóq; præſidio nudari, annon res eſſet cum certiſsimo interitu Societatis coniuncta? *Paupertas enim* (inquit S. Ambroſius lib. 5. in Lucam) *ordine prima eſt, & quaſi parens aliarum omnium virtutum;* ſicuti è contrario auaritia, ſiue *Cupiditas* teſte Apoſtolo, *eſt radix omnium malorum,* 1. Timoth. 6. Quàm igitur abominanda foret iſta Relgioſorum Congregatio, ſi ab ea genitrix omnium virtutum abeſſet, & adeſſet eius loco radix omnium vitiorum?

Paupertatis Societas nō immemor.

Huius rei neſcij eſſe Ieſuitæ non poſſunt; quippe qui hæc talia memoriâ tenent è ſuis *Regulis;* creberrimè audiunt in ſuis triclinijs; quotidie conſiderant in ſuis *meditationibus;* frequentiſsimè in libellis Aſceticis; iterum iterumq; reuoluunt in annuis *Exercitijs, Votorúmq; Renouationibus.* Quare aut falsò eis hanc notam auaritiæ impingit Aduerſarius, aut neceſſe eſt, omnes Ieſuitas in robuſtiſsimam dementiam incidiſſe, quod nemo facilè credet. Quid enim ſtolidius, quid abſurdius cogitari poſſet, quám ſi poſt tam multas, tam deliberatas, tam accuratas conſiderationes, etiam religione voti firmatas, adhuc

huc perituris opibus inhiarent, quas olim, cum in Societatem adlegerentur, generoſiſsimo contemptu, ob Chriſti amorem deſeruerunt? ſi ſuis humeris ſarcinam ponderoſiſsimam denuò imponerent, quam antehac, ceu ſibi non ferendam, maximo cum tripudio abiecerunt? ſi aceruandis & cumulandis ijs rebus maximo ſtudio ſe dederent, quibus ſciunt, ſe nec frui aliquando poſſe, nec vti? Cùm enim ſocietatis legibus ſancitum ſit, vt in ſingula temporis momenta, omnes ſint parati ad iter quaquauerſum: etiam in remotiſsimas Orbis partes capeſſendum, quamprimum illuc ire iuſſerint maiores, nec concedatur cuiquam, vt ſibi aut viæ impenſas pro arbitrio ſumat, aut rem vnius teruntij è domo, in qua priùs habitauit, ſecum aſportet, cur obſecro; quiſquam illorum de condendis in theſauros gazis, & obtinendis latifundijs, de quorum retentione nec horulam ſibi poteſt polliceri, vellet eſſe magnopere anxius & ſolicitus? Sed & illud, vti par eſt, perpendatur, quòd per votum caſtitatis effecti ſint omni cura alendæ vxoris & liberorum prorſus immunes atq; liberi; quod eſt maximum adiumentum ad auaritiam profligandam. Quàm enim acriter ea ſolicitudo, quæ ex initi connubij, thalamiq; neceſsitudine oritur, homines ad diuitiarum aucupium ſtimulet, ad ſectandas opes accendat,

Eius ſeruandæ plurima in Societate adiumenta & argumenta.

non ſolùm quotidiana experientia docet, ſed & Apoſtolus faſſus eſt, quando 2. Corinth. 12. v. 14. dixit, *non filios parentibus, ſed parentes debere filijs theſaurizare.*

Studia litteraria auaritiæ inimica.

Quid iam de ſtudijs litterarijs dicã, quibus pleriq; de Societate ſunt diu noctúq; addicti? quæ ſtudia vt affluentiam rerum nullam deſiderant, ſic tantũ temporis ſibi vendicant, tamq; calidè animum hominis occupant, vt ignobilem illam ſolicitudinem de aceruis auri & argenti neutiquam ferant, ſed ocyùs è pectore excutiant & expellant. *Si enim vis vacare animo* (inquit Seneca Epiſt. 31.) *aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura.*

Confeſſio aduerſarij.

Adde confeſsionem ipſius Grammatici, qui pag. 56. *Arcanorum* ait, *ſocietatem habere multos viros ſine omni malitia, non paucos etiam cùm doctrina, tum virtute minimè vulgari praditos*: & in Ant-anatomia Soc. pag. 3. *corruptelam Societatis non niſi ad paucos pertinere: magnum aliorum numerum ſibi in virtutis amore ac ſtudio conſtare.* & pag. 99. *Bonos ac innocentes in Societate multo plurimos inueniri.* Quæ ſi vera ſunt, nonne iterum ſuo gladio cæditur aduerſarius? Tot enim boni viri, tam multi innocentes, tantus numerus ſibi conſtantium in virtutis amore, nequaquam id patienter ferrent, ſi paupertatis frena tàm liberè laxarentur; ſi vota Deo nuncupata tam

ſacri-

ſacrilegè violarentur; ſi murus, ſi ſepes, ſi propugnaculum ac præſidium ſocietatis firmiſsimum tam apertè deijceretur; ſi deniq; matris iugulum tam nefariè peteretur: ad ictum enim tam crudelem etiam muti alioqui filij Societatis fierent ſolutiſsimâ linguâ vocales; *clamarent non ceſſarent*; peterent à S. Apoſtolica ſede opem, poſcerent medelam, & ferro præcidi tam noxiam gangrænam, flagitarent, priuſquam omnes totius corporis articulos depaſcatur. Non enim eſt fidæ manus quieſcere, quando cor ſtricto gladio petitur; neq; boni ciuis Silium & Tacitum agere, quando cernit hoſtem in mœnibus eſſe, & exitium inminere ciuitati.

Deniq; ſyllogiſmo rem concludo. Auarus non eſt, qui occaſionis amplas & multiplices ſine ſcelere diteſcendi habet; eas tamē ſponte ſua negligit & omittit. At Societas habet eiuſmodi occaſiones amplas, & multiplices, quas ſponte negligit & omittit. Ergo auaritiâ non laborat. *Maior* omnium confeſsione eſt vera. Qui enim eſt immodicæ opulentiæ cupiditate correptus, nihil inauſum, nihil intentatum relinquit, vt poſsit potiri voto ſuo. Syllogiſmus.

Minorem præclarè demonſtrant Adamus Conzen in libello de ſecretis Soc. IESV à pag. 121.

Exempli gratia. 1. Societas eſt Ordo Clericorum ad *ſalutem proximi* directò inſtitu- Occaſiones com-

 tus.

parandi pecunias in Societate, quas vltrò negligit.

tus. Quid igitur prohibet, quin aliqui Societatis Patres in ſingulis prouincijs ſuſcipiant nonnullarum opulentiorum parochiarum curam? præſertim, quando id Epiſcopi, vt non raro factum, cupidè petunt. An non poſſent ea ratione largiter egentioribus ſubuenire Collegijs? Et tamen Societas hoc non facit. 2. Si Societas in templis ſuis admitteret *fundationes funerales*, *altaria* pro *Fraternitatibus*, ſtatas *Miſſas* in ſolatium viuorum, & auxilium mortuorum, quemadmodum in multis Eccleſijs *Collegiatis* & Monaſterijs fieri ſolet, nonne plurimum, & quidem perleui negotio poſſet augere rem ſuam? Quod enim Collegium eſt tam paruum, in quo non quotidie minimùm ſex miſſæ celebrentur? In quibuſdam etiam ôcto? in alijs decem, viginti, 30. & plures? Quàm facilè ergo eſſet, aliqua ex ijs ſacrificia ad eum finem dirigere, vt piorum *fundationibus* fieret ſatis? Et tamen hoc non facit Societas. 3. Potuiſſemus habere in templis noſtris gazophylacia, qualia alibi paſsim cernuntur, ad colligendas *oblationes* piorum, & eleemoſynas; ex quibus rurſus non contemnendum nobis obueniret ſubſidium; & tamen omittit Societas. 4. Potuiſſent Collegia Societatis eodem jure gaudere, quo gaudent aliorum Ordinum monaſteria in hæreditatibus ſuorum adeundis; quo tamen vltrò ſe abdicant. Hæreditas enim profeſſo mona-

monaſterij delata, jure monaſterio cedit; nec licet monacho, pro arbitrio ſuo aliò transferre. Societas autem nullam hæreditatem tanquam ſibi jure debitam petit, ſed relinquit ſingulis poteſtatem liberam ſuum patrimonium vel in obuios quoſque pauperes, vel in pios vſus, vel in agnatos egeſtate preſſos diſtribuendi; Si aliquid Collegio Societatis tranſcribant, eleemoſynam agnoſcit, ad quam tamen à Superioribus nec cogi poſſunt, nec vrgeri. 5. Quid de re libraria, & typographica, quid de ſcholis Ieſuitarum dicam? Ex quibus ingentium emolumentorum lucra poſſet conficere Societas, & non facit, vt itidem oſtendit Adamus Conzen eodem libello.

Dices, oſtenſum quidem eſſe firmis rationibus, Ieſuitas non omnes hoc crimine, quod eis imponitur, eſſe fœdatos: Rectores tamen & Procuratores temporalium rerum in Collegijs non tam facilè abſolui; qui pro augendis annuis fructibus ſæpè plus laborent, quam paupertas religioſa ſinat: idque tum vt lautiùs inde viuatur, tum vt firmiùs & ſtabiliùs poſteritati prouideatur. Reſp. Lautas epulas in Societate me nunquam vidiſſe apponi: quin poſſem ſanctè teſtari, me in Collegijs ſæpiùs receſsiſſe à menſa famelicum, quàm ſaturum. nec difficile probatu eſt, quoſdam, qui è Societate dimiſsionem petiuerunt, inter alias cauſas, etiam hanc at- Refellitur obiectum.

tuliſſe, quod tam frugali menſa contenti viuere nequirent. Stabilire verò prouentibus neceſſarijs Collegia in eum finem, vt poſsint conſtanter bono publico in erudienda juuentute, alijſque charitatis officijs proximo ſeruire, non vituperationem meretur, ſed laudem; dummodo de cætero in leges iuſtitiæ, aut charitatis non peccetur.

Si fortè factum eſt, vt vel Rectorum, vel Procuratorum aliquis, religioſæ paupertatis immemor, metas Conſtitutionum noſtrarum tranſilierit, nolite credere, O boni, ab alijs Ieſuitis id probari. Qui vehementer cupiunt, vt, ſi qui reperiuntur eius generis, juſtas violatæ paupertatis pœnas perſoluant: quod & ego inflammatiſsimo animo deſidero; nec dubito, quin ſupremis Societatis moderatoribus eadem cura, idemque ſtudium ſit, vt ad capitalia hæc errata non conniueant.

Hoſpitalij conſilium. Sed vlterius progrediamur cum Hoſpitalio noſtro. *Auaritia* (inquit) *excludenda modus tribus mihi videtur partibus contineri.* 1. *Si Domus probationis omnes tollantur, tanquam contra D. Ignatij mentem, præterque Societatis Leges inſtituta, ac Nouitij eodem prorſus modo educentur, quo apud religioſas familias cæteras ſolent, quemque ipſi Ieſuitæ à D. Ignatio traditum, benè diu ſeruauerunt.* 2. *Vt qui Ieſuitarum* pag. 218. *profeſsi ſunt, in Domibus profeſsis, non in Gymnaſijs, aut ſcholarum Collegijs viuant, neque eorum*

reditus

reditus conſumant, ſed paupertatem, quam voue-runt, bona fide colant, & ex ſtipe oſtiatim corro-gata victitent. 3. Vt Collegia certis & ſtatis vecti-galibus contenta ſint, & eleemoſynas nec petere à quoquam, nec accipere audeant, ita vt ſi v. g. ci-uitas quapiam quinquaginta Ieſuitarum ope-ram habeat neceſſariam, in ſingula capita octo-ginta floreni vel aurei ſtati, ac perpetui reditus ſtatuantur; in bibliothecam trecenti, totidem in ſacram ſuppellectilem; certa item ſumma in va-letudinarium, in ſarta tecta ædium, quæq; alia res poſcet, vt omnino ſibi ac neceſſitatibus ſuis ab-unde prouiſum, nec de vlla re ad victum, cultum, & tectum, tum etiam ad operam docendæ iuuen-tutis, & ſaluti animarum nauandam neceſſaria ſibi laborandum fore intelligant. Si quorum Col-legiorum maiora ſint vectigalia, ea ſiue ad alen-dos pueros litterarum ſtudioſos, quibus neceſſaria non ſuppetunt, ſiue ad ſcholas in alijs ciuitatibus inſtituendas, Epiſcoporum (non autem P. Genera-lis Præpoſiti) auctoritate conuerti poſſunt.

Ad 1. dico, *Domos probationis* nullo modo contra D. Ignatij mentem eſſe inſtitutas, vti in Ant-anatomia ſect. 7. n. 37. & 38. ex c. 1. §. 4. *Examinis Generalis* Societatis; & parte 1. Conſtitut. c. 4 n. 5. item ex Bulla Pij IV. Pon-tif. clariſsimè docui: & euidentiſsimè tradi-tur in 1. p. Hiſtoriæ Societatis lib. 14. n. 79 his verbis. *Mittebat Deus per id tempus*, (hoc eſt, anno 1554.) *tam multos, támq; idoneos ad Socie-tatem viros è Salmanticenſi Complutenſiq; præ-*

ſertim Academijs, vt ad eos propriè ac ſeparatim inſtituendos Probationis condenda Domus, quæ ad eam diem nulla in ea Prouincia fuerat, videretur. Et alioqui B. Pater. Nataliſq; decreuerant, vt ſingulis in Prouincijs, quantum fieri poſſet, ſua eſſent domicilia ad periclitandos tyrones, ac diligenter erudiendos: cum ipſo eſſet vſu compertum, magna proficiſci incommoda, ſi Nouitij præproperè in lucem ac puluerem proferrentur; ac demùm neceſſe eſſe in proprios Societatis mores ac leges, quæ iam publicabantur, nouellam ſobolem conformari, vt vnum vbiq; aptè cohærens, cōpactúmque, & quaſi coloris eiuſdem adoleſceret corpus. Impulit ergo Deus honeſtum è Curia virum, Ioannem Moſcheram è Valliſoleti Rectoribus vnum, Hiſpaniæ proceribus notum, quiq; ad id tempus Societatis hominibus ſic abhorrebat, vt eorum vbique declinaret aſpectum, vſque eo, vt ipſo die Antonij Patauini, cui Valliſoletani Collegij ſacra Ædes erat, cum ibi plena propoſita eſſet in indulgentia, & Borgia concionaretur, & ipſe ante fores præteriret, pedē inferre ea ſolùm de cauſa noluerit, ne quem ſociorum conſpiceret. Hunc igitur Deus impulit, vt vix ſeptimo poſt die commutata ſubitò voluntate, domum, quam Septimancæ cum hortis habebat, ſex paſſuum millibus ab vrbe Valliſoleto Societati donaret. Qua de re cum per litteras Borgiam vt illuc accederet, & ædes illas inſpiceret, monuiſſet, acceſſit hic, & ſedem illam ad Nouitiorum receſſum & inſtitutionem propè factam animaduertit. Ioannes igitur aduocata coniu-

coniuge, de eius conſenſu voluntatéque domum tradidit ad inſtituendum Collegium: quanquam ſtatim, vt in probationis Domum commutaretur probauit, & ſe vectigal quoque attributuros annuum ambo recepêre. Atque hæc geſta ſunt adhuc viuente, ſciente, & conſentiente S. Ignatio; ideo falſiſsimum eſt, eius menti huiuſcemodi ſeparatas Domos probationis aduerſari. Sed & aliorum Ordinum Inſtitutis ac Regulis eſſe conſentaneam talem Nouitiorum in peculiari, & ab alijs remota Domo ſimul habitantium educationem, ſolidè demonſtrauit Franc. Suarez. Tomo 4. de Relig. lib. 2. de Ingreſſu in Societatem c. 5. n. 12.

Ad 2. prolixè quoque reſponſum eſt in *Mantiſſa* ſect. 2. c. 3. vt non ſit opus verbulum addere.

Ad 3. Aio plurima reperiri Collegia in omnibus Prouincijs, quæ tantum annui vectigalis in ſingula capita, bibliothecam, ſarta tecta ædium, valetudinarium &c. quantum deſignat Aduerſarius, nequaquam habent. Et ſi iſta illis neceſſaria ſunt, vt ſuo munere quiete fungi poſsint, ipſómet Iudice adhuc cauſæ ſuperſunt, quæ Ieſuitas excuſent, ſi plura petant. Deinde annon inhumanus atque inhoſpitalis eſt noſter *Hoſpitalius*, qui Ieſuitis etiam facultatem mendicandi (alioqui jure *Naturæ & Gentium* omnibus egenis conceſſam) vult adimere? Licet enim Ieſuitæ ſinguli, in aliquo Collegio ha- Hoſpitalius nimis inhoſpitalis eſt.

berent in victum octoginta florenos, & alia quæ commemorat Aduerſarius, fieri tamen ob crebram mutabilitatem temporum bellorúmque inopinatos euentus poteſt, vt octoginta florenis tolerare vitam nō poſsint; an tunc fame moriendum eſt ijs, qui quotidie pro bono publico ſudant & algent?

Plurima alia obiecta ab Hoſpitalio, quæ dudum ſunt refutata.

Ex his videas quam inepta ſint, quæ à pag. 223. vſque ad pag. 235. Hoſpitalius diſſerit: Nituntur enim partim falſo iſto fundamento de auaritia Ieſuitarum; partim alijs calumnijs, iam dudum veritatis pede contritis & conculcatis, vti teſtantur Apologiæ plurimæ pro Societate ſcriptæ à Iacobo Gretſero, Adamo Conzen, & alijs, quibus adde Anti-Melandrum, Ant-anatomiam, & Mantiſſam. Quamdiu ergo Aduerſarius ad iſta omnia tacet, tamdiu vlteriore reſponſo eſt indignus.

Atque idem dico de Ambitione, cuius Societatem inſimulat, à pag. 236. vſque ad pag 253. Nihil tot paginis illis affert, quod non iam ſæpiùs profligauerimus. Nam quæ pagi. 237. de Academia Carolina Pragenſi habet, refutauimus ſupra c.5. ad ea verò quæ pag. 238. de ſæcularitate, & Aulicismo Ieſuitarum, repetit ex Induſtrijs R.P. Claudij Aquauiuæ in Anti-Melandro part. 3. c. 2. obiect. 2. num. 78. & ſeqq. & in Mantiſſa ſect. 2. c. 3. circa finem reſpondimus. Similiter & ea quibus pag. 243. & 244. modum gubernandi

monar-

monarchicum in Societate oppugnat, & in Ariſtocraticum aliqua ratione mutare conatur, in Mantiſſa ſect. 2. §. 2. refutata inuenies. Reliqua denique quæ Societati exprobrat, plus authoritatis non habent, quam Marianæ liber, ex quo pleraq; ſunt deſumpta. Quid autem de illo mendaci, & à Sede Apoſtolica vetito libro ſentiendum ſit, ex dictis liquet.

Caput octauum.

DELICIARVM IESVITICARVM SPECIMINA.

PEſsimas has merces, quas in Libello *Arcanorum* à pag. 254. vſq; adg. 334. de Ieſuitarum delicijs &c. in medium protulit Aduerſarius, iam antè quoq; venum expoſuit in Anatomia Societatis; quas adulterinas & falſas eſſe, in Ant-anatomia ſect. 9. & 10. oſtendi. Quare neq; his nugis iteratò refellendis immorandum. Tantummodo Lectorem hîc moneo, Ieſuitis, iuſtiſsimas cauſas eſſe, cur Scenicis actionibus, in quas plenis maledictorum velis inuehitur Grammaticus, iuuentutem nonnunquam exerceant. Quid eſt oratio ſine actione aliud, quam corpus ſine anima? Ideo Cicero ait in 3. de Oratore, *Actio in dicendo vna dominatur, Sine*

hac

hac ſummus Orator eſſe in numero nullo poteſt; mediocris hac inſtructus ſummos ſæpè ſuperauit. Quoties ſententiæ quantumuis acutæ hominum non acutorum ſenſus ſine fructu præteruolant? at actio ad animi motus ciendos apud omnes eſt potens. Igitur nullo modo omittenda eſt huius rei cũra in Gymnaſijs; quæ adeò cordi Ciceroni fuit, vt Actionis rectè addiſcendæ causâ Roſcio Comædo præceptore vſus fuerit. Nec minori ſtudio in hoc genere ſe exercuit Demonſthenes, qui non ſolum ad grande ſpeculum ſolitus eſt ſuos geſtus explorare, ſed etiam Satyrum Hiſtrionem magiſtrum ad eas artes adhibere non dubitauit. Qua exercitatione & Cicero & Demoſthenes tantum gratiæ in dicendo eſt conſecutus, vt iſte Græcæ, ille Latinæ facũndiæ parens diceretur. Quis ergo Ieſuitis vitio vertat, ſi aduigilent, ne tam nobilis, & fructuoſa litterarij ſtudij pars ab adoleſcentibus negligatur? Commodiſſimè autem per ſcenicas actiones diſcunt conſociare geſtus vocibus, & commotione vultus ac manuum verbis vim atq; efficaciam ad intima cordis penetrantem imprimere, adeò, vt nihil ſuadeant, quod non perſuadeant; quo in genere mirificè excelluit antiquitas. De qua plura Quintilianus lib. II. c. 3. Quid, quod multj ex litterarum ſtudioſis cùm non ſint opulentiſsimi, alienæ liberalitatis indigi, quando in theatro partes ſuas

Macrob. lib. 3. Satur. c. 14.

Actionũ Scenicarum vtilitas.

ſuas egregie agunt, ſuúmq́ ingenium & geſtus compoſitos populo inſigniter probant, ſæpenumerò à diuitibus & viris nobilibus ſumptum, quo vitam deinceps tolerent, hac ratione etiam non rogantes impetrant, quorum exempla plurima poſſent commemorari: nonnunquam etiam id conſequuntur, vt in pædagogos pro nobilium aut Comitum filijs adlegantur, & ſic ſtudia ſua vſq́ ad finem proſequj poſſint: ſed & memoriæ exercendæ, ac corroborandæ occaſionem mirificam habent in theatro; dum non ſolùm vnus ſæpe quingentos aut ſexcentos verſus ediſcit, ſed etiam propemodum omnes alias perſonas memoriæ mandat: quippe quas toties dum exercerentur, audiuit. Augetur inſuper non parùm prudentia, dum ea ratione juuenibus inſtillatur, quid vnumquemq́ ſiue agere deceat, ſiue loqui. Quæ omnia qui ſine ſiniſtro affectu perpenderit, non modò ob ſcenicas actiones non reprehendet Societatem, ſed etiam quam maximè commendabit.

Caput nonum.

TESTIMONIA DE SOCIETATE IESV.

ADducit deniq́ *Arcanorum* ſcriptor teſtimonia quædam de Societate & eius

Funda-

Fundatore ex libris Valderamæ Dezæ, & Rebulloſæ; quos authores nunquam vidi, neq; illorum copiam habere potui. Proinde an verba eorum ex fide recitet, vehementer dubito, cùm in alijs toties fallax fuerit, & aliena verba doloſè corruperit. Scopus autem Aduerſarij non fuit alius, quàm irriſionem audientium ac legentium commouere.

Verum irrideat albis dentibus Societatem, & eius Fundatorem hæreticorum more quantum libuerit; nobis patientia pro ſcuto erit, & pro gladio oratio ad DEVM; Vtinã tu Grammatice nõ ſis inter illos, quibus prou. 1. Sapientia graues minas intentauit: *Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit.*

Quia verò delectatur teſtimonijs de Societate, velificabor illius cupiditati, & in vicem illorum, quæ ipſe adduxit, alia nonnulla ſubſtituam.

Teſtimonium cuiuſdam Carthuſiani.

Fr. Gerhardus Hammontanus Prior CarthuſiæColonienſis hæc habet in Epiſtolâ *dedicatoria* ad electum Archiepiſcopum Colonienſem Ioannem Gebhardum, quam præfixit Opuſculis inſignioribus Dionyſij Carthuſiani, edit. Colon. anno. 1559. *Atqui Tua Celſitudo maxima iam percepit* DEI *dona, quæ ſi indies augeantur, crede mihi, ſempiternam*

nam tui ad poſteros omnes memoriam tranſmittes. Verum ne C. Tua diuina ſe putet ope deſtitutam, ecce commodùm T. C. copias auxiliares miſit DEVS, *hominum certè pietate atq; eruditione præſtantium, qui vocantur de Societate Nominis* IESV. *Nouit eos T. C. ſiquidem fructus, quos ij Coloniæ, Socijq; eorum in Indiarum terris remotiſſimis, & regnis ampliſſimis, hactenus noſtro Orbi incognitis, multis quoq; Europæ locis incredibiles faciunt, adeo ſunt teſtati & illuſtres, vt qui eis caliginem ſuo mendacio offundere velit, ipſum ſe potiùs dehoneſtet. Parum à Clericis habitu diſcrepant, ſed multùm diſcrepant profeſſione. Inſtitutum eorum huc maximè ſpectat, vt iuuentutem in ſcholis, & populum in Concionibus publicis & priuatis confeſſionibus, omnéſq; illos, qui ſe eorum diſciplinæ tradunt, in omni pietate, quàm optimè inſtituant. Ipſe Imperator noſter Clementiſſimus in ſuis Ditionibus multos tales alit, & ſua Maieſtate dignis fouet beneficijs: quod etiam T. C. cæpit liberaliter imitari, vt tantis laboribus pares eſſe queant viribus corporis. Non deſunt, qui eis detrahant, ſed eo nomine Chriſtianis omnibus debent eſſe gratiores. Non docent vt noſtri Euangelici, ventrem pro* DEO *colere, otium ſectari, voluptati ac vanitati huius miſeræ vitæ eſſe deditos, ſed carnem cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere, quorum pijs & honeſtis ſtudijs nunquam dubitamus C. T. defuturam.*

Dominicus Graſſina Ord. S. Dominici in Voce Turturis cap. 30. ſic ſcribit. *Ad*

Teſtimonium 2. Dominici Grauinæ Dominica. 1.

Ad nouiſſimos Vineæ Chriſti Domini cultores Patres Venerabiles Societatis IESV *meritò nuncupatos (dicente Ambroſio ſerm.* 47. *conſortium meretur nominis; qui conſortium meretur & operis) intuendos deſcende. Vitis illa abundans, illico occurret, de qua dici poteſt, quod ſcripſit Oſeas. ibunt rami eius, & quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Abundans certè vitis non in lateribus domus* DEI *plantata occurrit S. Ignatius Loyola, quam cum cœleſtis agricola ab actibus huius ſeculi prepurgaſſet, conuertens militis lanceas in falces, & gladios in vomeres ad arandum gentilium pectora pro euangelij diſſeminatione, adeo creuit in filijs ſuis, vt iam extenderit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. Mittuntur ſiquidem rami eius (miſſionis enim quarto voto deuinciri ſolent, qui ſolemnem profeſſionem emittunt) & ad Indos, ad Lydios, ad Lybiam, Æthiopiam, aliáſque remotiſſimas regiones, ad Inſulas longè, quæ de* DEO *non audierunt; alacriter properantes, tanquã cooperatores terram humani cordis, concionibus, confeſſionibus, lectionibus, catechiſmo excolunt, & cœleſti prædicationis imbre, & rore irrigantes, fecundant, & folijs, floribus, fructibus, hoc eſt doctrina, verbo, & exemplo inuidos ramos tanta vitis ſatis oſtendunt. Pendent è ramis botri, Martyres illuſtres, nec deeſt, dicam cum Cypriano, autumno, ad munera fungenda temporis gratia ſpiritualis, vindemia foris premitur, & profutura poculis in torculari-*

Ep. 16. ad Moyſem & Maxim.

cularibus vua calcatur. Innumeri enim huius vineæ alumni, partim Sacerdotes, partim Laici à Gentilibus, aut Hæreticis, expreſſi, vinum martyrij meraciſſimum, in cellam vinariam ſponſi inferentes recenſentur, à ſocietatis huius teneris incunabulis, vſq; ad præſentia tempora, qui lauerunt in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum, gloriosè pro Chriſto occumbentes. Hi ſunt Antonius Criminalis Protomartyr Societatis, Conſaluus Sylueira, Petrus Martinez, Io: Baptiſta Secura, Ignatius Azeuedo cum trignita alijs ſocijs, Franciſcus Caſtrius cum vndecim, Edmundus Campianus, Rodulphus Aquauiua cum quatuor ſocijs, Iacobus Salerius, Guilielmus Saltomachius, Martinus Laterna, Iacobus Ghiſai cum duobus ſocijs; alij quoq; (vt Gualterus ait) ex hac ſocietate non pauci, qui hoc eodem ſæculo per tyrannicam hoſtium Eccleſiæ vim, in cœlum euolarunt. Et nuper in Regno Iaponiæ, vt ex litteris authenticis à P. Priore Prouinciali ordinis Prædicatorum apparet, cum Patribus S. Dominici, Franciſci, Auguſtini, eadem fidei confeſſione conteſſerati, multi quoq; venerabiles Patres Societatis gloriosè occubuerunt. Vos ergo dicam cum Cypriano de Domini vinea, pingues racemi, & iam maturis fructibus botri, preſſura ſæcularis infeſtatione calcati, Eccleſiam decoraſtis. Vini vice ſanguinem funditis, ad paſſionis tolerantiam fortes, martyrij poculum libenter hauſiſtis.

Pendent hinc quoq; Confeſſorum germina arboris frondoſæ ſuccum haurientia, quibus ea-

Ex Hiſt. Societ. & litteris annuis.

Gualterus Chronic. pag. 750.

Apud Reuerendiſsimum noſtrum Fr. Ioan: Lopez Ep. Monop. lib. 3. c. 52. Hiſt. S. Dominici & nouiſsimis alijs Relat. Philipp.

dem S. Ignatij arbor, tanquam ornamento veſtitur. Aſpice germen illud, filium, & Socium S. Patriarchæ S. Franciſcum Xauerium, germen ſublime, & glorioſum, virum, plane Apoſtolicum, ex chariſmatibus Apoſtolis communicatis, prophetia, linguarum genere, miraculorum dono, ſtipitem reddens clariorem (gloria ſiquidem patris filius ſapiens) qui ſi nil aliud in horreum Dominicum incluſiſſet, quam trecenta hominum millia ex infidelitate conuerſa (vt ſcribit Bozius) lib. 6. de ſignis 63. *ſatis ſupérq; cumulata merita & refertiſsima præmia ex ſola prædicatione reportaſſet. At in omnibus virtutum actibus heroicis cùm iugiter ſe exercuerit, eadem menſura remetitum eſt illi: menſuram ſiquidem bonam, confertam, coagmentatam, coagitatam, ſupereffluentem dedit Altiſsimus in ſinum ſuum; iuxta menſuram meritorum eius, quæ iuxta menſurã donationis Chriſti metienda docuit Apoſtolus.*

Poſt S. Franciſcum occurrent tibi Beatus Aloyſius Gonzaga, B. ſtaniſlaus, B. Franciſcus Borgia eximiæ ſanctitatis viri, orbi notiſsimi, qui Beatornm albo iam ſunt adſcripti ab Apoſtolico Throno.

Famigeratiſsimi ſunt primi huius vineæ cum S. Ignatio cultores, Lainius, Rodericus, Codurius, Iaius, Broëtus, Faber, Bobadilla, Salmeron. Emicant cum his Antonius Araozius S. Ignatij propinquus, Antonius Corduba, qui oblatum ſibi cardinalatus honorem, ſocietati ſe addicens

cens recuſauit: & Iacobus Hozius, cuius anima à S. Ignatio inter cælicolas viſa eſt aggregari.

Noſtris quoque temporibus cum ſanctitatis opinione, deceſſit Pater Bernardinus Realinus, cuius vita, & ſigna ad beatificationis, aut canonizationis effectum examinata ſunt, ſimiliter Pater Bernardus Colnaga, vir doctiſſimus, qui pluribus annis ſacram Theologiam interpretatus eſt, & Doctoris Angelici Thomæ Aquinatis doctrinæ ſtudioſiſſimus, eius fuit Hyperaſpiſtes. Pietate verò, & religione mirâ effulſit: erga alias Religiones, præſertim SS. Dominici & Franciſci adeò erat affectus, vt ſolo habitu ab illis diſcerni videretur; ſemper chronicis, & monumentis harum ſacrarum Religionum exempla, & documenta in concionando proferebat ad populos inflammandos, vt vbertim flendo puriſſima pectora emolliret, & ad pœnitentiam prouocaret, magno animarum fructu.

Quis verò recenſeat Guzmannos, Padillas, multóſq; alios Dinaſtarum, & innumerabilium illuſtrium virorum filios, calcatis mundi illecebris, nudum Chriſtum ſequentes, in altiſſima paupertate ditiſſimos, & virentibus meritorum folijs vitem protoparentis eorum exornantes, & quis multitudinem eorum, qui cum perfectionis, aut ſanctitatis opinione obierunt, recenſere valeat? Pergo & eundem S. Ignatium vt oliuam contemplor, dicere enim poteſt, ego quaſi oliua fructifera in domo DEI. vnde quaſi oliua erit gloria eius. An non oliua fructifera S. Ignatius, cuius

fructum quinq; ſibi ſapientes Virgines, vt verbũ vtar Hieronymi, parauerunt, ex quo vulnerum mitigatur tumor, languentis membra requieſcunt, in tenebris lumen accenditur, vnguntur in agone certantes? ad hoc enim S. Ignatij, & filiorum tendit inſtitutum, vt ex confeſsionibus medela, ex prædicatione ſplendor, ex diſputationibus & congreſsibus cum Hæreticis victoria reportetur. Ad oliuam ſpectat, ad alendam iuuentutem ſcholarum, collegiorum & ſeminariorum erectio, vt diuiniſsimum omnium diuiniſsimorum ſit litteris, & educationi adoloſcentum, & ſaluti animarũ cooperari. Sed quæ DEI facultas? audi. DEI facultas ſub figuli typo deſcribitur: venit enim ſaluare, quod perierat, & conuertens rotam Euangelium præſignantem, quod fractum erat, in priſtinam reduxit formam. Sed ſi, referente Plinio lib. 35. c. 12. Numa Rex Collegium figulorum inſtituit, Ignatius ſpiritualium figulorum Collegia erexit, ad peccatores, qui dicunt, Facti ſumus ſicut vas perditum, reparandos. Ad quos conuerſionis munus, & tenella iuuentutis rectam educationem, omnem curam, induſtriam, laborem dirigunt. Horum figura in veteri teſtamento præceſsit, nam de Ioſaphat legitur, quòd tertio anno regni ſui miſit de principibus ſuis Benhail & Obdiam, & Zachariam, & Nathanaël, Micheam, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas Semeiam, & Nathaniam & Zabadiam, Phaſael quoque & Semiramoth, & Ionatham, Adoniámq; & Tobiam, & Thobadoniam, Leuitas,

2. Paralip. c. 17.

tas, & cum eis Eliſama & Ioram ſacerdotes, docebántq; populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atq; erudiebant populum. Non eſt cur illud obijciatur Iſaiæ 33. Vbi eſt litteratus, vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum? paßim enim tibi occurrent doctißimi Theologi, Scholaſtici, Scripturarum Interpretes, vt ſi curioſitatem explere cupias Scriptorum Societatis, in promptu habeas Ribadeneiram de Scriptoribus Societatis. Præter hos ſunt etiam inferiorum artium Magiſtri, & paruulorum doctores, propter eum, qui ſapientiã præſtat paruulis, & paruulus pro nobis factus eſt, ad rudimenta prima edocenda ſe demittentes. Gloriam Libani in S. Ignatio pariter intueor, propter odoramenta bonæ famæ, & exemplorum, quibus ſuauißimè fragrant tanti parentis ſectatores. Sed ex alio titulo in eo gloriam Libani aſpicio, nam etſi ex inſtituto dignitates eccleſiaſticas accipere recuſent, nihilominus Apoſtolica Sede iubente, eaſdem ex obedientia acceptant. Duos viros inſignes diebus noſtris vidimus in S. R. E. Collegio cooptatos, Franciſcum Toletum (quem eius olim præceptor F. Dominicus Soto prodigium ſolebat appellare) alterum Robertum Bellarminum, Fidei athletam robuſtißimum, olim Capuæ Archiepiſcopum, vt meritò nouum Antoninum in ſubleuandis pauperibus, in vita perfectione Baſilium, in confutandis Hæreticis Irenæum, à diuina prouidentia deſtinatum dixeris. Plures galero inſignitos vidiſſet parentum noſtrorum ætas, ſi

2. p. hiſt. Ieſuit. li. 2. p. 133.

Beatus Borgia, Antonius Corduba, Lainus, & alij de ſe humiliter ſentientes, modeſtè non reluctaſſent. Epiſcopos & Patriarchas multos quoque legimus, non tam ad honores delectos, quàm ad onera Vineæ Domini in Indorum cultura conſecratos, qui forma facti gregi nouo, opus DEI mirificè promouerunt.

Sed & mons Libanus aurea mala, citrea alióſq; fructus & plantas producit, ex quibus ſuauiſſimus euaporat odor, vnde in Cant. 4 Sponſa ſic commendatur. Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris, nardus, crocus, fiſtula, cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani. Nec diſſimiliter ob virtutum fragantiam eadem deſcribitur odorem ſpirans. Pſ. 44. Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo. Domus eburnea palatia eburnea, ait Iſidorus lib 15 & ampla tecta dentium ora ſunt & lingua Catechiſtarum, & Concianatorum, è quibus tanquam è Chriſti Regis noſtri inſtrumentis prodeunt, cum doctrina, honeſtarum actionum exempla, ſuauem exhalantia odorem; quæ paſſim cùm in huius ſancti inſtituti concionatoribus, catechiſtis, & alijs operarijs inſpicias, dicas neceſſe eſt. Gloria Libani data eſt S. Parenti Ignatio. O vitem abundantem: ô fructiferam oliuam, ô Libanum omni amœnitate refertum, ô nouiſſimos operarios in Vineam Domini conductos à patre familias, qui non imparem in Eccleſia laborem pertulerunt, quàm priores agricolæ portantes pondus diei, & æſtus.

De-

Deerat tertius collabentis mundi ſuſtentator, & de duobus, prouiſum erat Dominico & Franciſco, qui manus diuinas tres in orbem ſagittas iacientes (ſic viſione, cùm ordines Prædicatorum, & Minorum inſtituendi erant, diuinitus oſtenſum eſt,) reſtringeret. tertius ſupererat ad tertiam ſagittam reparandam. En S. Ignatius, & ſic DEVS *Dominicum & Franciſcum, tanquam ſagittas electas deſtinauit, vt ſagittarent corda inimicorum Regis, è diuina pharetra ſagitta tertia emittitur, Eſaiæ vaticinium completur. Mittam ex eis, qui ſaluati ſunt ad gentes in mare in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad Inſulas longè, ad eos, qui non audierunt de me. Vnde hos tres ordines iiſdem penè inſtitutis Dominus voluit colligari, vt vberem meſſem reportarent, non tantum faces Iſraël conuertendo, ſed ſalutem Domini, & lucem gentibus adducendo, vſq; ad extremos terræ, Antipodes conuertendo, occidentales & orientales Indos luſtrando; vt vere impletum ſit de his præcipuè tribus ordinibus, quod dicit Eſai. c. 11. & volabunt in humeros Philiſthijm, per mare ſimul prædabuntur filios Orientis. Liceat vaticinum Viri Apoſtolici S. Vincentij Ferrerij coronidis loco ſanctæ Societati adaptare. Tria ait S. iſte, ſunt nobis ſingulariter, & quaſi aſſiduè meditanda. Primum Chriſtus crucifixus, incarnatus. Secundum ſtatus Apoſtolorum, & Fratrum præteritorum noſtri ordinis, & hoc cum deſiderio, vt illis conformemur. Tertium ſtatus virorum euangelicorum*

cap. 66.

In libello de vita ſpirituali.

rum futurus, & hoc debes die, noctúq; meditari, ſcilicet ſtatum pauperrimorum, ſimpliciſſimorum, humilium, & abiectorum charitate ardentiſſima ſibi coniunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec ſoporantium, niſi ſolum IESVM Chriſtum, & hunc crucifixum, nec de hoc mundo curantium, ſuiq; oblitorum, ſupernam DEI, *& Beatorum gloriam contemplantium, & ad eam medullitus ſuſpirantiũ, & ad inſtar Pauli dicentium; Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto; & innumerabiles, ac inaſtimabiles theſauros diuitiarum cæleſtium, & ſuper dulces, & melliſluos riuos diuitiarum, ſuauitatum, ac iucunditatum, & ſuper omnia mirabiliter expanſos, & ſuper infuſos, & per conuerſationes imaginari debes eos ipſos, vt cantantes canticum Angelicum cum iubilo cithariz antium in citharis cordis ſui; hac imaginatio ducet & plus quàm credi poteſt, in quoddam impatiens deſiderium aduentus illorum tempore. Hac ille, qui omnium ordinum, & inter eos florentis vinea Societatis Apoſtolicorum virorum ſaluti animarum inſiſtentium œconomiam, fragrantiam, ſpiritu Prophetico viſus eſt (vt dicunt aliqui). deſcribere, Scio (vt dicit Orlandinus) de hoc oraculo magnam extitiſſe controuerſiam, an de viris huius inclita Societatis intelligendum eſſet, & Patres ipſos rogatos, qua erant modeſtia non ſibi illud attribuiſſe, verùm, vt ponderat idem Pater Orlandinus. Electorum eſt proprium, vt dicit Greg. de ſe ipſis ſemper infra ſentire, quàm ſunt, & ſubdit Orlandinus. Vtinam*

Orland. lib.2.n.56. Viegas in Apocalyp. in c.3. ſectio 3. mir. c. 17.

talis

talis euadat poſteritas omnis, vt in eam vſquequaque ſancti viri prædicta conueniant. quam perſeuerantiam in illis, & nobis ab eo qui dat velle, & perficere precamur obnixè, vt ſublimitas ſit virtutis DEI, & qui gloriatur in Domino glorietur.

Hæc Dominicus Grauina; cuius teſtimonium eò libentiùs adduxi, quò magis Aduerſarius noſter in opuſculo 3. Arcanorum, ſub nomine Auguſtini Ardinghelli Societati inſultauit per eiuſdem Grauinæ librum, cui titulus eſt, *Congeminata Vox Turturis*; de quo ſupra egi in cap. 3. Certè ſi Grauina ſiniſtro affectu motus, alibi his contraria ſcripſit, ipſe viderit, quomodo ſe ab Antilogia velit liberare. Hîc ſole clarius eſt, ab illo eam laudem Societati tribui, qua & Turturi ſilentium imponere, & Arcanorum ſcriptori poſsis ruborem incutere.

Negat Arcanorum ſcriptor Societatem eſſe ſapienter & rectè inſtitutam. ideo in eius gubernatione, aliiſque plurima mutanda cenſet, opuſculo 7. Danielis Hoſpitalij; Grauina verò maxima prædicatione effert, & S. Ignatium, & illius inſtitutum. Quid Grauina ſentiat de Societate.

Negat ille Societati paupertatem religioſam curæ eſſe. Iſte dicit in Societate *multos Dynaſtarum, & innumerabilium Illuſtrium virorum filios, calcatis mundi illecebris nudũ Chriſtum ſequi in altiſſima paupertate.*

Ille negat in Societate reperiri poſſe viros

 perte-

perfectionis ſtudioſos. Iſte aſſeueranter dicit in eadem *magnam fuiſſe multitudinem eorum, qui cum perfectionis aut ſanctitatis opinione obierunt.*

Ille negat labores Collegiorum & Seminariorum Societatis tanti eſſe, vt cum monachorum contemplatione ſint vllo modo conferendi. Iſte diſertiſsimè dicit, *educationi adoleſcentum, & ſaluti animarum cooperari, quod in Collegijs & Seminarijs fit, eſſe diuiniſſimum omnium diuiniſſimorum.*

Ille negat in Societate viros doctos reperiri. Iſte ait, *paſſim in ea occurrere doctiſſimos Theologos Scholaſticos, Scripturarum interpretes.*

Ille negat Societatem in bona fama eſſe. Iſte ait, *ſe gloriam Libani in S. Ignatio intueri, propter odoramenta bonæ famæ, & exemplorum, quibus fragrant tanti parentis ſectatores. Exempla enim ſuauem odorem exhalantia paſſim in huius S. Inſtituti Concionatoribus, Catechiſtis, & alijs operarijs inſpici.*

Ille Robertum Bellarminum inter eos collocat, quibus *impias nefarias, ſcandaloſas & peſtiferas ſententias* adſcribit. Iſte Bellarminum ait *fuiſſe nouum Antoninum in ſubleuandis pauperibus, in vita perfectione Baſilium, in confutandis hæreticis Irenæum.*

Neque ſolùm hoc loco laudatorem Societatis agit Grauina, ſed in ipſa *Voce Congeminata Turturis*, vi veritatis conuictus multa di-

ta dicit, quæ Grammatico noſtro, eiúſque in Societatem iniurioſis accuſationibus è diametro aduerſantur.

Nam pag. 346. ait *Societas Ieſu nullo pacto mollis eſt & delicata.*

pag. 514. *Laudes euanidas Societas aſpernatur.*

pag. 347. *ſpes eſt de Societate grandis, quod in feruore perſeueratura.*

pag. 473. *Optimè prouidit Societas, ne in doctrinis nouitates inſurgant.*

Teſtimonium 3. Epiſcopi Aduerſans.

In Appendice verò Congeminatæ Vocis, pag. 50. vbi Societatē impenſioribus verbis laudat, hæc addit: *Fructus quoque vberes, quos inclyta protulit Societas* IESV, *in Germania ſuperfluum eſt enumerare. Dignis elogijs meritò ab Epiſcopo Auerſano in Germania Reſtaurata celebratur. quod ſit ſtabilimen Catholicæ religionis, Magiſtra morum, hæreſum Vindex, vitiorum expultrix, præceptrix virtutis, iuuentutis nutrix. Eodem ſpiritus vinculo cum cæteris Ordinibus colligata, quod diſſoluere Herebus (per Vindiciani fraudes) & abrumpere conatus eſt, ſed non eſt conſilium contra Dominum.*

Hæc ex Grauina, quæ non protuliſſem, niſi importunitate aduerſarij compulſus fuiſſem qui eiuſdem Grauinæ auctoritate Societatem depreſſum it & conculcatum.

Teſtimonium 4.

Accedit huc aliud publicum teſtimoniū, quod è S. Nortbertj familia vir religioſus & pius R. P. Martinus Merz, Scriptor Vitæ cuiuſdam

VVil-

Nortbertini. VVilhelmi Rothenſis edit. Antuerp. anno. 1627. Societati dedit. Dedicata autem eſt ea Vita tribus Prælatis illius Ordinis, Caſparo à Queſtenberg Pragenſi, Ioachimo Rothenſi Viſitatoribus, & Seruatio, de Lairuelz Reformatorj & Vicario generali: Verba illius hæc ſunt lib. 2. c. 1. *Poſt abſolutum Philoſophiæ ſtudium, & delibatum Theologiæ florilegium, auocatus è celeberrimo illo Dilingano Muſarum Emporio in monaſterium Roth appulit Fr. Ioannes Feeg. Is Dilingâ diſcedens à præclaro illo Religioſorum & monaſteriorum fautore ac promotore, viro cumprimis pio ac docto, P. Iulio Priſcianenſi, Collegij S. Hieronymi ibidem Rectore, inter reliqua, quæ mutuo communicauerant, in mandatis accepit, vt quandóquidem ſciret, videretque, quo loco adhuc res cœnobij ſui verſarentur, quomodo proprietatis monſtrum innumera damna ac miſeras clades daret, ageret ipſe ſuas partes, nec quidquam ad eliminandum malum à ſe deſiderari pateretur, &c. & addidit,* vt ſermonibus de 4. nouiſsimis vteretur ad reformandos, & abſterrendos à peccatis, quod Rothum apulſus vt fecit, VVilhelmum recens profeſſum conuertit in alium hominem, & ex inſtructione Dilingæ hauſta illum iuuit. Deinde in cap. 7. inſignis VVilhelmi Sanctitas tribuitur potiſsimùm exercitio *Examinis particularis*, quod ille ex Legibus Congregationis Dilingæ cœpit, ac didicit. Vnde manifeſtum, tam illius Fratris Ioannis

Feeg,

Feeg, (qui fuit Magiſter VVilhelmi) probitatem, quàm Sanctimoniam diſcipuli VVilhelmi, ſecundum Deum, Patri Iulio, vtriúſque *ſpirituali Patri*, ac Societati in Dilingano Collegio Religioſos ad omnem pietatem diligentiſsimè erudienti, eſſe adſcribendam; præſertim cum ipſemet Vitæ illius ſcriptor diſertim fateatur, per id temporis cœnobiũ Rothenſe nondum fuiſſe *reformatum*, ideóque Beatum fratrem à monaſterij eiuſdem hominibus grauia paſſum cap. 17. In capite *6.* lib. 2. dicitur P. Iulius Priſcianenſis *Vir integra Vita, praclara doctrina, laudabilis & ſancta conuerſationis, antiquum & diuturnum Dilingana Academia ornamentum.* & lib. 3. c. 10. fol. 90. hæc habentur: *R. P. Iulius Priſcianenſis Collegij S. Hieronymi in Dilingana Academia quondam Rector digniſsimus, Corycæus & Princeps fautor monaſteriorum ac omnium religioſorum parens.*

Rurſus in libro 2. c. 3. poſtquam ingentia mala auctor recenſuit, quæ Chriſtianam Rempublicam, & nonnullos etiam Religioſos Ordines quondam occupaſſent, ſubdidit hæc verba. *Ei malo ex diuina ſapientia largitate remedium datum nobiliſsima & celeberrima illa Societas IESV; qua quot Collegijs conſtitutis in orbem diffuſa fuit, tot veluti lucidiſsimis doctrina & ſapientia luminibus mundum vniuerſum illuminauit, tenebráſque illas Cymmerias ei offuſas laudabiliter diſpulit, &c.* Poſtea ſubiungit: Martinum Erman fuiſſe primum,

qui

qui ad inſcitiæ malum *à ſuo cœnobio auertendum, iuuenes religioſos ad Dilinganam miſerit Academiam, vt inde doctrina & pietate inſtructi, velut ex equo Troiano ad ſubruendos antiqua Babylonis, & noua Hieruſalem extruendos muros prodirent. Quod nequaquam eum fefellit. quantum enim attulerit momenti, teſtatur HODIE vigens ac florens ad antiquam Nortbertina diſciplina normam ſapienter inducta feliciterq́ continuata, fulta, & aucta reformatio.* Hæc ſcriptor ille Nortbertinus.

I nunc Grammatice, & dic Societatem nihil operæ attuliſſe ad Religioſos Ordines in florentem ſtatum reſtituendos. I nunc, & dic eam teſtimonijs melioris notæ carere. I nunc, & pronuntia de Societate, quidquid tibi læua mens & accenſus furor ſuggerit: Non poteſt tibi vllam fidem habere, niſi qui lubens volens vult decipi fraudibus & circumduci: neque dubito, quin aliquando futurum ſit, vt illos ſtrenuè ſuæ credulitatis pœniteat, quicunque in tuas partes nimium prono aſſenſu conceſſerunt: quamquam vix metuendum amplius puto, ne tot, támque immania mendacia, & maledicta apud vllum bonum virum ſint poſt hanc admonitionem meam locum repertura; præſertim ſi quis conſiderauerit tam varias figuras & formas, quibus indutus Orbi illudere voluiſti, non alia de cauſa, niſi vt validè

lidè vniuerſis nocére poſſes. Si enim vir honeſtus es, ſi veritatis partes tueris, ſi Dei & Eccleſiæ cauſam agis, ſi bonas litteras promouere cupis, ſi Religioſorum Ordinum incolumitatem deſideras, quid eſt opus, tot laruas induere; tot peregrina nomina ementiri: debuiſſes genuinum vultum apertâmque frontem oſtendere, ac pro veritate, pro honeſtate, pro virtute, pro religione, pro Eccleſia, pro Deo ſententiam tuam imperterrito ore edicere: Hoc quamdiu non facis, ſed cuniculis tantummodo rem geris, confictis nominibus pro clypeo, mendacibus libellis pro gladio, famoſis ac vetitis chartis pro telo vteris, vniuerſa te Germania fallacem, fraudulentúmq; calumniatorem, & alieni honoris fœdiſsimum depeculatorem cantabit, omniúmq; digiti loquentur; quandoquidem neque coram certo iudice, neque viâ & modo à *Iure* conceſſo, neque per teſtes idoneos, neque expreſſo vero tuo, aut Typographi ac Loci nomine hanc Actionem inſtituiſti; quod Pontificiæ Cæſariæque Leges vetant.

Interim gaudeat cum Apoſtolis Societas, *quoniam digna habita eſt pro Nomine* IESV *contumeliam pati: neq; à verbis illius* calumniatoris *trepidet cor eius.* eſt enim hæc communis ſors Sanctorum vt *omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto* IESV, *preſecutionem patiantur.* 2. Timoth. 3.

Faciet Deus cum tentatione prouentum, vt poſſimus 1. Corinth. 10.

ſimus ſuſtinere; cognoſcentes nos, habere meliorem & manentem ſubſtantiã; modò igitur non amittamus confidentiã noſtram, magnã habebimus in cœlo remunerationem ab eo, qui fidelis eſt erga omnes, qui teſtimonio fidei probati inueniuntur in Chriſto IESV *Domino noſtro.*

Animaduerſiones in Aſtrologiam Eccleſiaſticam Gaſparis Scioppij.

Ad Lectorem.

MAgna profectò admiratione affectus fui, quando Gaſparis Scioppij *Eccleſiaſticam Aſtrologiam*, peruolutaui. Quocunq; enim in ea oculos animũmq; conuerti, illic reperi certiſsima clariſsimáq; argumenta, ex quibus Auctor priorum famoſorum in Ieſuitas librorum, velut ex lucidiſſimo ſpeculo, eluxit. Admirationis autem cauſa non fuit, quòd nouum mihi videretur à Scioppio contra Societatem arma ſuſcipi; hoc namq; dudum ille ſe facturum ſolitus eſt palam gloriarj: ſed quòd non puduerit ipſum, illa eadem, quæ in *Actione perduellionis*, *Anatomia Societatis*, *Conſultatione Fr. Iuniperi*, *alijsq;* id genus criminatricibus chartis, per omnes Europæ prouincias diſſeminata fuerunt, etiam in *Aſtrologia* ſua *Eccleſiaſtica* ita repetere, vt detractâ caſside, iam apertè oſtenderit, ſe eſſe illum virũ qui omni-

Scioppius inſenſum erga Ieſuitas animum dudũ apertè præ ſe tulit.

omnium Ieſuitarum capita vnico ictu, ſi poſsit, demetere cupiat & amputare. Ad quod facinus eum Superos habiturum propitios ac volentes, nequaquam puto. Societas, enim Dei opus eſt, quod vnius hominis operâ & machinatione non tam facilè diſſoluetur. Interea non exiguum rationis defectum, & grande vulnus capitis ſui demonſtrauit Scioppius. Si enim abſtinuiſſet manum ab hac Aſtrologia, fortè laborandum fuiſſet, vt omnibus perſuaderetur, illum eſſe earum calumniarum fabrum, quæ in tot peſtilentibus libellis iam à quadriennio ſunt per typos euulgatæ. Nunc autem poſtquam nimis perſpicuè ſeipſum, nudato vultu, conſpiciendum dedit, ferè omnia, quæ antea aduerſus Societatem prodierunt, denuò iiſdem propè verbis atque ſententijs in medium produxit, idémque muſtum, toties de cupa in cupã, de libro in libros tranſfuſum, deníque in hanc Aſtrologiam velut in vltimum dolium ſumma diligentia corriuauit, profectò vi quadam potentiſsima coëgit vniuerſos credere, Scioppium eſſe eum, qui optimo maximo iure dici poſsit omnium iſtorum contumelioſorum voluminum ſcriptor & author. Equidem miſeret me illius, qui apud ſe iram & odium tantum valere paſſus eſt, vt humani diuiníque iuris oblitus, funeſtum veritati atque innocentiæ bellum indicere, & quidquid gloriæ

Scioppius ſui ipſius proditor.

X tot

tot retrò annis ſibi peperit, voluerit cum ignominioſiſsimis nominibus commutare.

Ego breuiter cum illo rem tranſigam, & leniter: neque vtar ea orationis acerbitate, qua ipſe pluſquã Turcicè Ieſuitas perſtringit. Vt amicum non ita pridem ſingulariter colui, ſincerè amaui, & non exiguis beneficijs affeci. Quando autem ipſe in vniuerſam Societatem tam inimica, tamq; iniqua tela iecit, & Ieſuitas, velut *Templarios*, ſimul omnes funditùs extirpatos & occiſos voluit, an exiſtimare aliud potui, quàm omnem mihi quoque renunciatam ab eodem amicitiam, neq; etiam inter illos eſſe, quos tanto conatu perditum it, & extinctum? Itaq; non mirabitur, ſi eo defenſionis iure vtar, quòd natura vnicuíque conceſsit. Amicus Plato, amicus Ariſtoteles: ſed magis amica veritas. mendax ſit oportet, qui dicit, ſe velle manui parcere, quando vult cor effodere, & caput amputare.

Scioppius mihi amicitiam prior renunciauit, à me nunquam læſus.

Animaduerſio prima.

PAg. 3. *Teſtatur Scioppius, ſe Romanæ Eccleſiæ fidem non modo verbis & Scriptis, ſed impenſa quoq; ſanguinis ſui confirmare, ſicut adhuc locorum fuit, ſimiliter porro fore paratum.* Hanc teſtificationem falſam eſſe, oſtenditur. 1. Quia Scioppius in *Actione perduellionis* in *Ieſuitas*, & in *Flagello Ieſuitico* (vbi ſe *Philoxenum Melandrum* appellauit) palàm Proteſtantium

An Scioppius Romanæ Eccleſiæ ſit verè addictus.

tium ac Lutheranorum fidem profeſſus eſt, quæ à Romanâ eſt alieniſsima. 2. Idem Scioppius in *Myſterijs Patrum Soc. Ieſu*, Sanctorum miracula, auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, Immunitatem Eccleſiaſticam, Inſtitutum Religioſi Ordinis ab Eccleſia approbati, Satyricè irridet, & ſceleratè cauillatur, quod nemo Catholicorum facit. 3. Etiam in *Ieſuita exenterato* pluſquam dici poteſt, Eccleſiæ Romanæ capitalem hoſtem apertè ſe demonſtrat. 4. Idem factitat in *Colloquio* inter Paulum V. Pontificem, Regem Hiſpaniarum, & Ferdinandum Archiducem, quod Anno 1608. concepit, & anno 1632. (ex quo apparet, quanta inueteratio ſit huius hoſtis) typis diuulgauit. 5. In *Anatomia Societatis*, in *Conſultatione Fr. Iuniperi*, in *Arcanis Societatis*, & in hac ipſa *Aſtrologia Eccleſiaſtica* reperiuntur complura, quæ non ſunt Catholicæ fidei conſentanea, vt partim *Aut anatomia*, & eius *Mantiſſa* planum facit; partim iſtæ *Animaduerſiones* docebũt. Vana eſt igitur Scioppij gloriatio de Catholica fide.

Animaduerſio ſecunda.

EAdem paginâ teſtatur Scioppius, *ſe dictum ac ſcriptum nolle, ſi quid in ſuis ſcriptis inueniatur, quod vel cum ſacris litteris, vel cum Sacrorum Conciliorum, aut Romanæ Eccleſiæ decretis, vel cum eo, quod SS. Patres conſenſu docuerunt, minùs conſpiret.* An hoc verum ſit, & non

An Scioppius verè nolit dictum, aut ſcriptum, ſi

quid contra SS. Litteras aut Concilia docuit?

non ſimulatum, vel inde pronum eſt conijcere. 1. Quòd Scioppius hanc Aſtrologiam Eccleſiaſticam voluit *ſine licentia Superiorum Eccleſiaſticorum*, & abſque vlla *approbatione* legitima typographico prelo ſubijci, & in publicum emitti, ſecùs, quàm jubeant ſeueriſsima Decreta Concilij Lateranenſis Seſſ. 10. & Tridentini, Seſſ. 4. quæ ipſe ignorare nullo modo poteſt. 2. Quòd tot libros famoſos, cuiuſmodi ab Eccleſia Catholica quoque prohibentur, abſque ſuo proprio, & ſine typographi, & loci nomine, in lucem dedit, aduerſus religioſum, atque ab Eccleſia Catholica approbatum Ordinem: & necdum finem facit eiuſmodi flagitioſa ſcripta cudendi & euulgandi. 3. Quòd ſacris litteris paſsim non ſolum in hac Aſtrologia, ſed & in alijs libris, ad calumnias & mendacia ſua ſtabilienda turpiter abutitur; itidem contra ſeſsionem 4. Concilij Tridentini. 4. Quòd plurimos nouos, & à Sanctorum PP. interpretatione abhorrentes *Scripturarum Sacrarum* ſenſus partim ipſe in medium ſæpiſsimè profert, partim alios ad eaſdem *profanas nouitates*, quas Apoſtolus 1. Timoth. 6. *deuitare* juſsit, inuitat. 5. Quod Inſtitutum Societatis, à tot Pontificibus, atque ab ipſo Oecumenico Concilio Tridentino approbatum, hoſtiliter impugnat. Si ergo Scioppius hac in re tam Sacrorum voluminum, quàm Conciliorum atque Romanorum Pontificum

cum authoritatem ita contemptim conterere, atque pro nihilo ducere non dubitauit, an verebitur aliquam Fidei doctrinam tradere, quæ ſacris litteris, Concilijs generalibus, & SS. Patribus aduerſatur?

Animaduerſio tertia.

EAdem rurſus pag. 3. *Ius ſuum ſibi ſaluum eſſe poſtulat, quod ei Apoſtolica ſententia impertitur.* Rom. 15. *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Et 1. Theſſal. 5. *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere &c.* Et 1. Corinth. 14. *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent &c. Non enim meruiſſe ſibi* (Scioppius) *videtur, cur quiſquam ei priuilegium irrogatum velit, & à iure omnibus communi eum arceat, quin quod Eccleſiæ ac Reip. conducibile eſſe partim diurna nocturnáque per multos annos ſacrarum litterarum lectione, partim longa rerum experientia, partim magno Pontificum, Regum, Principum, magnatum vſu comperit, id veteri more ſuo, liberè ac conſtanter proferat &c.*

Scioppius ius calumniandi, & ſacras litteras malè interpretandi, ſibi ſaluum eſſe poſtulat.

Sed errat Scioppius 1. Quia principio ſtatim cap. 15 epiſtolæ ad Romanos falsò in teſtimonium adducit; cùm ſententia illa Paulina, *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, illo capite non legatur, quod ipſe ſcire debuiſſet, qui de *diurna nocturnáque* ſacrarum litterarum lectione tantopere gloriatur.

2. Nihil prorſus faciunt iſtæ Apoſtoli ſententiæ pro Scioppio. *Abundet enim quiſque in*

ſuo ſenſu, & prophetet is, cui reuelatum fuerit à Sancto Spiritu; Quid tum? an ideo S. Pauli mens eſt, licitum eſſe, mentiri, criminari, Conciliorum & Summorum Pontificum Decreta flocci facere, turbas excitare, & offendicula ponere infirmis? Neutiquam: & tamen hæc omnia facit Scioppius in ſua Aſtrologia: quibus ſatis demonſtrat, ſe non eſſe ex eo prophetarum numero, qui à Spiritu S. afflati *ad ædificationem* loquuntur in Eccleſia, de quibus Apoſtolus agit ad Corinthios, & Theſſalonicenſes; ſed potiùs ex eorum genere, qui per catachreſin *propheta* dicuntur, & à malo ſpiritu impulſi & agitati, delira & inſana proferunt, vt Saul 1. Reg. 18. *Inuaſit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio Domus ſuæ*, hoc eſt, *delirabat & inſolentia loquebatur*, interprete Cornelio de Lapide cit. cap. 14. ad Corinthios.

Scioppius non eſt ex vero genere prophetarum, qui ſeipsũ prophetam facit.

3. Etiam imperitiam ſuam orbi patefacit, dum putat, *Ius omnibus commune eſſe*, talia ſcribendi, & in publicum ſpargendi, qualia ipſe in hac Aſtrologia ſcripſit, & nec examinata ab ijs, quorum intereſt, nec probata publicauit. Ius enim ſacras litteras ex proprij capitis ſenſu interpretandi, Ordinum Religioſorum ab Eccleſia approbatorum nomina & Inſtituta ad ſuam cenſuram vocandi, atque etiam impugnandi, Epiſcopos de grauiſsimis criminibus palàm inſimulandi, (qui ex præcipuis Scioppij laboribus eſt in hac Aſtrolo-

S. Paulus Scioppio non fecit poteſtatẽ

ſtrologia) neque à S. Paulo, neque ab vllo alio eſt omnibus conceſſum; imo nec Scioppio quidem; quem Canonica Iura (cùm Ipſe non niſi Laicus ſit) in 2. parte Decreti, cauſa 2. q. 7. expreſsè vetant accuſare Clericos; tantùm abeſt, vt ipſi liceat in Epiſcopos, quod eodem loco adhuc ſeueriùs interdicitur, tam effreni calamo debacchari. infami libello Epiſcopos criminandi.

Animaduerſio quarta.

POena *excommunicationis latæ ſententiæ, eo ipſo, abſq; alia declaratione, incurrendæ*, ſancita eſt à Greg. XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*, in omnes eos, qui Regulas, Conſtitutiones, & Inſtitutum Societatis toties à Sede Apoſtolica approbatum & confirmatum, quomodocunque impugnant.

Verba Bullæ ſic habent. *Vt contradicentium audacia coerceatur, præmiſſas omnes, & quaſuis alias illis ſimiles aſſertiones contra dictæ Societatis inſtitutum, vel quomodolibet in illius præiudicium pronunciatas, aut ſcriptas, falſas omnino, & temerarias eſſe & cenſeri debere. Præcipimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia ſecularia, & quorumuis Ordinum regularia, eo ipſo, abſq; alia declaratione incurrendis, quarum abſolutionem nobis & ſucceſſoribus noſtris reſeruamus, ne quis, cuiuſcunq; ſtatus, gradus & præ-*

eminentia exiſtat, dicta Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, vel etiam præſentes, aut quemuis earum, vel ſupradictorum omnium articulum; vel aliud quid ſupradicta concernens, quouis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore directè vel indirectè impugnare vel eis contradicere audeat, diſtrictius inhibentes, ne quis ſiue extra, ſiue intra dictam Societatem, niſi de illius Generalis, aut inferiorum Præpoſitorum licentia notationes, declarationes, gloſſas, vel scholia vlla ſuper præmiſſis facere, vel ea, niſi quantum verba ipſa ſonant, interpretari, aut de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquam iniįcere, vel in cõtrouerſiam aut dubium reuocare audeat quoquo modo: nec gloſſas aut interpretationes, ſiue impreſſas, ſeu ſcriptas ad id pertinentes legere, docere, alijsq; tradere, vendere, vel apud ſe retinere præſumat &c. Sicq; in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcunq; Iudices & Commiſſarios, etiam cauſarum palatij Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Cardinales, in quauis cauſa & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate iudicare & definiri debere &c. Mandantes vniuerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis Epiſcopis, & cæteris Eccleſiarum & locorum etiam Regularium Præpoſitis per vniuerſum orbem conſtitutis, vt præſentes litteras in ſuis quiſq; Eccleſijs, Prouincijs, ciuitatibus, Diœceſibus & iuris dictionibus ab omnibus inuiolatè obſeruari; quin etiam Præpoſitum ac perſonas Socieeta-

cietatis huiuſmodi defendant eóſq; præmiſſis omnibus & ſingulis pacificè frui faciant & gaudere: non permittentes ipſos per quoſcunq; quomodolibet moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: inuocato etiã ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Ita Pontifex.

Hoc autem à Scioppio factum eſſe, clariſſimis documentis oſtendo. Nam (vt de illius famoſis & propudioſis libellis, quibus aut confiсta, aut omnino nulla nomina præfixit, nihil dicam) in hac ipſa Aſtrologia Eccleſiaſtica non vno tantum loco conatus eſt Societatis Inſtitutum à fundo propemodum euertere: cuius obiecta ferè ſunt iſta 1. Quòd poſt paupertatis ſimplex votum Ieſuitæ aliquandiu retineant in actu. 1. ius proprietatis, ſeu dominij in ſua bona temporalia. 2. Quòd Societas non tota ſit contemplatiua. 3. Quòd non cantet in choro. 4. Quod non amplectatur tantã auſteritatem vitæ, quantam nonnulli alij. 5. Quod hoſpitalitatem non exerceat, vt Benedictini. De his omnibus ordine agemus.

§. I.

De voto ſimplici pauperratis in Societate.

OMnes ergo (inquit Scioppius Cap. 5. pag. 18.) *Veri teſtes Chriſti, debent Voluntariam paupertatem bona fide colere, nec aſtutè aliquid ſibi retinere, quod ſit à Clericis* (NB. nomine *Clericorum* aut *regularium* intelligit Societatem in hoc libro) *cùm paupertatem quidem Vouent, ſed adhuc lucrifaciendi & parta retinendi ſaluum ius habentes, ſi nimirum ſui eos præſides quacunq; ex cauſa emancipent, & à catu ſuo manu emittant:* & cap. 11. pag. 42. *qui in paupertatis Voto minimè ſimpliciter agunt, ſed ambulant in aſtutia, fucúmque hominibus faciunt, dum Vel ius opes parandi & poſſidendi ſaluū ſibi retinent, Vel cum præſidum ſuorum Venia ſtatis ac perpetuis catus ſui Vectigalibus per aliquos triginta aut quadraginta annos ſaginantur.* quibus verbis manifeſtè ſugillat, & iniquæ fraudis accuſat Conſtitutionem S. Ignatij, quâ in cap. 4. Examinis, §. 2. & 5. parte 3. c. 1. §. 7. littera F. & parte. 4. cap. 4. littera E. & parte. 6. c. 2. littera H. ad tempus relinquitur ſocijs poſt nuncupata ſimplicia vota, ante *profeſſionem* ius atque dominium in bona ſua temporalia, quamuis abſque vſu, quemadmodum declarant Pontifices, præſertim Greg. XIII. in Bulla, *Quanto fructuoſius.*

Qui tantum vota ſimplicia in Societate emiſerunt, retinēt dominium in ſua bona, non autem vſum.

ſius, pag 220. &, *Aſcendente Domino*, pag. 233. vbi hæc habentur. *Et licet, qui ad gradus Profeſſorum & Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum ſuorum ius atq; dominium, tum alias ob iuſtas cauſas, tum etiam vt maiorem Societas habeat libertatem illos, ſi opus fuerit, cum minori offenſione dimittendi, ad tempus, Generalis Præpoſiti iudicio præſcribendum, valeant retinere, vt in pauperes tandem, ſeu alios vſus pro ipſorum deuotione diſtribuant, iuxta Euangelicũ cõſilium, ac promiſsionem, quam initio Nouitiatus faciunt: interim tamen quantum ad illorum vſum, religioſam paupertatem ſeruant, nec vlla re tanquam propria, & ſine Superiorũ facultate vti poſſunt.* Hanc inquam, paupertatem vocat Scioppius dicta pagina *fraudulentam, qua vouenda Ananiæ & Saphiræ exemplo (*Ieſuitæ*) defraudent, ac Spiri. ui S. mentiantur*, *Actor.* 5. *duplici corde ad* Devm *accedentes; & cor plenum dolo & fallacia habentes. Eccleſ.* 1. Similia repetit pag. 42. Anon hæc eſt aperta Conſtitutionum Societatis impugnatio; annon eſt ipſius S. Sedis Apoſtolicæ, quæ hanc paupertatem approbauit, perſpicua, & temeritatis ac impietatis plena contemptio? Quid enim hoc eſt aliud, quàm dicere, à Sede Apoſtolica approbari ſacrilegia? & fallacias ac dolos pro re ſanctiſsima haberi?

Quàm grauiter autem alucinetur Scioppius, dum putat per *votum ſimplex paupertatis*, Scholaſticos in Societate priuari prorſus omni Confutatur Scioppij error

omni

à Franciſco Suarez Tom. 4. de Religione.

omni iure *proprietatis* ac *dominij* quod habuerunt in bona ſua, diſcere poteſt ex ijs quæ Franc. Suarez Tomo. 4. de Relig. lib. 4. c. 6. copiosè diſſerit: quæ breuitatis cauſa omitto.

Teſtimonio Ananiæ & Saphiræ impiè abutitur Scioppius.

Confirmat quoque ineptiſsimè Scioppius errorem ſuum ex facto Ananiæ & Saphiræ (Actor. 5.) qui non tantùm *proprietatem* ac *dominium* precij ex agro vendito comparati, ſed & *vſum* illius omnimodis DEO per votum conſecrarant, poſtea tamen clàm ſibi retinuerunt, vt ex ſuo, non autem ex Apoſtolorum arbitrio id expenſuri; quod nequaquam faciunt, qui per votum ſimplex paupertatis in Societate ſe Numini obligant. Votum enim illud alia ratione non fit quàm ex mente Societatis, vt in formula ſolita exprimitur per illa verba: *omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis Conſtitutiones*; cùm ergo Conſtitutiones non velint, vt per tale votum quis amittat confeſtim ipſum rerum *dominium*, ſed tantum *vſum*, modò paratus ſit etiam ad *dominium* relinquendum, quamprimum juſſerit Superior: (quæ omnia ſine vlla fraude, ſine fallacia, ſine dolo, ſine Dei iniuria fieri, Sedes Apoſtolica in tot Bullis declarauit) nemo non videt quantum diſcriminis inter paupertatem Societatis, & nequitiam Ananiæ ac Saphiræ interſit, quàquam iniquè iſta ab Aduerſario æquiparentur. Ex quo vlteriùs cernere eſt, quàm flagitiosè

tioſè Scioppius Scripturas ſacras interpretetur & tractet, quibus ad ſuas calumnias fulciendas, decipiendóſq; imperitos tam impiè abutitur.

§. II.

An Societas debeat eſſe merè, ſeu tota contemplatiua.

SECVNDO Paſsim magna contentione virium conatur Scioppius omnes inducere, vt vili Societatem pendant, ſibíque fortiter perſuadeant, eam *ex vi Regulæ ſuæ*, non idoneis vti medijs, ſeu inſtrumentis ad ſuum finem conſequendum. Hoc autem eſt non ſolùm ipſas Conſtitutiones de Eunomiæ defectu, ac vitio Nomotheſiæ accuſare, (quemadmodum apertè facit Aduerſarius in Anatomia Societ.is Tab.11. pag.17. vbi *S. Ignatium minùs eruditionis & prudentiæ ad Regulam condendam attuliſſe* ait.) Sed etiam ſummos Pontifices erroris grauiſsimi, ac falſitatis manifeſtæ arguere, qui talem viuendi rationem in Societate laudarunt, & valde opportunam ad promouendam animarum ſalutem iudicarunt, vt inferiùs oſtendemus.

Scioppius vult, Societatem debere eſſe totam, ſeu merè contemplatiuã.

Eiuſdem ſcomma in S Ignatium.

Magnopere verò in Inſtituto carpit, quòd Ieſuitarum *vita non TOTA ſit contemplationi dicata*, ſed *merè Actiua*, (vt ille ait, ſeu *Actuoſa*; & *circa frequens miniſterium verbi & Sacramentorum, ac circa munus docendi in Eccle-*

ſijs

ijs & Scholis occupata: tales autem non habere charitatem tam perfectam, vt habent contemplatiui, adeóq; nec tantam proximos iuuandi voluntatem. Ita ſcribit c. 12. pag 44. quibus poſt pauca addit pag. 45. ex S. Thoma q. 181. art. 1. ad 3. *Quando aliquis vtitur his, quæ ſunt vitæ actiuæ, ſolùm prout diſponunt ad Contemplationem, comprehenduntur ſub vita contemplatiua. Cui conſequens eſt,* (inquit Scioppius) *vt eius vita merè ſit Actiua, qui contemplatiuæ vitæ exercitijs vtitur, prout diſponunt, ad actionem: id eſt, qui multum legit, meditatur & orat, vt alios in templo, aut Schola docere poßit. Sophiſtæ ergo ſunt, fucúmq; hominibus faciunt, qui vitam ſuam ex actione & contemplatione mixtam adeóq; perfectiorem eſſe gloriantur; cùm tamen finis eorum præcipuus ſit Actio, & ſalutis alienæ procuratio, cuius cauſa legunt, meditantur & orant. Itaq; non modò perfectiores non ſunt, ſed nec infimum perfectionis gradum tenent.*

Error Scioppij. Hæc Scioppius; qui pueriliter errat, dum exiſtimat, illam vitam eſſe magis idoneam ad promouendam ſalutem proximi, quæ eſt *tota contemplationi dicata*, quam quæ etiam actioni. Quomodo enim fieri poteſt, vt is, qui *ex vi ſuæ vocationis*, ab omni operatione externa erga proximum in perpetuum ſe abſtrahit & in ſolitudinem ſecretam abdit, (hoc eſt enim merè *contemplantium; Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Oſeæ 2.) nihilominus meliùs, & rectiùs *operetur ſalu-*

lutem proximi, quàm is, qui præter neceſſariam contemplationem omnia ea agit quæ ad hũc finem obtinendum non ſolùm ab Apoſtolis fieri voluit DEI filius, ſed & ipſe maxima, vt ſic dixerim, *operoſitate* fecit?

De qua re S Thomam Aquinatẽ audiamus. 3.p.q.40. a.1. ad 2. vbi dubitationem illã eximit, an *Chriſtus debuerit in Carne mortali perfectiſſimam vitam ducere; cùm perfectiſſima vita ſit contemplatiua?* Reſpondet, *Vita contemplatiua ſimpliciter eſt melior, quàm actiua, quæ occupatur circa corporales actus. Sed vita actiua, ſecundùm quam aliquis prædicando & docendo contemplata alijs tradit, eſt perfectior, quàm vita, quæ ſolùm contemplatur: quia talis vita præſupponit abundantiam contemplationis; Et ideo Chriſtus talem vitam elegit.* vbi manifeſtum eſt S. Thomam præferre quidem vitam merè contemplatiuã, vitę merè actiuę, non tamen mixtæ: neq; ambigere vllus prudens poteſt, quin Chriſti & Apoſtolorum vita ad animarum ſalutem fuerit accommodatiſsima; & tamen ſi quis diceret, eorũ *totam vitam* fuiſſe *contemplationi deputatam,* ſeu merè *cõtemplatiuam,* ac nullo modo *actiuã*, manifeſtæ reus eſſet falſitatis. Ad *actiuam* enim vitam, non ad *contemplatiuam* pertinebant plurima, quæ Chriſtus & Apoſtoli, familiariter cum hominibus agendo, geſſerunt.

S. Thomæ iudicium contra Scioppium.

Ignoſce Scioppi dicenti liberè, quod ſentio. Cæcutis pluſquam talpa, ſi non vides, quàm

Abſurdũ Scioppij iudiciũ.

quàm abſonum ſit à ratione, dicere eum, qui totam vitam contemplationi addixit, hoc eſt, qui ſegregatus à publico, tantum diuina meditans, & orans in loco abdito delitescit, neq; cum quoquam hominum agit, *per ſe loq.* plus nihilominus præſtare in procuranda ſalute proximorum, quàm illum, qui poſtquam contemplationi, quantum opus erat, diligenter vacauit, magna quoq; induſtriâ & ſolicitudine iam hîc iam illic laborat, vt miſeris, ac opis *Spiritualis* indigis ſubueniat, ſalutarem doctrinam propinet, Sanctiſsima Sacramenta miniſtret, aliáq; omnia, quę cõducibilia ſunt, ad homines è vitiorum cæno extrahendos cælóq; inferendos tentet: alioquin non recte egiſſet Paulus, quando Timotheo ſcripſit. 2. Tim. 4. *argue obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*; cui potiùs ſcribere debuiſſet: contemplare diuina, ora, lege, quieſce, tace, humanam omnem conſuetudinem fuge: Apoſtoli quoque reliqui debuiſſent ſe in loca ſolitaria atq; ſiluas recipere, illic inter fagos & quercus contemplationi operam dare, nec tantum itineris ſuſcipere, nec tantum laboris proximorum cauſa deuorare, quæ omnia ſunt admodum abſurda.

Quomodo procuratio alienæ ſalutis ſit finis Societatis.

Errat præterea Scioppius, cùm pro fine Societatis *præcipuo & totali*, vt vocant, non niſi procurationem ſalutis alienæ commemorat. Secùs rem habere, Regula. 2. ſumma-

marij noſtri demonſtrat; cuius hæc ſunt verba. *finis huius Societatis eſt non ſolùm ſaluti & perfectioni propriarum animarum cū diuina gratia vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere.* Itaq; ex præſcripto Regulæ ſaluti quiſq; ſuæ inprimis, inuigilare debet in Societate. *Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur? aut quā dabit homo commutationem pro anima ſua?* Matthæi. 16. v. 26. Cùm ergo Ieſuitæ contemplantur diuina, & orant, pióſq; libros euoluunt, id non aliorum tantùm, ſed ſua etiam causâ quàm maximè faciunt; nempe vt & ipſi DEO adhæreant, eóq; in hac vita quoad fieri poteſt, ad tempus fruantur. Ex quo liquet, eos non ſolùm vti contemplatiuæ vitæ exercitijs, *prout diſponunt* ad actionem erga proximum, ſed etiam *prout contemplantem* ipſum DEO arctè per amorem coniungunt, quod eſt verè contemplatiuorum. Errat igitur Scioppius, quando finem Societatis mutilum & quaſi decurtatum tantummodo aſſignat, & velut aërem verberans imperitiſſimè oppugnat. Societatis enim finis non eſt tantùm alienæ, vt ipſe ait, ſed & propriæ ſalutis procuratio; in quibus duabus rebus ſimul *adæquatus, principalis*, ac perfectus finis Societatis conſiſtit: vt rectè Suarez Tom. 4. de relig. lib. 1. de Inſtituto Soc. c. 2. n. 5.

Calumnia eſt, & fucus Scioppij, cùm ait Ie- Calumnia ſcioppij.

Ieſuitas *Sophiſtas eſſe, & fucum hominibus facere; vitámq; ex actione & contemplatione mixtam adeóq; perfectiorem eſſe gloriari ac præ ſe cæteros aſpernari.* Abſit n. à nobis *gloriari, niſi in Cruce Domini N. IESV Chriſti.* de perfectione verò vitæ aliud non dicimus, niſi quod Angelicus Doctor paulo ante dixit & docuit; cuius authoritatem non mille Grammatici æquauerint. Neminem verò Religioſorum aſpernamur, ſed omnes in Chriſto ſincerè amandos & venerandos iudicamus.

¶. III.

De Cantu ſiue Chro.

Irriſio Generalis Societatis.

ALiud quoque quod deſiderat Aduerſarius in Inſtituto Societatis, eſt *cantus*, ſiue *Chorus*; de qua re pag. 53. ita loquitur. *Quantum præ Vituli* (id eſt, Mutij Vitelleſci Generalis Societatis, quem ſæpius hoc nomine in Anatomia, Conſultatione Fr. Iuniperi, & Aſtrologia, cum irriſu appellat) *triturа, ſeu Verbi prædicatione, grata* DEO *accidat Monachorum pauperum ac dolentium Hymnodia, vel ex magnitudine effectuũ eius iudicari poteſt, cùm ei Eccleſiæ ſtabilitas, laus, & ſalus, & hoſtium eius profligatio, interitus, & internecio adſcribatur, idq; partim in Figura, partim per Prophetiam. Figura enim monachorum* DEO *pſallentium fuerunt Sacerdotes cum buccinarũ cantu.*

tu. de quo Num. 10 DEI *Verba ſunt: Si exieritis ad bellum contra hoſtes Veſtros, clangent ſacerdotes Vlulantibus tubis, & erit recordatio Veſtri coram* DEO *Veſtro, Vt eruamini de manibus inimicorum Veſtrorum. Ioſu.* 6. *Cùm populus* DEI *circuiret Vrbem Iericho, & Sacerdotes clangerent tubis, muri illicò corruerunt, & capta atq; deleta fuit ciuitas, per quam omnis Gentilium & hæreticorum ciuitas ſignificatur. &c.* Ad marginem. *Pſalmodia Eccleſiam ab hoſtibus eius liberat: hæreſin ac Paganiſmum extinguit: facitq;, Vt hoſtes Eccleſiæ ſe mutuò conficiant. Hæretici Vincendi ſunt, ſicut Madianitæ Victi à Gedeone. Apoſtolus Verò docet.* 1. *Cor.* 10. *Hebr.* 7. *&c. populo Iſraelitico omnia in Figura contigiſſe, & Vmbram habuiſſe futurorum bonorum, & propter nos noſtrámq; doctrinam & correptionem fuiſſe ſcripta &c. Pro explorato igitur habendum, cùm Monachi tanquam cantores Domini Voce conſona* DEI *laudes canunt, & buccinæ inſtar contra hoſtes clãgunt, lampades præſertim ardentes manibus tenentes Luc.* 12. (*ſiue charitatem perfectam operibus exhibentes*) *Eccleſia recordationem coram* DEO *fieri, Vt de inimicorum manibus eruatur? quod ipſum multiplex prophetia nobis confirmat; Iſaia,* 9. *Lætabuntur in meſſe. (quia in exultatione metent, & Venient cum exultatione, ſeu pſalmodia, portantes manipulos ſuos. pſ.* 125. *id eſt, quia ipſi ſuis pſalmis & orationibus ex hoc mundo, qui ager eſt, ad Arcam* DEI, *ſiue Eccleſiam homines, tanquam manipulos Vitulorum*

vngulis triturandos, ſiue à prædicatoribus docendos afferunt. Matth. 13 Mich. 4. &c. Tandem concludit pag. 54 *Magna proinde eorum eſt ſtultitia, vel potiùs furor & inſania, qui ad hæreſin debellandam homines alio armorum genere inſtructos, hoc eſt, nec contemplatiuæ vitæ addictos, nec Pſalmodia vtentes, adhibere malunt, quos alijs potius, ne bene rem gerant, impedimentum afferre, quàm ipſos ad victoriam momenti facere certum eſt.* Cap. 15. Similia habet. *Stabilitas & gloria Eccleſiæ Monachorum pſalmodiæ debetur. per eam omnes hæreticorũ conatus ſiunt irriti.*

Cantum eſſe opus ſanctum, nemo Ieſuitarum vnquam negauit.

Reſp. Etſi nulli Ieſuitarum dubium eſſe poteſt, quin *Cantus in Choro* ſit opus non modò Sanctum, ſed & perutile ad excitandos pios animorum motus in alijs hominibus, præbendámq; occaſionem, vt audiendis DEI laudibus libentiùs ac fructuoſiùs ſe dedant; nihilominus tamen etiam manifeſtum eſt, eiuſcemodi *Hymnodiam*, per ſe ſolam, nec ſufficiens, nec neceſſarium inſtrumentum eſſe ad ſalutem aliorum plenè perfectéq; procurandam: alioquin tam Chriſto, quam Apoſtolis maior de cantu, quam de *prædicatione Verbi*, & Sacrorum vſu fuiſſet cura.

Cùm ergo S. Ignatius cæleſti radio illuſtratus, Societatem inſtituere vellet, videretq; in Eccleſia non deeſſe abundantem numerum eorum, qui nocturnis diurníſq; canti-

ticis ſedulò occupantur, eſſe verò perpaucos, qui magis neceſſarijs, ac opportunis modis ad ſalutem proximorũ in cumbunt, ſapienter cenſuit, in 6. p. Conſtit. c. 3. §. 4. Societati à pſalmodia Eccleſiaſtica abſtinendum; ne in alijs grauiſsimis, & fini ſuo magis accommodatis actionibus illa patiatur detrimentum. Nam ſiue litterarum ſtudia, ſiue alia munera conſideres, quæ Societas profitetur, facilè videas ea tam ardua, tam laborioſa, támque multiplicia eſſe, vt ſi non transfunctoriè, ſed optato cum fructu tractanda ſint, & peragenda, omne tempus, quod extra matutinam vnius horæ meditationem, duplex conſcientiæ examen, miſſæ ſacrificium, & alias conſuetas precationes reliquum eſt, quotidie ſibi totum poſtulent, nec ad *horarium penſum*, in Eccleſia decenter & non properantiſsimè decantandum, vel ſpatium conueniens, vel iuſtum perſonarum numerum nobis relinquant.

Id quod etiam Greg. XIII. in Bulla quæ incipit *Ex ſedis Apoſtolicæ*, anno. 1573. indicauit, cum cauſam omiſsi chori hanc reddidit; *Quò acriùs ſtudijs, lectionibus & prædicationibus intendere poſſint.*

Quare monaſtici etiam Ordines qui hodiéque Choro ſunt quàm maxime addicti, & ſacri cantus miniſterium diligentiſsimè exercent, nihilominùs tã Magiſtros ſuos, quibus docendi, quàm Scholaſticos, quibus diſcen- Etiam alij Ordines propter ſtudia quoſdam liberant à Choro.

ſcendi prouincia commiſſa eſt, ab hoc onere ſæpè liberos ſolutóſq; volunt; probè videlicet intelligentes, frangi & opprimi hominem nimia multitudine negotiorũ, nec fieri poſſe, quin ad ſingula minor ſit ſenſus, ſi ad plura, quàm vires ferunt, diſtrahatur.

Nec verò primus fuit S. Ignatius, cui DEVS eam mentem iniecit: multò enim antè S. Gregorius Papa & agnouit, & coram Sanctiſsimo B. Petri corpore, ad Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos palàm pronunciauit, non eſſe rationi congruens, vt propter cantum, *prædicationis officium* negligatur; quemadmodum videre eſt lib. 4. Regiſtri c. 88. & cap. in Sancta. d. 92. & in 2. 2. S. Thomæ, q. 91. art. 2. ad 3. vbi ſic loquitur S. Doctor. *Ad 3. dicendum, quòd nobilior modus eſt prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum: & ideo Diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in* DEVM, *non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur. Vnde Gregorius dicit: Conſuetudo eſt valde reprehenſibilis, vt in Diaconatus Ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat.* Addit ibidẽ S. Gregorius. *Qua in re præſenti decreto conſtituo, vt in Sede hac ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolúmq; lectionis Euangelicæ officium inter miſſarum ſolen-*

S. Thomæ ſententia, an chorus ſit prædicationis officio anteferendus.

S. Greg. loco cit.

lennia exſoluant: pſalmos verò ac reliquas lectiones cenſeo per ſubdiaconos, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores Ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema ſit. Et omnes reſponderunt; Anathema ſit.

In quibus verbis (cùm S. Thomæ, tum S. Gregorij) ratio potiùs perpendenda eſt, quã perſonæ, quæ nominantur. *Quod enim ſint Prælati aut Diaconi* (inquit Suarez lib.). de Inſtit. Soc. c. 8. n. 6.) *materiale quid eſt, (vt ſic dicam) formale autem, quod eis ex proprio munere competit, officium prædicationis exercendæ, ſub quo omnia miniſteria comprehenduntur, quibus proximorum ſalus directè procuratur. Illud etiam ex his teſtimonijs conſtat, præferendum eſſe munus doctrinæ & prædicationis pſalmodiæ, ſeu cantui Eccleſiaſtico, quando vtrumq; non poteſt ſimul perfectè & ſtabiliter exerceri. Deniq; hinc etiam obſeruari poteſt differentia inter cantum & prædicationem, quòd prædicatio eſt propria actio ſacerdotum, vel Diaconorum: Cantus verò per quoſlibet inferiores clericos exerceri poteſt; adde etiam per laicos ſi neceſſe ſit, & maximè ſi ſint diuino Seruitio mancipati. Et hinc factum eſt, vt Religiones monachorum, quia per ſe non ſunt Religiones ſacerdotum, ſed laicorum, chori miniſterium profiteantur; quia optimè per illos exerceri poteſt, & eſt fini eorum accommodatum, ſcil. ad contemplationem; non tamen idem eſt de omnibus religionibus Sacerdotum: quia Sacerdotis officium non eſt ſolũ diuinis officijs, ſed maxi-*

mè ſaluti hominum procurandæ inſiſtere, vt Gregorius dixit in 3. p. paſtoralis cap. 4. & Concil. Aquiſgranenſe c. 8. & ſumitur ex multis Decretis apud Gratianum 16. q. 1. cap. placuit, cum ſimilibus. Et ideo licet Religio Clericorum, quæ ſolùm quoad priorem partem eorum miniſterium vſurpat, meritò etiam diuinis officijs publicè & cum cantu verſetur, Religio tamen Sacerdotum, quæ totum eorum miniſterium, & præcipuè illud, quod ad ſalutem, & profectum animarum pertinet, profitetur, non poterat conuenienter in choro & cantibus occupari. Hæc Suarez.

Scioppius oppugnat S. Sedem Apoſtolicam, dū in Societatē chorum introducendum contendit.

Ex quibus ſolidè refellitur, quidquid de cantu inconditè Scioppius occinit Societati, quam non ſolam ille impugnat ſuis clamoribus, ſed multò magis S. Apoſtolicam Sedem, quæ Conſtitutiones Societatis laudauit, comprobauit, atque ad *maiorem* DEI *gloriam*, maiúſque proximorum emolumentum pertinere cenſuit, vt omiſsâ Hymnodiâ Societas alijs ſalutaribus ac fructuoſis actionibus ſit intenta. Huic ergo S. Apoſtolicæ Sedi multo magis dicam impingit Scioppius, eámque erroris coarguit, quē nunquàm eſt ritè demonſtraturus, quàm Societati.

Contra Scioppiū ad S. Auguſtinum p: uoco: de ſacræ Sciptur æ ſenſu.

Quæ ex ſacrâ Scriptura, Num. 10. Ioſue. 6. Iudicum. 7. & alijs locis de Buccinarum clangore, tubarúmque ſonitu, quo Ioſue, Gedeon, & alij fuderunt hoſtes ſuos, in medium affert Scioppius, nihil officiunt cauſæ

Ie-

Ieſuitarum, ſed proſunt: de hac enim re ad S. Auguſtinum velut iudicem prouocamus; qui ſerm. 106 de tempore, de victoria Hierichuntina ſic diſſerit: *Hiericho, Fratres, typum habuit mundi huius. Sicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet, vt ciuitas mundi, id eſt, ſuperbia cum ſuis turribus, auaritia ſcilicet, inuidia atq; luxuria, ſimul cum populis, id eſt, omnibus concupiſcentijs malis, aſſidua Sacerdotum prædicatione deſtruatur atq; diſpereat. Non ergo oportet, vt ſacerdotes in Eccleſia taceant, ſed audiant Dominum dicentem: Clama ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Clamare ergo iubemur, & vehementer clamare. Ne parcas, inquit, id eſt, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereat, & dum verecundia eius conſulis, non conſulas ſanitati, ne vulnera illius, quæ clamando reſcare poteras, reticendo in peius enutrias. Clamare ergo iubemur, & ne quis ſe non audiſſe dicat, aut quenquam vox lateat ſacerdotis, vehementer clamare. Et ne fortè hoc ipſum non ſufficeret, addit dicens; ſicut tuba exalta vocem tuam. Scitis quòd tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris: non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem; Tuba itaq; peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolum aures eorum penetret, ſed & cor concutiat, nec delectet CANTV, ſed caſtiget auditu, & ſtrenuos quóſq; hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis.* Et poſt pauca. *Hæc enim conſuetudo*

Buccinæ clangor eſt prædicatio Verbi, non cantus.

do tuba eſt, vt delinquentium opera diſſipet, & ſanctorum facta confirmet: hac omnia in figura facta eſſe non dubium eſt. Nam Sacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfiguraſſe credimus quàm huius temporis ſacerdotum PREDICATIONES, per quas non ceſſant nunciare, triſtem gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis ſtrepitu aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc tubarum clangor deſtructis prauis cogitationibus ad anima nuda pertranſijt, & ſicut ſacra vocis ſonus contumacem populum deſtruxit & captiuauit, ita & nunc ſacerdotalis prædicatio populum peccatorem ſubiugat Atq; hæc S. Auguſtinus; quibus non abſimilia inuenies apud Origenem Homil. 7.

Vides Scioppi, quàm miſerum Scripturæ Sacræ interpretem, quàm lacerum Theologum, quàm nullum agas Dialecticum? Scripturam S. contra nos profers, quæ S. Auguſtino iudice pro nobis contra te pugnat. Annon ridiculus es? pſalmodiam *prædicationi* præfers, ſecùs quàm faciat Magnus Gregorius,& S. Thomas Aquinas: annon Atheologus es? Conſequentia præmiſſarum eſſe dicis, quæ ſunt illis contraria;an non imperitus Dialecticus es? Si enim illi qui pſalmodiæ operam dant, plus non agunt, quàm *vt homines pſalmis & orationibus ſuis ad Aream, id eſt Eccleſiam, tanquam manipulos vitulorum vngulis triturandos ſiue à prædicatoribus docendos afferant & perducant?* (vt tu ais pag. 54.) nonne

ne fateris præter contemplationem & cantum alia adhuc neceſſariò requiri; quibus hæreſes debellandæ & proximorum ſaluti ſit conſulendum? neque enim ſatis eſt aliquem ad Eccleſiam adduci, niſi etiam de ijs, quæ ad *fidem* & mores pertinent, rectè erudiatur,& viuum membrum Eccleſiæ efficiatur. *Erudiendi* autem ſunt per *prædicationem Verbi. Fides enim ex auditu eſt. quomodo verò audient ſine prædicatione?* prædicatione igitur & doctrina, tua ipſius Confeſsione, quàm maximè eſt opus. Quare ineptè poſtea concludis, *Magna proinde eorum eſt ſtultitia, vel potius furor & inſania, qui ad hæreſim debellandam homines alio armorum genere inſtructos, hoc eſt, nec contemplat. ſua vitæ addictos, nec pſalmodia vtentes adhibere malunt.*

Quid petulanti cenſura non ſolùm Catholicos Reges & Principes, ſed S. Sedem Apoſtolicam iterum, velut excuſſo pugno verberas; cuius authoritate & juſſu, ſæpius Ieſuitæ ad hæreticos in veram viam reducendos miniſtri ſunt adhibiti. Neque enim neceſſe eſt, vt, quiſquis prædicatorem aut Doctorem agere debet, priùs cantor fuerit, alioqui quomodo Scioppius ſibi docendi munus arrogare poterit, qui in Hymnodia non magis eſt exercitatus, quàm Heluetici boues ad ſaltandum?

Sed pergamus.

§. IV.

Quomo-
Sciop-
Scri-
a-

§. IV.

De Auſteritate vitæ.

ETiam hoc ariete pulſat muros Societatis Scioppius in Actione perduellionis, & Conſultatione Fr. Iuniperi paſsim; in Anatomia Societatis pag. 74. & 75. in Aſtrologia c. 4. pag. 15. his verbis. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris; id eſt, Vos* (Monachos) *ad docendum in Eccleſia exurgere decet, qui portaſtis iugum ab adoleſcentia, & ſediſtis ſolitarij, ſaturatique eſtis opprobrijs. Thren. 3. Quorum anima multum repleta eſt opprobrio abundantium, & deſpectione ſuperborum. Pſal. 122. quorum nempe paupertate carnis vocationem, & humilitatem; tanquam litteras neſcientium ac ſtolidorum Clerici* (Ieſuitæ) *deridens, ipſi ſaturati, diuites facti, & regnantes*). *Cor. 4. animaq; ſua ſuaues, quam ieiunio, abſtinentia, vigilijs, nocturna & diurna pſalmodia, ſilentio, cucullo, amictu aſpero, horrido, & contempto affligere cauent, ſtultitia notam veriti: qui quantum ſophiſtica ſua docendi ratione profecturi ſint, hoc Spiritus S. oraculo docentur Eccleſ. 37. Vir aſtutus multos erudiuit* (*dignos pœnitentiæ fructus facere eos monens*) *& anima ſua ſuauis eſt: quia Sophiſticè loquitur; odibilis eſt. Omni re defraudabitur, nec quidquam proficiet, &c.*

Reſp. Vel ex hac ipſa ſententia Eccleſia-

ſtici.

ſtici. c. 37. v. 21. & 22. cognoſcere poteſt Lector, quàm præpoſterè Scripturas Sanctas tractet Scioppius, qui ſua mendacia pro diuinis oraculis venditare non erubeſcit. Sic enim habet genuina lectio: *Eſt Vir aſtutus multorum eruditor, & anima ſua inutilis eſt. Vir peritus multos erudiuit, & anima ſua ſuauis eſt. Qui Sophiſticè loquitur odibilis eſt.* Quis iam non perſpicuè videat, à Scioppio partim ſententias turpiter diſcerpi, partim membra minimè ſocianda inter ſe ita connecti, vt ſenſum omninò contrarium, ac Spiritui S. è diametro repugnantem reddant. Non enim dixit Eccleſiaſticus, *Vir aſtutus eſt ſuauis anima ſua,* ſed *eſt anima ſua inutilis;* quod toto cœlo diſtat. Deinde ait, *Vir peritus,* id eſt, qui habet peritiam Sacræ Scripturæ, *erudiuit multos*, intellige, ad bonum, vt adnotat Lyranus in gloſſa; & iſte *ſuauis eſt anima ſua,* ſcilicet per *augmentum meriti* apud Deum: peruersè igitur, & non ſine falſi crimine interpretatur hæc Scioppius, de fuga auſteritatis in ijs, quibus corpus affligitur: cuius fraudem (qua etiam in Anatomia Societatis pag. 74. vſus fuerat) in Ant-anatomia ſect. 10. n. 5. pariter demonſtraui, vt proinde ex hoc ipſo documento iterum clarum fiat, eundem eſſe & Anatomiæ auctorem & huius Aſtrologiæ.

Quomodo Scioppius Scripturas Sacras tractet.

Cæterùm (omiſsâ illa craſſa calumniâ, quâ falsò dicit monachorum *paupertatem, Vocationem,*

Scioppij telum iã ab alijs

quoque in Ieſuitas emiſſum.

tionem, & humilitatem à Clericis, ſeu Ieſuitis, *derideri)* iam dudum ante Scioppium fuerunt, qui probri loco Societati obijcerent, quòd exteriore victu ac veſtitu non tam aſpero atque immiti vtatur, quàm vti ſolent nonnullorum aliorum Ordinum religioſi: proinde grauiter erratum eſſe in *Conſtitutionibus* Societatis, Cap. I. Examinis, §. 6. vbi dicitur: *Ratio viuendi in exterioribus iuſtas ob cauſas, maius Dei obſequium ſemper intendendo, communis eſt, neq; vllas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habet.* Atque ob hanc cauſam, Religioſam iſtam Sodalitatem imperfectiſsimam eſſe, minimèque ad ſuum finem accommodatam, cum *Ieſuitarum vita parum, aut nihil à vita ſæcularium Sacerdotum videatur differre.*

Repellitur authoritate Iulij III.

Vt ergo & hæc criminatio refellatur, obſeruandum eſt, in Bulla, qua Iulius III. Inſtitutum Societatis confirmauit, iſta ipſa verba legi: *In his quæ ad victum & veſtitum, & cætera exteriora pertinent, honeſtorum Sacerdotum communem & approbatum vſum ſequentur*: Quibus mox addit Pontifex: *Nihil quod pium, ſanctúmque non ſit, in dicta Societate, eiúſq; laudabilibus Inſtitutis reperiri; eáque omnia ad ſuorum, & aliorum Chriſti fidelium animarum ſalutem, & fidei exaltationem tendere.* Ergo iudicio Summi Pontificis etiam hæc pars *Inſtituti* eſt *pia, & ſancta*, atque ad ſalutem animarum procurandam ita apta & appoſita,

vt ad

vt ad eum finem neque moraliter neceſſarium ſit Ieſuitas onerari cucullo, veſtiri amictu aſpero, horrido, ac contempto, abſtinere à carnium eſu, nocturnis diurníſque cantibus in Eccleſia diſtineri, ſibi perpetuum ſilentium indicere, atque in omnibus alijs ſe monachis conformare: quandoquidem neque Chriſtus, neq; Apoſtoli hæc omnia præſtiterunt quos tamen minus ſanctam minúſque procurandæ ſaluti animarum accommodam viuendi rationem tenuiſſe, nemo niſi impius dixerit.

S. Thomam audiamus, in 3. p. q. 40. a. 2. de hac ipſa re, *an ſcil. Chriſtus auſteram vitam in hoc mundo ducere debuit*, diſputantem. *Ad Secundum ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus debuerit auſteram vitam ducere in hoc mundo. Chriſtus enim multò magis prædicauit perfectionem vitæ, quàm Ioannes. Sed Ioannes auſteram vitam duxit, vt ſuo exemplo homines ad perfectionem vitæ prouocaret: dicitur enim Matth 3. quod ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylueſtre. Quod exponens Chryſ. dicit, Erat mirabile in humano corpore, tantam patientiam videre: quod & Iudæos magis attrahebat. Ergo videtur quod multo magis Chriſtum decuerit auſteritas vitæ.* S. Thomas etiã ſtat pro Ieſuitis.

§. 2. *Præterea, Abſtinentia ad continentiam ordinatur: dicitur enim Oſeæ 4. Comedent, & non ſaturabuntur: fornicati ſunt, & non ceſſauerunt.*

uerunt. Sed Chriſtus continentiam in ſe ſeruauit & alijs ſeruandam propoſuit, cùm dixit Matth. 19. Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum: qui poteſt capere capiat. Ergo videtur, quòd Chriſtus in ſe, & in ſuis diſcipulis auſteritatem vitæ ſeruare debuerit.

§. 3. Præterea, Ridiculum videtur, vt aliquis diſtrictiorem vitam incipiat, & ab ea in laxiorem reuertatur: poteſt enim dici contra eum quod habetur Luc. 14. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Chriſtus autem diſtrictiſſimam vitam incepit poſt baptiſmum, manens in deſerto, & ieiunans quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ergo videtur non fuiſſe congruum, quod poſt tantam vitæ diſtrictionem ad communem vitam rediret.

Sed contra eſt, quòd dicitur Matthæi 11. Venit Filius hominis manducans & bibens.

CONCLVSIO.

CVm conueniens fuerit, vt cum hominibus Chriſtus conuerſaretur, perſpicuum eſt decuiſſe omnino, vt in cibo & potu communiter ſe ſicut alij haberet.

Reſpondeo dicendum, quòd (ſicut dictum eſt) congruum erat Incarnationis fini, vt Chriſtus non ageret ſolitariam vitam, ſed cum hominibus conuerſaretur. Qui autem cum aliquibus conuerſatur, conuenientiſſimũ eſt, vt ſe eis in conuerſatione conformet, ſecundum illud Apoſtoli prima ad Corinth. 9. Omnibus omnia factus ſum. Et ideo conuenien-

uenientiſſimum fuit, ut Chriſtus in cibo & potu communiter ſe ſicut alij haberet. Vnde Aug. dicit contra Fauſtum, quod Ioannes dictus eſt non manducans neque bibens, quia illo uictu quo Iudæi utebantur non utebatur. Hoc ergo niſi Dominus uteretur non in eius comparatione, manducans, bibenſque diceretur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus in ſua conuerſatione exemplum perfectionis dedit in omnibus, quæ per ſe pertinent ad ſalutem. Ipſa autem abſtinentia cibi & potus, non per ſe pertinent ad ſalutem: Secundum illud Rom. 14. Non eſt regnum Dei eſca & potus. Et Aug. dicit in lib. de quæſt. Euang exponens illud Matth. 11 Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis: quia ſcilicet ſancti Apoſtoli intellexerunt regnum Dei non eſſe in eſca & potu, ſed in æquanimitate tolerandi: quos nec copia ſubleuat, nec deprimit egeſtas. Et in 3. de doctr. Chriſtiana dicit, quòd in omnibus talibus non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Vtraque autem uita eſt licita & laudabilis: ut ſcilicet a communi conſortio hominum ſegregatus, abſtinentiam ſeruet, & ut in Societate aliorum potius communi uita utatur. Et ideo Dominus uoluit utriuſque uitæ exemplum dare hominibus. Ioannes autẽ (ſicut Chryſoſt. dicit ſuper Matth.) nihil plus oſtendit præter uitam & iuſtitiam: Chriſtus autem & à miraculis teſtimonium habebat: dimittens ergo Ioannem ieiunio fulgere, ipſe contrariam inceſſit uiam, ad menſam intrans Publicanorum, & manducans & bibens.

Z Ad

Vngulis triturandos, ſiue à prædicatoribus docendos afferunt. Matth. 13 *Mich.* 4. *&c.* Tandem concludit pag. 54 *Magna proinde eorum eſt ſtultitia, vel potiùs furor & inſania, qui ad hæreſin debellandam homines alio armorum genere inſtructos, hoc eſt, nec contemplatiuæ vitæ addictos, nec Pſalmodia vtentes, adhibere malunt, quos alijs potius, ne bene rem gerant, impedimentum afferre, quàm ipſos ad victoriam momenti facere certum eſt.* Cap. 15. Similia habet. *Stabilitas & gloria Eccleſiæ Monachorum pſalmodiæ debetur. per eam omnes hæreticorũ conatus ſiunt irriti.*

Cantum eſſe opus ſanctum, nemo Ieſuitarum vnquam negauit.

Reſp. Etſi nulli Ieſuitarum dubium eſſe poteſt, quin *Cantus in Choro* ſit opus non modò Sanctum, ſed & perutile ad excitandos pios animorum motus in alijs hominibus, præbendámq; occaſionem, vt audiendis DEI laudibus libentiùs ac fructuoſiùs ſe dedant; nihilominus tamen etiam manifeſtum eſt, eiuſcemodi *Hymnodiam*, per ſe ſolam, nec ſufficiens, nec neceſſarium inſtrumentum eſſe ad ſalutem aliorum plenè perfectéq; procurandam: alioquin tam Chriſto, quam Apoſtolis maior de cantu, quam de *prædicatione Verbi*, & Sacrorum vſu fuiſſet cura.

Cùm ergo S. Ignatius cæleſti radio illuſtratus, Societatem inſtituere vellet, videretq; in Eccleſia non deeſſe abundantem numerum eorum, qui nocturnis diurníſq; canti-

ticis ſeduló occupantur, eſſe veró perpaucos, qui magis neceſſarijs, ac opportunis modis ad ſalutem proximorũ incumbunt, ſapienter cenſuit, in 6. p. Conſtit. c. 3. §. 4. Societati à pſalmodia Eccleſiaſtica abſtinendum; ne in alijs grauiſsimis, & fini ſuo magis accommodatis actionibus illa patiatur detrimentum. Nam ſiue litterarum ſtudia, ſiue alia munera conſideres, quæ Societas profitetur, facilè videas ea tam ardua, tam laborioſa, támque multiplicia eſſe, vt ſi non transfunctoriè, ſed optato cum fructu tractanda ſint, & peragenda, omne tempus, quod extra matutinam vnius horæ meditationem, duplex conſcientiæ examen, miſſæ ſacrificium, & alias conſuetas precationes reliquum eſt, quotidie ſibi totum poſtulent, nec ad *horarium penſum*, in Eccleſia decenter & non properantiſsimè decantandum, vel ſpatium conueniens, vel iuſtum perſonarum numerum nobis relinquant.

Id quod etiam Greg. XIII. in Bulla quæ incipit *Ex ſedis Apoſtolicæ*, anno. 1573. indicauit, cum cauſam omiſsi chori hanc reddidit; *Quò acriùs ſtudijs, lectionibus & prædicationibus intendere poſſint.*

Quare monaſtici etiam Ordines qui hodieque Choro ſunt quàm maxime addicti, & ſacri cantus miniſterium diligentiſsimè exercent, nihilominùs tã Magiſtros ſuos, quibus docendi, quàm Scholaſticos, quibus diſcen-

Etiam alij Ordines propter ſtudia quoſdam liberant à Choro.

ſcendi prouincia commiſſa eſt, ab hoc onere ſæpè liberos ſolutóſq; volunt; probè videlicet intelligentes, frangi & opprimi hominem nimia multitudine negotiorũ, nec fieri poſſe, quin ad ſingula minor ſit ſenſus, ſi ad plura, quàm vires ferunt, diſtrahatur.

Nec verò primus fuit S. Ignatius, cui DEVS eam mentem iniecit: multò enim antè S. Gregorius Papa & agnouit, & coram Sanctiſsimo B. Petri corpore, ad Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos palàm pronunciauit, non eſſe rationi congruens, vt propter cantum, *prædicationis officium* negligatur; quemadmodum videre eſt lib. 4. Regiſtri c. 88. & cap. in Sancta. d. 92. & in 2. 2. S. Thomæ, q. 91. art. 2. ad 3. vbi ſic loquitur S. Doctor. *Ad 3. dicendum, quòd nobilior modus eſt prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum: & ideo Diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in* DEVM, *non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur. Vnde Gregorius dicit: Conſuetudo eſt valde reprehenſibilis, vt in Diaconatus Ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat.* Addit ibidẽ S. Gregorius. *Qua in re præſenti decreto conſtituo, vt in Sede hac ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolúmq; lectionis Euangelicæ officium inter miſſarum ſolen-*

S. Thomæ ſententia, an chorus ſit prædicationis officio anteferendus.

S. Greg. loco cit.

lennia exſoluant: pſalmos verò ac reliquas lectiones cenſeo per ſubdiaconos, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores Ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema ſit. Et omnes reſponderunt, Anathema ſit.

In quibus verbis (cùm S. Thomæ, tum S. Gregorij) ratio potiùs perpendenda eſt, quã perſonæ, quæ nominantur. *Quod enim ſint Prælati aut Diaconi* (inquit Suarez lib.). de Inſtit. Soc. c. 8. n. 6.) *materiale quid eſt, (vt ſic dicam) formale autem, quod eis ex proprio munere competit, officium prædicationis exercendæ, ſub quo omnia miniſteria comprehenduntur, quibus proximorum ſalus directè procuratur. Illud etiam ex his teſtimonijs conſtat, præferendum eſſe munus doctrinæ & prædicationis pſalmodiæ, ſeu cantui Eccleſiaſtico, quando vtrumq; non poteſt ſimul perfectè & ſtabiliter exerceri. Deniq; hinc etiam obſeruari poteſt differentia inter cantum & prædicationem, quòd prædicatio eſt propria actio ſacerdotum, vel Diaconorum: Cantus verò per quoſlibet inferiores clericos exerceri poteſt; adde etiam per laicos ſi neceſſe ſit, & maximè ſi ſint diuino Seruitio mancipati. Et hinc factum eſt, vt Religiones monachorum, quia per ſe non ſunt Religiones ſacerdotum, ſed laicorum, chori miniſterium profiteantur; quia optimè per illos exerceri poteſt, & eſt fini eorum accommodatum, ſcil. ad contemplationem; non tamen idem eſt de omnibus religionibus Sacerdotum: quia Sacerdotis officium non eſt ſolũ diuinis officijs, ſed maxi-*

mò ſaluti hominum procurandæ inſiſtere, vt Gregorius dixit in 3. p. paſtoralis cap. 4. & Concil. Aquisgranenſe c.8. & ſumitur ex multis Decretis apud Gratianum 16. q. 1. cap. placuit, cum ſimilibus. Et ideo licet Religio Clericorum, quæ ſolùm quoad priorem partem eorum miniſterium vſurpat, meritò etiam diuinis officijs publicè & cum cantu verſetur, Religio tamen Sacerdotum, quæ totum eorum miniſterium, & præcipuè illud, quod ad ſalutem, & profectum animarum pertinet, profitetur, non poterat conuenienter in choro & cantibus occupari. Hæc Suarez.

Scioppius oppugnat S. Sedem Apoſtolicam, dū in Societatē chorum introducendum contendit.

Ex quibus ſolidè refellitur, quidquid de cantu inconditè Scioppius occinit Societati, quam non ſolam ille impugnat ſuis clamoribus, ſed multò magis S. Apoſtolicam Sedem, quæ Conſtitutiones Societatis laudauit, comprobauit, atque ad *maiorem* DEI *gloriam*, maiúſque proximorum emolumentum pertinere cenſuit, vt omiſsâ Hymnodiâ Societas alijs ſalutaribus ac fructuoſis actionibus ſit intenta. Huic ergo S. Apoſtolicæ Sedi multo magis dicam impingit Scioppius, eámque erroris coarguit, quē nunquàm eſt ritè demonſtraturus, quàm Societati.

Contra Scioppiū ad S. Auguſtinum p uoco de ſacræ Scipturæ ſenſu.

Quæ ex ſacra Scriptura, Num. 10. Ioſue. 6. Iudicum. 7. & alijs locis de Buccinarum clangore, tubarúmque ſonitu, quo Ioſue, Gedeon, & alij fuderunt hoſtes ſuos, in medium affert Scioppius, nihil officiunt cauſæ Ie-

Ieſuitarum, ſed proſunt: de hac enim re ad S. Auguſtinum velut iudicem prouocamus; qui ſerm. 106 de tempore, de victoria Hierichuntina ſic diſſerit: *Hiericho, Fratres, typum habuit mundi huius. Sicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet, vt ciuitas mundi, id eſt, ſuperbia cum ſuis turribus, auaritia ſcilicet, inuidia atq; luxuria, ſimul cum populis, id eſt, omnibus concupiſcentijs malis, aſſidua Sacerdotum prædicatione deſtruatur atq; diſpereat. Non ergo oportet, vt ſacerdotes in Eccleſia taceant, ſed audiant Dominum dicentem: Clama ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Clamare ergo iubemur, & vehementer clamare. Ne parcas, inquit, id eſt, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereat, & dum verecundia eius conſulis, non conſulas ſanitati, ne vulnera illius, quæ clamando reſcare poteras, reticendo in peius enutrias. Clamare ergo iubemur, & ne quis ſe non audiſſe dicat, aut quenquam vox lateat ſacerdotis, vehementer clamare. Et ne fortè hoc ipſum non ſufficeret, addit dicens; ſicut tuba exalta vocem tuam. Scitis quòd tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris: non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem; Tuba itaq; peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolum aures eorum penetret, ſed & cor concutiat, nec delectet CANTV, ſed caſtiget auditu, & ſtrenuos quóſq; hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis.* Et poſt pauca. *Hæc enim conſuetu-* Buccinæ clangor eſt prædicatio Verbi, non cantus.

do tuba eſt, vt delinquentium opera diſſipet, & ſanctorum facta confirmet: hæc omnia in figura facta eſſe non dubium eſt. Nam Sacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfiguraſſe credimus quàm huius temporis ſacerdotum PREDICATIONES, per quas non ceſſant nunciare, triſtem gehennæ interitum prædicare, & quodam commi-nationis ſtrepitu aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc tubarum clangor deſtructis prauis cogitationibus ad anima nuda pertranſijt, & ſicut ſacra vocis ſonus contumacem populum deſtruxit & captiuauit, ita & nunc ſacerdotalis prædicatio populum peccatorem ſubiugat Atq; hæc S. Auguſtinus; quibus non abſimilia inuenies apud Origenem Homil. 7.

Vides Scioppi, quàm miſerum Scripturæ Sacræ interpretem, quàm lacerum Theologum, quàm nullum agas Dialecticum? Scripturam S. contra nos profers, quæ S. Auguſtino iudice pro nobis contra te pugnat. Annon ridiculus es? pſalmodiam *prædicationi* præfers, ſecùs quàm faciat Magnus Gregorius, & S. Thomas Aquinas: annon Atheologus es? Conſequentia præmiſſarum eſſe dicis, quæ ſunt illis contraria; an non imperitus Dialecticus es? Si enim illi qui pſalmodiæ operam dant, plus non agunt, quàm *vt homines pſalmis & orationibus ſuis ad Aream, id eſt Eccleſiam, tanquam manipulos Vitulorum vngulis triturandos ſiue à prædicatoribus docendos afferant & perducant?* (vt tu ais pag. 54.) nonne

ne fateris præter contemplationem & cantum alia adhuc neceſſariò requiri; quibus hæreſes debellandæ & proximorum ſaluti ſit conſulendum? neque enim ſatis eſt aliquem ad Eccleſiam adduci, niſi etiam de ijs, quæ ad *fidem* & mores pertinent, rectè erudiatur, & viuum membrum Eccleſiæ efficiatur. *Erudiendi* autem ſunt per *prædicationem Verbi. Fides enim ex auditu eſt. quomodo vero audient ſine prædicatione?* prædicatione igitur & doctrina, tua ipſius Confeſsione, quàm maximè eſt opus. Quare ineptè poſtea concludis, *Magna proinde eorum eſt ſtultitia, vel potiùs furor & inſania, qui ad hæreſim debellandam homines alio armorum genere inſtructos, hoc eſt, nec contemplatiua vita addictos, nec pſalmodia vtentes adhibere malunt.*

Quid petulanti cenſura non ſolùm Catholicos Reges & Principes, ſed S. Sedem Apoſtolicam iterum, velut excuſſo pugno verberas; cuius authoritate & juſſu, ſæpius Ieſuitæ ad hæreticos in veram viam reducendos miniſtri ſunt adhibiti. Neque enim neceſſe eſt, vt, quiſquis prædicatorem aut Doctorem agere debet, priùs cantor fuerit, alioqui quomodo Scioppius ſibi docendi munus arrogare poterit, qui in Hymnodia non magis eſt exercitatus, quàm Heluetici boues ad ſaltandum?

Sed pergamus.

§. IV.

§. IV.

De Auſteritate vitæ.

ETiam hoc ariete pulſat muros Societatis Scioppius in Actione perduellionis, & Conſultatione Fr. Iuniperi paſsim; in Anatomia Societatis pag. 74. & 75. in Aſtrologia c. 4. pag. 15. his verbis. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris; id eſt, Vos* (Monachos) *ad docendum in Eccleſia exurgere decet, qui portaſtis iugum ab adoleſcentia, & ſediſtis ſolitarij, ſaturatique eſtis opprobrijs. Thren. 3. Quorum anima multum repleta eſt opprobrio abundantium, & deſpectione ſuperborum. Pſal. 122. quorum nempe paupertate carnis vocationem, & humilitatem; tanquam litteras neſcientium ac ſtolidorum Clerici* (Ieſuitæ) *derident, ipſi ſaturati, diuites facti, & regnantes 1. Cor. 4. animamq́; ſuam ſuaues, quam ieiunio, abſtinentia, vigilijs, nocturna & diurna pſalmodia, ſilentio, cucullo, amictu aſpero, horrido, & contempto affligere cauent, ſtultitia notam veriti: qui quantum ſophiſtica ſua docendi ratione profecturi ſint, hoc Spiritus S. oraculo docentur Eccleſ. 37. Vir aſtutus multos erudiuit* (*dignos pœnitentiæ fructus facere eos monens*) *& animæ ſuæ ſuauis eſt: quia Sophiſticè loquitur, odibilis eſt. Omni re defraudabitur, nec quidquam proficiet, &c.*

Reſp. Vel ex hac ipſa ſententia Eccleſiaſtici.

ſtici. c. 37. v. 21. & 22. cognoſcere poteſt Lector, quàm præpoſterè Scripturas Sanctas tractet Scioppius, qui ſua mendacia pro diuinis oraculis venditare non erubeſcit. Sic enim habet genuina lectio: *Eſt Vir aſtutus multorum eruditor, & anima ſua inutilis eſt. Vir peritus multos erudiuit, & anima ſua ſuauis eſt. Qui Sophiſticè loquitur odibilis eſt.* Quis iam non perſpicuè videat, à Scioppio partim ſententias turpiter diſcerpi, partim membra minimè ſocianda inter ſe ita connecti, vt ſenſum omninò contrarium, ac Spiritui S. è diametro repugnantem reddant. Non enim dixit Eccleſiaſticus, *Vir aſtutus eſt ſuauis anima ſua,* ſed *eſt anima ſua inutilis*; quod toto cœlo diſtat. Deinde ait, *Vir peritus*, id eſt, qui habet peritiam Sacræ Scripturæ, *erudiuit multos*, intellige, ad bonum, vt adnotat Lyranus in gloſſa; & iſte *ſuauis eſt anima ſua*, ſcilicet per *augmentum meriti* apud Deum: peruersè igitur, & non ſine falſi crimine interpretatur hæc Scioppius, de fuga auſteritatis in ijs, quibus corpus affligitur: cuius fraudem (qua etiam in Anatomia Societatis pag. 74. vſus fuerat) in Ant-anatomia ſect. 10. n. 5. pariter demonſtraui, vt proinde ex hoc ipſo documento iterum clarum fiat, eundem eſſe & Anatomiæ auctorem & huius Aſtrologiæ. Quomodo Scioppius Scripturas Sacras tractet.

Cæterùm (omiſsâ illa craſſa calumniâ, quâ Scioppij falsò dicit monachorum *paupertatem*, *Vocationem*, telum iã ab alijs

quoque in Ieſuitas emiſſum.

tionem, & humilitatem à Clericis, ſeu Ieſuitis, *derideri)* iam dudum ante Scioppium fuerunt, qui probri loco Societati obijcerent, quòd exteriore victu ac veſtitu non tam aſpero atque immiti vtatur, quàm vti ſolent nonnullorum aliorum Ordinum religioſi: proinde grauiter erratum eſſe in *Conſtitutionibus* Societatis, Cap. I. Examinis, §. 6. vbi dicitur: *Ratio viuendi in exterioribus iuſtas ob cauſas, maius Dei obſequium ſemper intendendo, communis eſt, neq; vllas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habet.* Atque ob hanc cauſam, Religioſam iſtam Sodalitatem imperfectiſsimam eſſe, miniméque ad ſuum finem accommodatam, cum *Ieſuitarum vita parum, aut nihil à vita ſecularium Sacerdotum videatur differre.*

Repellitur authoritate Iulij III.

Vt ergo & hæc criminatio refellatur, obſeruandum eſt, in Bulla, qua Iulius III. Inſtitutum Societatis confirmauit, iſta ipſa verba legi: *In his quæ ad victum & veſtitum, & cætera exteriora pertinent, honeſtorum Sacerdotum communem & approbatum vſum ſequentur*: Quibus mox addit Pontifex: *Nihil quod pium, ſanctúmque non ſit, in dicta Societate, eiúſq; laudabilibus Inſtitutis reperiri; eáque omnia ad ſuorum, & aliorum Chriſti fidelium animarum ſalutem, & fidei exaltationem tendere.* Ergo judicio Summi Pontificis etiam hæc pars *Inſtituti* eſt *pia, & ſancta*, atque ad ſalutem animarum procurandam ita apta & appoſita,

vt ad

vt ad eum finem neque moraliter neceſſarium ſit Ieſuitas onerari cucullo, veſtiri amictu aſpero, horrido, ac contempto, abſtinere à carnium eſu, nocturnis diurníſque cantibus in Eccleſia diſtineri, ſibi perpetuum ſilentium indicere, atque in omnibus alijs ſe monachis conformare: quandoquidem neque Chriſtus, neq; Apoſtoli hæc omnia præſtiterunt quos tamen minus ſanctam miníſque procurandæ ſaluti animarum accommodam viuendi rationem tenuiſſe, nemo niſi impius dixerit.

S. Thomam audiamus, in 3. p. q. 40. a. 2. de hac ipſa re, *an ſcil. Chriſtus auſteram vitam in hoc mundo ducere debuit*, diſputantem. *Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus debuerit auſteram vitam ducere in hoc mundo. Chriſtus enim multò magis prædicauit perfectionem vitæ, quàm Ioannes. Sed Ioannes auſteram vitam duxit, vt ſuo exemplo homines ad perfectionem vitæ prouocaret: dicitur enim Matth. 3. quod ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylueſtre. Quod exponens Chryſ. dicit, Erat mirabile in humano corpore, tantam patientiam videre: quod & Iudæos magis attrahebat. Ergo videtur quod multo magis Chriſtum decuerit auſteritas vitæ.* S. Thomas etiã ſtat pro Ieſuitis.

§. 2. *Præterea, Abſtinentia ad continentiam ordinatur: dicitur enim Oſeæ 4. Comedent, & non ſaturabuntur: fornicati ſunt, & non ceſſauerunt.*

uerunt. Sed Chriſtus continentiam in ſe ſeruauit & alijs ſeruandam propoſuit, cùm dixit Matth. 19. Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum: qui poteſt capere capiat. Ergo videtur, quòd Christus in ſe, & in ſuis diſcipulis auſteritatem vitæ ſeruare debuerit.

§. 3. *Præterea, Ridiculum videtur, vt aliquis diſtrictiorem vitam incipiat, & ab ea in laxiorem reuertatur: poteſt enim dici contra eum quod habetur Luc. 14. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Chriſtus autem diſtrictiſſimam vitam incepit poſt baptiſmum, manens in deſerto, & ieiunans quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ergo videtur non fuiſſe congruum, quod poſt tantam vitæ diſtrictionem ad communem vitam rediret.*

Sed contra eſt, quòd dicitur Matthæi 11. *Venit Filius hominis manducans & bibens.*

CONCLVSIO.

Cum conueniens fuerit, vt cum hominibus Chriſtus conuerſaretur, perſpicuum eſt decuiſſe omnino, vt in cibo & potu communiter ſe ſicut alij haberet.

Reſpondeo dicendum, quòd (ſicut dictum eſt) congruum erat Incarnationis fini, vt Chriſtus non ageret ſolitariam vitam, ſed cum hominibus conuerſaretur. Qui autem cum aliquibus conuerſatur, conuenientiſſimũ eſt, vt ſe eis in conuerſatione conformet, ſecundum illud Apoſtoli prima ad Corinth. 9. Omnibus omnia factus ſum. Et ideo conuenien-

uenientiſſimum fuit, vt Chriſtus in cibo & potu communiter ſe ſicut alij haberet. Vnde Aug. dicit contra Fauſtum, quod Ioannes dictus eſt non manducans neque bibens, quia illo victu quo Iudæi vtebantur non vtebatur. Hoc ergo niſi Dominus vteretur non in eius comparatione, manducans, bibenſque diceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus in ſua conuerſatione exemplum perfectionis dedit in omnibus, quæ per ſe pertinent ad ſalutem. Ipſa autem abſtinentia cibi & potus, non per ſe pertinent ad ſalutem: Secundum illud Rom. 14. Non eſt regnum Dei eſca & potus. Et Aug. dicit in lib. de quæſt. Euang exponens illud Matth. 11 Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis: quia ſcilicet ſancti Apoſtoli intellexerunt regnum Dei non eſſe in eſca & potu, ſed in æquanimitate tolerandi: quos nec copia ſubleuat, nec deprimit egeſtas. Et in 3. de doctr. Chriſtiana dicit, quod in omnibus talibus non vſus rerum, ſed libido vtentis in culpa eſt. Vtraque autem vita eſt licita & laudabilis: vt ſcilicet à communi conſortio hominum ſegregatus, abſtinentiam ſeruet, & vt in Societate aliorum potius communi vita vtatur. Et ideo Dominus voluit vtriuſque vita exemplum dare hominibus. Ioannes autẽ (ſicut Chryſoſt. dicit ſuper Matth.) nihil plus oſtendit præter vitam & iuſtitiam: Chriſtus autem & à miraculis teſtimonium habebat: dimittens ergo Ioannem ieiunio fulgere, ipſe contraria inceſſit via, ad menſam intrans Publicanorum, & manducans & bibens.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut alij homines per abſtinentiam conſequuntur virtutem continendi, ita etiam Chriſtus in ſe & in ſuis diſcipulis per virtutem ſuæ diuinitatis carnem comprimebat. Vnde ſicut Matth. 9. dicitur, Phariſæi & diſcipuli Ioannis ieiunabant, non autem diſcipuli Chriſti. Quod exponens Beda dicit, quod Ioannes vinum & Siceram non bibit: quia ille abſtinentiæ meritum auget, cui potentia nulla ineſt naturæ. Dominus autem, cui naturaliter ſuppetebat delicta donare, cur eos declinaret, quos abſtinentibus poterat reddere puriores?

Ad tertium dicendum, quòd ſicut Chryſoſt. dicit ſuper Matth. Vt diſcas quàm magnum bonũ eſt ieiunium, & quale ſcutum eſt aduerſus diabolum, & quoniam poſt baptiſmum non laſciuiæ, ſed ieiunio intendere oportet, & ipſe ieiunauit, non eo indigens, ſed nos inſtruens. Non autem vltra proceſſit ieiunando, quàm Moyſes & Helias, ne incredibilis videretur carnis aſſumptio Et poſt pauca. Nec tamen incongruum fuit, vt Chriſtus poſt ieiunium & deſertum, ad communem vitam rediret: hoc enim conuenit vitæ, ſecundum quam aliquis contemplata alijs tradit, quam Chriſtus dicitur aſſumpſiſſe, vt primò contemplationi vacet, & poſtea ad publicum actionis deſcendat, alijs conuiuendo. Vnde & Beda dicit ſuper Marc. Ieiunauit Chriſtus, ne præceptum declinares, manducauit cum peccatoribus, vt gratiam cernens, agnoſceres poteſtatem.

Ex his dijudicet Lector, an Societas meritò

ritò reprehendenda ſit, quòd non obſeruet eam vitæ exterioris auſteritatem, quã Monachi nonnulli obſeruant, ſed potiùs inſiſtat veſtigijs Chriſti, *vt omnes Chriſto lucrifaciat*, qui eſt regula & menſura omnis *perfectionis*. Etſi enim auſtera, vita ſit valde apta ad hominum animos in meliorem vitam traducendos, non tamen eſt vnica & ſola, ſed, vt rectiſsimè idem S. Thomas ſcripſit, in cap. 11. Matthæi, *dupliciter homines attrahuntur ad bonam vitam; quidam enim per ſpeciem ſanctitatis, alij per viam familiaritatis. Dominus & Ioannes diuiſerunt ſibi duas vias. Ioannes, imò Dominus per Ioannem, elegit ſibi viam auſteritatis; per ſe elegit viam lenitatis.* Ideo iuſtiſsimè inuehitur S. Bernardus in Apologia ad Guiliel. Abbatem, in eos, qui aſperiorem vitam ipſi viuentes, culpant alios, qui viuunt leniorem. *Tu ſi tuum corpus*, inquit, *multis ac nimijs laboribus atteris, ac regularibus aſperitatibus mortificas membra tua, quæ ſunt ſuper terram, bene facis. Sed quid ſi ille, quem ſimiliter non laborantem dijudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum vtilis eſt, corporali videlicet exercitatione, amplius autem, quàm tu de illa, quæ ad omnia valet, id eſt pietate?*

Sequi Chriſtũ non eſt imperfectionis.

Etſi porrò S. Ignatius in Conſtitutionibus Societatis particulatim nullas certas corporis afflictationes cuiquam præcipiat; idq; ob maximam & officiorum, & perſonarum varietatem, nihilominus cùm indu-

Quomodo etiam aſperitates corporis habeant in

Societa-te locum.

bitatum ſit, eas ad Spiritualem profectum quamplurimum afferre emolumenti, & viro religioſo, præſertim cui quotidie inter homines verſandum eſt, nullo modo eſſe negligendas, ſiue ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis præteritis, ſiue ad cauendum ſibi à futuris, ſiue ad proficiendum in virtutibus, cumulandúmq; *meritórum* numerum, in ijſdem Conſtitutionibus abunde ſatis prouiſum eſt, ne aliquid in hóc genere cuiquam deeſſet. Confeſtim enim in dicto Examine c. 1. §. 6. ſubditur: *Sed illas* (ſcil. corporis afflictiones) *aſſumere quiuis poterit, quæ ſibi videbuntur* (*cum approbatione Superioris*) *ad maiorem ſui ſpiritus profectum conuenire, & quas propter eundem finem Superiores eis poterunt imponere.* Quibus verbis clariſsimè indicatur, Superioribus curæ eſſe in Societate debere (qua in re ipſorum *onerantur conſcientia*) vt ſi quis ſociorum ſit, qui non ſponte ſua, quoad per valetudinem licet, ad edomandas appetitiones ſuas prauas, cum Apoſtolo ſtudeat, *caſtigare corpus ſuum, & in ſeruitutem redigere*, ipſi pro auctoritate ſua cum tali agant, ab eóque macerationem carnis in diuino famulatu tam vtilem, ad præſcriptum exigant: quorum imperio nulli fas ſit reluctari. Videmus igitur ſtatas quidem *pœnitentias*, vt vocant, & *aſperitates*, à Societatis Legibus non eſſe impoſitas, nihilominus tamen ad quaſlibet earum, graui obligationis vin-

Superiorũ in Societate cura, ne negliga-

vinculo vnumquemq; Sociorum adſtringi, quoties Superioribus viſum fuerit. tur corporis mortificatio.

Qua ratione fit, vt maius vigeat in Societate *pœnitentiæ* exercitium, quàm ſi certa aliqua regula fuiſſet præſcripta, vt bene demonſtrat Suarez lib. 1. de Inſtituto Societ. c. 9. n. 14. & Alphonſus Rodericus parte 2. Exercitij de perfectione Tract. 1. c. 7. Deinde fit etiam hoc pacto, vt *pœnitentia* in Societate non tantùm ſit *pœnitentia*, ſed etiam ſingularis actus *humilitatis & obedientiæ*; dum nempe ſe Superioris arbitrio in hac re totum vnuſquiſq; permittit, atq; ad illius nutum & voluntatem componit: quod vehementer probârunt Baſilius in Conſtit. monaſt. c. 20. & reg. 45. ex fuſiùs diſputatis: Caſsianus Collat. 4. c. 20. Benedictus in c. 49. ſuæ regulæ: & Abbas Plato, qui (vt apud Palladium in hiſtoria SS. refert S. Theodorus in eius Vita) dicere ſolebat. *Corporis afflictiones, humicubationes, vigiliæ, & huiuſmodi per ſe laudabilia eſſe concèdet aliquis: ſed nihil tamen expedit, imò verò & ruinæ cauſam illam eſſe affirmamus,, qui ſuo abritrio in his faciendis vtitur, niſi eius, qui praeeſt, ductu & regula dirigatur.* Fructus pœnitentiæ in Societate.

Neque abs re fecero, ſi vlteriùs addam ex Franciſco Suarez lib. 1. de Inſtit. Soc. cap. 9. n. 18. *finem & labores huius religionis hoc eſt, Societatis, adeo perfectos eſſe ex genere ſuo, vt auſteritati corporis præferendi ſint, quatenus hi cum illa coniungi non poſſunt; iuxta illud Pauli 1. Timoth.* Qomodo Societas alijs cõpenſet vitæ auſteritatẽ exteriorem.

moth. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia.* imò hanc qualemcunq; perfectionem, quæ ex *auſteritate* iſta religionis Ordinibus accedit, *poſſe eminenter contineri in alijs laboribus & afflictionibus maioris momenti, & ſuppleri per deſiderium exterioris pænitentiæ grauioris, ex magno affectu interioris pænitentiæ, præſertimq; per voluntatis abnegationem, in qua Religioſi perfectio conſiſtit, vt dixit Ioan. Climacus in grad.* 1. *perfectionis, & Bonauentura in ſpeculo diſciplinæ. p.* 1. *c.* 4.

Hanc certè *abnegationem* voluntatis propriæ, & *indifferentiam* vt vocant, ad omnia moderatorum mãdata qantumuis difficilia promptè, hilaréq; perficienda, non ſolùm grauiſsimè & ſæpiſsimè inculcauit Socijs Sanctus Ignatius in ſuis Conſtitutionibus, verùm etiam in peculiari Epiſtola de Obedientia, *voluit in eadem virtute eos eſſe præſtantiſsimos.*

Quanta exigatur in Societate Obedientia.

Ab alijs Religionis Ordinibus, inquit, *faciliùs patiamur ſuperari nos ieiunijs, vigilijs, & cætera victus cultúſq; aſperitate, quam ſuæ quiq; ritu ac diſciplina ſanctè ſuſcipiunt; vera quidem ac perfecta obedientiâ, abdicationeq; voluntatis atq; iudicij maximè velim, fratres cariſsimi, eſſe conſpicuos, quicumq; in hac Societate* DEO *Domino noſtro deſeruiunt, eiuſdemq; Societatis veram germanámque ſobolem hâc quaſi nota diſtingui.* Quanta autem virtus ſit obedientia, ex illo prophetæ oraculo cognoſci poteſt, quod habetur 1. Reg. 15. *Melior eſt obe-*

di-

dientia, quàm victima, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum: Quibus verbis clariſsimè obedientiæ precium ſignificatur; quod tantum eſt, vt, S. Thoma iudice, 2. 2. q. 186. a 8. inter tria vota Religionis teneat principatum; idq́ ob triplicem cauſam. 1. *Quia per votum obedientiæ aliquid maius homo offert* DEO, *Scil. ipſam voluntatem, quæ eſt potior, quàm corpus proprium, quod offert homo* DEO *per continentiam, & quàm res exteriores, quas offert homo per votum paupertatis.* 2. *Quia votum obedientiæ continet ſub ſe alia vota, ſed non conuertitur. Nam religioſus etiam ſi teneatur ex voto continentiam ſeruare & paupertatem, tamen hæc etiam ſub obedientia cadunt: ad quam pertinent multa alia præter continentiam & paupertatem, ſeruare.* Quod adeò verũ eſt, vt nonnulli *religioſi*, velut Carthuſienſes & Benedictini, in ſua profeſsione ſolius voti obedientiæ expreſſam faciant mentionem: *promitto obedientiam ſecundum regulam.* 3. *Quia votum obedientiæ propriè ſe extendit ad actus propinquos fini religionis. Quanto autem aliquid propinquius eſt fini, tanto melius eſt.* Atqui obedientia mandare ſolet ea, quæ tendunt ad finem cuiuſq́ religionis conſequendum: v. g. in Societate (cui propoſitum eſt ad ſalutem cùm propriam, tum alienam incumbere) præcipit certis horis precationi, contemplationi, lectioniq́ ſpirituali vacare; alio tempore peccata confitentibus aures dare, in

Voti obedientiæ prærogatiua inter tria vota eſſentialia.

in Eccleſia populum, in Scholis iuuentutem erudire. Tandem concludit S. Thomas, *Votum obedientiæ eſſe Religioni eſſentialius cæteris, adeóq; per hoc maximè aliquem pertinere ad ſtatum Religionis. Si enim quis abſq; voto obedientiæ voluntariam paupertatem & continentiam etiã voto ſeruet, non propter hoc pertinet ad ſtatum Religionis.* Annon ex hoc diſcimus, veriſſimum eſſe, quod dixit S. Auguſtinus lib. 1. cont. Aduerſar. Legis c. 14. *Obedientia maxima virtus eſt omniúmq; virtutum origo ac mater?* & S. Gregorius lib. 35. moral. c. 10. *Obedientia ſola eſt, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertáſq; cuſtodit?*

Teſtimonium S. Thomæ.

Quamobrem perpendat animo Lector, an veritati congruat, quod tantopere exagitat Scioppius, Ieſuitas *eſſe ſuaues animæ ſuæ*, hoc eſt, (vt ipſe interpretatur fugere omnia moleſta, ingrata, ſeuera & auſtera. Cùm enim ipſe Scioppius Societati hanc laudem à nemine rogatus, aut coactus, vltrò (in Eccleſiaſtico ſuo pag. 55.) tribuat, *ſe non vidiſſe magis* (obedientes) *quàm Ieſuitas*, nonne conſequens eſt, ipſo iudice, in Societate plus quàm in alijs Ordinibus vigere ac florere *obedientiam religioſam?* quæ ſi *maxima virtus eſt; ſi mater & origo aliarum; ſi ſola cæteras menti inſerit, inſertáſq; cuſtodit;* quomodo fieri poteſt, vt eiuſdem Scioppij ſententiâ, Societas ſit Religio tam imperfecta? tã omnis auſteritatis impatiens? tam fine ſuo parùm

Scioppius alibi teſtatur ſummam in Societate vigere Obedientiã.

rûm accommodata? Audiamus loquentem; *Haud vidi* (inquit,) *magis* (obedientes) *quam Ieſuitas, cùm obedientia demum illud ſit, quo plerique Societatis eius Inſtitutum præ cæteris religioſorum ac monachorum Sodalitatibus alioquin adamantes, ab eius ingreſſu abſterreri ſolent, eámque rem lippi & tonſores nôrunt, neque ipſe Rex Angliæ neſcit, ſi quis Ieſuita ſiue à Pontifice, ſiue à Præpoſito ſuo in Angliam proficiſci iubeatur, eum ex voto, quo ſe ad parendum obſtrinxit, ac velut Sacramento dicto auctorauit, confeſtim illuc ad paratam ſibi crucem, mortemque perſpicuam abiturũ.* Quid ais Scioppi. Si lippi & tonſores nôrunt tam multos ab ingreſſu Societatis abſterreri per eam obedientiam, quâ parendem ſit, etiam duriſsima quæque, cum certo mortis periculo coniuncta imperantibus, nonne manifeſtam, & vniuerſis notam veritatem impugnas, & teipſum turpi antilogia ridiculum facis, dum Ieſuitas ab omni ſtudio *mortificationis* tam eſſe alienos ac remotos, tanta contentione propugnas? Quid enim tam durum, támque aſperum eſt, quod ſub tale obedientiæ votum quale tu de Ieſuitis prædicas, non cadat?

Antilogia Scioppij.

§. V.

De Hoſpitalitate & beneficentia.

PRincipio capitis vigeſsimi ita commendat Scioppius beneficentiam & hoſpitalitatem, vt exiſtimet, vix poſſe vllum fructum ab ijs in munere *prædicandi*, ſperari, qui eiuſmodi liberalitatem non exercent, neq; etiam aliqua corporum emolumenta proximis afferunt. *difficile enim eſſe*, S. Gregorij ſententiâ, 2. parte Paſtoralis, c. 8. *vt quam libet rectè denuncians prædicator audiatur, ſi non diligatur. Vix autem diligi, à quo nihil homines accipiunt. Quare quoq; eiuſdem S. Gregorij iudicio* c. 7. *Euangelij hæreticis & gentilibus prædicandi prouinciã nemini rectiùs mandari, quàm monachis hoſpitalitatis & beneficentiæ legibus obligatis, & paupertatem oneroſam colentibus.* Talibus à DEO dari, *vt Victores diſcedant, animáſq; diabolo raptas in Triumpho ducant, quomodo Apoſtolos feciſſe Actor.* 4. *narratur. Virtute magna Apoſtoli teſtimonium reddebant Chriſto, & gratia magna erat in omnibus illis; nemo enim erat egens inter illos: quia diſtribuebatur ſingulis, prout cuiq; opus erat.* His conſequens eſſe, Societatem admodum improuidè, miniméq; ad finem ſuum obtinendum conuenienter à S. Ignatio inſtitutam fuiſſe; quippe qui in Conſtitutionibus ſuis neglexerit rem omnium maximè ad procurationem alienæ

ſa-

ſalutis neceſſariam, videlicet Beneficentiam & Hoſpitalitatem, qualem S. Benedictus ſuis alumnis præſcripſit.

Reſpondeo à nullo prudenter credi poſſe, Scioppium meliùs intelligere, quid ad ſalutem aliorum procurandam vel neceſſarium ſit, vel prę alijs conducibile, quàm intellexerint tot Summi Pontifices & Patres Oecumenici Concilij Tridentini, qui Societatis Inſtitutum diligētiſsimè examinarunt, pleno ore laudarunt, & authoritate maxima confirmârunt. Cùm ergo hi cenſuerint, Societatem ea viuendi ratione, illiſque variorum munerum functionibus, quæ in Conſtitutionibus exprimuntur, valde vtiliter laboraturam eſſe in Eccleſia Dei, plurimorúmque ſaluti conſulturam, tametſi ad hoſpitalitatem exercendam, non item, vt Benedictini, adſtringatur, certiſsimum eſt, iterum gnauiter impudentem ac temerarium eſſe Scioppium, *ne plus dicam*, qui tam manifeſtæ veritati, tantorúmque Pontificum grauiſſimo judicio auſus eſt palàm obluctari. Plus credendum ſummis Eccleſiæ Paſtoribus, quā Scioppio.

Sed & peſsimè abutitur exemplo Apoſtolico Actorum 4. truncatéque adductis S. Scripturæ verbis: quibus non tantùm dicitur; *nemo erat egens inter illos*; verùm additur quoque; *nec quiſquam eorum, quæ poßidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Oſtende mihi nunc monaſterium, ſtudio Hoſpitalitatis in Germania deditum, Scioppius iterum malè adducit ſcripturam.

ditum, quod ea, quæ poſsidet, dicat *eſſe non ſua*, ſed omnibus Chriſtianis communia.

Deinde ipſi Apoſtoli per ſe iſtam Hoſpitalitatem exercere noluerunt, ſed alios huic *miniſterio* præpoſuerunt, vt Actorum 6. docemur: Cur hoc? Audi: *Conuocantes enim multitudinem diſcipulorum dixerunt, Non eſt æquum nos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo Fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu S. & ſapientia; quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Quæ ſatis oſtendunt, potiùs impedimento fuiſſe Apoſtolis illam Hoſpitalitatem, ſeu bonorum temporalium curam, quàm adiumento: aliòquin ſe hoc officio non abdicaſſent. Etſi enim à nonnullis SS. Patribus ille locus etiam *de menſa Eucharistica* intelligatur, *de menſa* tamen *profana*, ac diſtributione earum rerum, quæ ad pedes Apoſtolorum collectæ fuerant, pariter intelligenda eſſe, magna cõſenſione ijdem docent. Cùm ergo Societas à Sede Apoſtolica eò potiſsimum deſtinata ſit, idque *Fundationes* Collegiorum expreſsè poſtulent, vt ſalutem aliorum, docendo in templis & ſcholis, ac Sacramenta adminiſtrando procuret, clariſsimum eſt, nobis vitio verti non poſſe, quod Hoſpitalitatem non ita exerceamus, quemadmodum nonnulli alij Religioſi ſolent, qui ab his occupationibus ſunt liberi. Præſertim cum Domus profeſſæ omnibus omnino ſtatis prouentibus careant,

Quale ſit Apoſtolorum exemplũ in exercenda hoſpitalitate.

Apoſtolos imitantur Ieſuitæ.

ant, nec niſi ex corrogatâ ſtipe viuant; Collegiorum verò plerorumque annua vectigalia tam moderata ſint, vt vel parciſsimè alendis tot operarijs aliquando vix ſufficiant.

Non infitiamur, rem laudabilem Deóque gratam eſſe *Hoſpitalitatem*, quam etiam Apoſtolus ad Hebræos. 13. iuſtiſsimis laudibus effert: *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci. Per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis. Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Plus tamen Apoſtolus non vult, quàm vt ij *hoſpitalitatis* meminerint, quibus eſt dandi aliquid egenis facultas, quíque alijs magis neceſſarijs actionibus, *vi vocationis ſuæ*, non impediuntur, quo minùs huic charitatis operi ſe impendere poſsint. Si tamen munus prædicandi, & alia maioris momenti ſimul cum Hoſpitalitate nequeant exerceri, Apoſtolorum indubitato exemplo diſcimus, nos iſta lege obligatos neutiquam eſſe. *Non enim eſt æquum* (inquiunt) *nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Hoſpitalitas Deo grata.

Nolim tamen ignoret Scioppius, etiam Ieſuitas, vbi facultas ſuppetit, non omnino nullam exercere hoſpitalitatem. Nemo enim ex aliorum Ordinum Religioſis, vel pauperum Sacerdotum, ad illos venit, cui non omnem exhibeant charitatem; quorum non pauci ſolent, nec rarò, ad Ieſuitarum Collegia diuertere, & religioſa noſtra

tenui-

tenuitate eſſe contenti: vt ſileam de egentioribus ſtudioſis, & alijs pauperibus, quorum complures obſident quotidie fores Ieſuitarum, à quibus ſine eleemoſyna non diſcedunt; vnde mirati ſunt ſæpenumero ipſi hoſtes noſtri Sueci, quando Dilingam per biennium & ampliùs in poteſtate habuerunt, ex illo paupere Collegio tam multos pauperes ali, quorum tunc ingens numerus ex vicinis pagis in ciuitatem, metu militum, confluxit.

S. Gregorius nil facit pro Scioppio.

S. Gregorius à Scioppio in teſtem productus nil aduerſatur nobis. Non enim is loquitur vniuersè de omnibus, qui alienæ ſaluti procurandæ nauant operam, ſed de Prælatis & moderatoribus religioſorum cætuum, quos ratione officij, in quo ſunt conſtituti, ſuorum domeſticorum curam oportet gerere; hos monet, vt non putent ſe munere ſuo eſſe defunctos, ſi religioſos ſibi ſubditos adhortationibus tantum & vituperationibus conentur ad meliora traducere, ſed ijs etiam de neceſſarijs corporis eſſe prouidendum; alioqui incaſſum laboraturos, neque beneuolis auribus concionaturos, ſi tantùm acribus verbis vitia incurſent, & non item benignis manibus inopiam leuent. Atque hoc agit S. Gregorius tam cap. 7. quàm 8. vbi tamen diligenter *Prælatos* admonet, *Vt internorum curam in exteriorum occupatione non minuant.*

Quare

Quare ſi ad amuſsim Dialecticam Scioppij argumentum examinemus, nihil penitus ei ineſſe roboris videbimus Sic enim ratiocinatur; difficile eſt, vt Prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur, teſte S. Gregorio. Sed is, à quo homines nihil accipiunt, (id eſt, qui non exercet hoſpitalitatem) vix diligitur. Ergo talis Prædicator vix, aut difficile auditur. Falſa profectò eſt *minor:* quia poſſunt eſſe adhuc aliæ cauſæ, cur te alij diligant, tametſi abs te nihil accipiant. Quid enim tritius illo prouerbio: *Similitudo eſt mater amoris?* & tamen ſimilis à ſimili ſæpenumero nec pilum accipit. Ergo non ſola beneficentia conciliat amorem, ſed & alia amoris dantur ſemina & incitamenta, vt fatetur ipſe Scioppius c. 19. vbi etiam per *famam bonam* ait colligi gratiam apud homines. Equidem S. Franciſcus à plurimis impensè diligebatur, *libentérque audiebatur:* & tamen, quia omnia ſua Dei causâ reliquit, & nudus nudum Chriſtum ſecutus eſt, hoſpitalitatem exercere non potuit. Cuius veſtigijs laudabiliſsimè inſiſtunt plurimi ex eius Familia; ſed & alij *mendicantes Ordines,* idem magno Zelo factitant: quos omnes maledicè ſuis telis impetit hîc Scioppius, grauitérq; ſugillat, velut ineptos, aut parùm idoneos ad prædicationis officium, quòd hoſpitalitatis exercitijs non ſint pariter addicti.

Argumētum Scioppij inualidum eſt, ſi ad trutinam appendatur.

Etiā alios religioſos mēdicantes hîc impetit Scioppius.

Sciop. pugnat Scioppius.

In quo planè ſecum ipſe pugnat Scioppius, qui toto capite 12. 13. & 14. valde contendit, neminem eſſe magis aptum ad *Euangelizationem* fructiferam quàm illos, qui totam ſuam vitam contemplationi deputant, quiq; ad exemplum Mariæ Lucæ 7. ad pedes Domini ſeſsitantes, *cum ipſo vnum fieri* ſtudent, *quod Chriſto longè gratius accidat, quàm quicunque labor ipſius, & proximorum cauſa ſuſceptus;* qualem & Martha exercuit, quando *ſatagebat circa frequens miniſterium & turbabatur erga plurima.*

Quæ ſi vera ſunt, quomodo nunc ait Scioppius pag. 74. *nemini rectiùs, quàm hoſpitalitatis legibus obligatis prouinciam Euangelij, hæreticis & gentilibus prædicandi mandari?* Hoſpitalitas enim Marthæ, non Mariæ officium eſt; neque poteſt ab eodem homine ſimul vtrumque exerceri. Qui autem diuerſis temporibus vtrumq; exercet, non ſoli contemplationi vacat, cùm perſpicuum ſit, inter contemplationem diuinorum, & hoſpitalitatem perplurimùm diſconuenire. Nec facilè intellectu eſt, quomodo is totam vitam ſuam contemplationi deputauerit, qui ſe quoque hoſpitalitatis legibus obligauit.

Scire præterea cupio ex Scioppio, annon & ipſe putet ſe *libenter audiri*, ac *diligi* à multis? & quidem à Principibus, Regibus, ac ipſo Cæſare? Id enim crebrò grandibus de ſe prædicat verbis: præſertim cùm ſe *Cæſarium* & *Regium Conſiliarium* appellat.

Quo

Quo ergo anno, quo loco, erga illos, à quibus diligitur, ſingulatim verò erga Principes, Reges & Cæſarem, tam liberalem exercuit hoſpitalitatem, vt hunc amorem meruerit? Hoc ſcio. hoſpitem illum apud alios ſæpenumero & perdiu fuiſſe; alios tamen ab illo multa accepiſſe, haud mihi conſtat. Quomodo igitur tam difficile eſt, vt ille diligatur, (quemadmodum vult Scioppius) *à quo homines nihil accipiunt*? Si dicat, ſe alios ſuis ſermonibus, ſuis litteris, ſuis libris, ſuis Conſilijs erudiiſſe, quod pluris ſit, quàm cibis famelicum farcire ſtomachum, aut pecunijs languentem crumenam refeciſſe; Ecce! non cedunt Scioppio Ieſuitæ, qui & ipſi non ſegniter laborant, vt alijs in hoc genere ſint emolumento. Qui ergo ea bona à Ieſuitis accipiunt, quibus exornatur animus, formantur boni mores, dirigitur ad æternam beatitatem vita, tu illos nihil ab ijs accepiſſe dixeris? Non deſunt igitur honeſtiſsimæ actiones, quibus Ieſuitæ, etiam abſque Hoſpitalitate, & ſibi amorem, & doctrinæ ac *prædicationi* ſuæ fidem atque authoritatem apud homines conflare queant.

An verò *rectiùs prouincia Euangelij, hæreticis & gentilibus promulgandi mandetur ijs*, quorum *Inſtitutum*, & diuina, vt appellant, *Vocatio* eſt, vt vitam *merè contemplatiuam* agant, quàm ijs, quorum Regulæ & profeſsio publica authoritate ſedis Apoſtolicæ firmata,

illuc per ſe ſpectat, vt non ſolùm ſuæ, ſed & alienæ ſalutis curam diligentiſsimam gerant, aliorum, qui rationem non perdiderunt, judicio relinquo. Scioppium tamen falſitatis ac leuitatis ex epiſtola Scioppij conuinco; quam ad illuſtriſsimum quendam virum tota Germania notum Romam ante ſex annos ſcripſit in hæc verba.

Scioppij litteræ, ex quibus confutatur bona pars Aſtrologiæ Eccleſ.

Ill: me & Reu: me Domine.

Minimè æquum puto, dum ego in Germania magno meo ſumptu, nec nullo maxima inuidiæ in me concitandæ periculo reip. Satago, & vtilem Eccleſiæ ac religioni Catholicæ operam nauare, relictis rebus ſtudeo, te otioſum Romæ deſidere, & quemadmodum eſt apud Lucretiũ, Talibus in rebus communi deêſſe ſaluti. *Rectè proinde facturus mihi videor, ſi nonnulla tibi ſubyciam, quæ ſummo Pontifici, ac DD. Cardinalibus curæ eſſe oportet, ſi optatum edicto Cæſareo exitum reſpondere, & Luculentiſſimos Eccleſiarum, ac Monaſteriorum redditus tanto poſt recuperari, & ad fidei Catholicæ conſeruationem, ac propagationem conuer-*

conuerti exoptant, quemadmodum eos pro ſua pietate ac prudentia facturos magnopere confido.

Ac primùm quidem omnium, vt Catholica fides in tot vrbes ac Prouincias latiſſimè, potenter, feliciter reducatur, cōſiderare oportet, quantus operarum numerus tam ingenti meſſi ſit neceſſarius. Inferior Saxonia regni minimè exigui inſtar habet, nec adhuc apparet, vnde terrarum Sacerdotes ad animarum curam idoneos ei Prouinciæ proſpicere poſſimus. Eius inopiæ argumentum Inferior Palatinatus præbet, vbi etiam Ieſuitæ omnia ſæcularium Sacerdotum munia ipſi obire neceſſe habent, niſi populos illos deſtitutos viuere velint, vt neque Catholicis, neque hæreticis animarum curatoribus vtantur. Quid iam in Sueuia futurum putabimus, cuius multò plurimas Eccleſias, & Monaſteria Catholicis mox reſtitui oportebit, ſi Cæſar, quod oſtendit, in ſententia maneat, & edicto ſuo pareri velit?

rus pietate, ac litteris imbuatur. Ego ſi alios, quàm Patres Societatis IESV ei rei nôſſem idoneos, eorum operam non modò non aſpernandam, ſed vltrò obuijs vlnis complectendam arbitrarer. At enim res ita eſt, vt etiamſi non omnia, quæ apud Ieſuitas video, ſatis ſe mihi probent, negare tamen nec velim, nec audeam, ipſis, poſt DEVM hanc deberi gratiam, quod Catholica religio ex vniuerſa Germania exulatum non iuerit. Tum hoc quoque verum eſſe comperio, iam inde ab eo tempore quo Germania Catholicam fidem ſuſcepit, nunquam tot, tamque inſignia Monaſteria cùm probis, tum egregiè doctis monachis ita plena fuiſſe, vt hodie in Sueuia ſola videmus, vnde aliarum quoque Prouinciarum ſibi Prælatos, & Antiſtites Inſtaurandæ religioſæ diſciplinæ cauſâ adſciſcunt, vt hoc nomine alia regna, cur Germaniæ inuideant, habere videantur. Optimè proinde fiet, ſi verbi gratia ex vno VVittenbergico Monaſterio, cuius an-

nui reditus ſint viginti florenorum millia, quatuor Ieſuitis Collegia conſtituantur, vbi & humanas, diuináſque litteras doceant, & quemadmodum Dilingæ feliciter adhuc fecerunt, Monachorum & Clericorum Eccleſiæ miniſterio deſtinatorum curam gerant. Quæ ipſa in Saxonia, Palatinatu, aliiſque Prouincijs ratio ſeruari poterit, niſi tamen aliam meliorem Summus Pontifex ab alijs edoctus fuerit, &c. Hæc in præſens habui, quæ per te Sanctiſſ.° D. N. & Eminentiſsimis DD. Cardinalibus, præcipuéque Barberino & Caponio verbis meis, vnà cum ſalute cultus & obedientiæ pleniſsima, nunciari velim. Alia ſcribam Ratiſponâ, quo nunc propero. Vale, meque vt facis, ama. Auguſtæ à d. 13. Iulij Anni 1630.

Tui obſeruantiſsimns.

Gaſpar Scioppius.

Quid

Quid iam tibi videtur Lector? An Fide dignus eſt, qui aliud ſtans, aliud ſedens, aliud clàm, aliud palàm ſcribit? Hanc autem epiſtolam eſſe à Scioppio ſcriptam, teſtatur R.mus & Ill.mus Epiſcopus Auguſtanus, cui eam legendam ipſe dedit apertam, & vnicâ tantùm guttula Hiſpanicæ ceræ claudendam, quam & legit Princeps, & duo Conſiliarij illius, Romámque miſit: ſed & Romæ eius deſcribendæ copia facta eſt amico cuidam meo; vt dubitari non poſsit, quin Romam venerit.

Quæ hodie laudat, cras vituperat Scioppius.

Accedit, quòd & in alijs ſuis publicis libris, non valde his abſimilia ſcripſerit. In Mulſi Fidelia Moguntiæ anno 1621. typis emiſſa ita loquitur pag 118. & 119. *Vidi Dilingæ magnum monachorum numerum ex variis Sueuiæ Monaſterijs ad Academiam illam miſſorum, qui auſpicio atque ductu Societatis IESV ad tutandam Catholicæ fidei veritatem, & Religionum inſtaurationem diuinitus excitata, humanioribus litteris & Philoſophiæ ac Theologiæ ſtrenuè operantur: quos vbi confecto ſtudiorum curriculo Antiſtites ſui reuocauerint, alios in eorum locum ſubmittent, quibus ſimiliter alij, Deo iuuante, deinceps ſuccedent, vt vſque in Hortos Dei, ſiue Monaſteria, ex Dilingenſi iſto Seminario, ligna felicia & fructifera transferantur, quæ dent fructum in tempore ſuo, quorúmque folia non defluant.* Pſalmo primo. *Quæ per ſingulos menſes afferant primitiua, quorúmque fructus ſint in*

cibum & folia ad medicinam. Ezech 37.

Amphotides verò Scioppianæ Pariſienſis editionis anno 1611. pag. 128. & 129. hæc habent: *Sed quàm quæſo ridiculus es,* (Scaligerum alloquitur) *cùm odium Ieſuitarum Scioppio obijcis, eoque velut atheas, ſiue impietatis argumento vti videris? Quid enim tibi gratius accidere poſſet, quàm in Ieſuitas ſiue verbis, ſiue opere malè conſulere? quis neſcit te ſceleratæ illius Inſcriptionis, quæ in Pyramide Parienſi Ieſuitarum aduerſaria viſebatur, auctorem fuiſſe, qua poſt rectè atque ordine euerſa & ſublata, non te ſimul inuidia & dolore dirupiſſe mirum eſt? Inire ergo à te gratiam debebat Scioppius, ſi Ieſuitis & ipſe inimicus eſſet, At enim ipſe tametſi non omnes omnium Ieſuitarum actiones probat (ſicut nec ipſius actiones omnibus Ieſuitis placent) neque etiam vt multum, Italis præſertim & Græcienſibus Ieſuitis blandiatur, animum inducere poteſt, vniuersè tamen Societatis Ieſu inſtitutum ab ipſo Deo auctore profectum, totiq; reipub. Chriſtianæ non modò ſummopere vtile, ſed omnino etiã neceſſarium eſſe credit, cui ſi conuenienter viuant, qui religioſo Sacramẽto ei ſe obſtrinxerunt, propediem fore confidit, vt ad tibicines mittatur, Hæreſiq; leſſus fiat, neque cuiquam ſine ſcelere aliter videri poſſe, perſuaſum habet.*

Hæc Scioppius, quibus omnia, quæ ille hucuſque aduerſus Inſtitutum Societatis diſputauit, clariſsimè contradicuntur & euertuntur: adeò ſcilicet conſtans eſt in ſuis

verbis

verbis iſte Aſtrologus, vt velut Luna in dies ſingulos mutetur, & quem heri ſupra ſidera extulit, hodie ſtigijs paludibus demergat.

Animaduerſio quinta.

NOn tantùm temerè impugnat Scioppius, quæ ſancta, quæ vtilia, quæ ab Eccleſia Catholica ſunt approbata, ſed etiam iniuriosè multa crimina imponit alijs, quæ nullo modo confirmat: & quia validis machinis honorem Societatis labefactare non poteſt, ſaltem id agit, vt puluerem aliquem illius innocentiæ per huiuſmodi mendacia & calumnias aſpergat.

Calumnia eſt 1. cum vocat Ieſuitas c. 3. pag. 10. *geminos germanos eorum, quos 2. Corinth. 11. D. Paulus* nominat *pſeudoapoſtolos, operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in apoſtolos, Chriſti, dolosè tractantes & cauponantes Verbum Dei; inimicos Crucis Chriſti, quorum Deus Venter eſt, qui terrena ſapiunt, &c.* Ad Philipp 3. 2. Calumnia eſt cum Societatem appellat cap. 4. pag. 15. *Sodalitatem hominum religioſorum, qui Phariſæorum more dicunt, & non faciunt.* 3. Calumnia eſt, cap 4. pag. 15. *à Clericis* Societatis *derideri monachorum paupertatem, & humilitatem, tanquam litteras neſcientium & ſtolidorum.* 4. Calumnia eſt cap. 5. pag. 18. *à Societate fraudulentam paupertatem exerceri, & Deum Patrem omnipotentem non credi, ſed odio haberi.* 5. Calumnia eſt, cap. 5. pag. 20. *Ieſui-* Calũniæ in Ieſuitas Scioppianæ.

tas impendioſè templa ædificare, & argento homines emungant, & victum neceſſarium alijs pauperibus præripiant. 6. Calumnia eſt eod. cap. pag. 21. *Deum omniſcientem à Ieſuitis minimè credi, cùm ſe hypocriſi ſuâ & auaritia, paupertatis pallio operta, Deo imponere, fucúmque facere arbitrentur, & iniuriam, qua pauperes quibus ſua illa venatione, aucupio, vel piſcatu panem, id eſt, ſanguinem & vitam præripiunt, & homicidij nefas contrahunt, oculis Dei patere, ab eoque vindictam flagitare non credant.* 7. Calumnia eſt cap. 11. pag. 41. *à Ieſuitis non annunciari ea, quæ Apoſtoli in Chriſto viderunt & audierunt.* 8. Calumnia eſt ibid. *Ieſuitas non modo non exſoluere, quod non rapuerunt, ſed etiã ad maiorem Dei gloriam rapinas concupiſcere,* (pſal. 61.) *nec vllam alienis fundis & patrimonijs potiendi occaſionem prætermittere.* 9. Calumnia eſt pag. 42. *Ieſuitas paupertatis voto minimè ſimpliciter agere, ſed ambulare in aſtutia, fucúmque hominibus facere.* 10. Calumnia eſt ibid. *Ieſuitas partim meritis ſuis extollendis, alienis deprimendis, partim peccatis diuitum & potentum ſiue ſilentio alendis, ſiue excuſatione & venia proſequendis & incendendis, partim Phariſæorum artificia imitando, homines auro & argento callidè emungere.* 11. Calumnia eſt cap. 14. pag. 51. *Ieſuitas ſtolidè in laboribus alienis gloriari.* 12. Calnmnia eſt, c. 12. pag. 45. *Ieſuitas nec fidem, nec Dei charitatem habere.* 13. Calumnia eſt, c. 14. pag. 52. *Parum ſæpè contin-*

contingere, ut Ieſuitæ loquantur Euangelium prout oportet, cùm ferè ſint in ſermone adulationis & auaritiæ. 14. Calumnia eſt ibid. *à Ieſuitis inſimulari monachos, quod propter ſalutem proximorum non quidquam laboris capiant; cuius contrarium fatetur ipſe* Scioppius pag. 79. 15. Calumnia eſt ibid. *Quòd Ieſuitæ ſuo Ordini velut boui trituranti monachorum prata, paſcua & pabula tranſcribi contendant.* 17. Calumnia eſt ibid. *Societatem alijs religioſis impedimentum potiùs offerre in procuranda aliena ſalute, ne rem bene gerant, quàm quidquam ad victoriam momenti facere.* 18. Calumnia eſt, c. 19. pag. 68. *Ieſuitas factis ſuis ſuſpicionem mouere, ſe vouiſſe paupertatẽ, vt paupertatem effugerent: ſimiliterq; vouiſſe obedientiam, vt non ſolùm multis puerorum & epheborum gregibus, ſed etiam principibus ac magnatibus imperarẽt.* 18. Calumnia eſt eod. cap. pag. 71. *Plus Societatẽ Eccleſiæ & ouibus Chriſti nocere, quàm hæreticos.* 19. Calumnia eſt, cap. 20. pag. 75. & 76. *Ieſuitas Ordinem S. Benedicti velut inutilem ſuis monaſterijs velle euertere.* 20. Calumnia eſt ead. pag. *à Societate Hymnodiam faſtidioſè contemni, nec niſi ingenijs ad alia inutilibus dignam cenſeri.* 21. Calumnia eſt, pag. 75. *Ieſuitas eſſe æmulos Benedictinorum, & Ordinem S. Benedicti cupere extinctum.* 22. Calumnia eſt ibid. *Eoſdem Pontificem aduerſus Cæſarem inſtigaſſe.*

Hæc, & multò plura eiuſdem generis, quæ faſtidij euitandi cauſa prætermitto, reperiun-

periuntur in Eccleſiaſtica Aſtrologia, quibus nulla cenſura alia congruit, quàm quæ ex præſcripto Imperatoriarum & Pontificiarum Legum debetur criminationibus publicis, & famoſis libellis: cuiuſcemodi has Scioppij chartas eſſe, ex ipſius Scioppij libris haud fuerit operoſum demonſtrare.

Animaduerſio Sexta.

Calũniæ Scioppianæ in Epiſcopos.

AT non ſolùm in Ieſuitas eſt iniurius, ſed & in ſacras Inſulas Grammaticum ſuum oletum ſpargit Aduerſarius. Epiſcopos enim vniuersè tam nefandorum criminum inſimulat, vt eum aut è mentis poteſtate exijſse, aut à fide Catholica in læuum latus vehementer vacillare quiuis prudens, meritò iudicare poſsit.

Incircumciſa ſunt (inquit *Epiſcoporum plerorumq; aures, & audire non poſſunt*; cap. 8. pag. 32.

Epiſcopi ſe fructuum Eccleſiaſticorum Dominos eſſe credunt, nulláq; obiecta religione peccata populi comedunt, etiam cùm vix tertiam muneris ſui partem implent. ibid.

Epiſcopi ſunt opum ſacrarum fures, & raptores, & patrimonia pauperum depeculantes ibid.

Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſq; ad auaritiam ſuam. Iſai. 36. ſcilicet *tam Epiſcopi, quàm Confeſſarij & prædicatores eorum, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Chriſti.* Ibid.

Epi-

Epiſcopi Auaritiæ & Mammonæ ſeruiunt, Deóſq; alienos colunt. ibid.

Epiſcopos oportet paupertatem colere, ſed oneroſam; aliter ſunt principes fatui & fraudulenti, & raptores & ſacrilegi, & homicidæ, & Athei, diuinam prouidentiam non credentes. pag. 23. & 24. Ex Scioppij autem ſententia vix vllus Epiſcopus talem paupertatem colit: *Incircumciſæ ſunt enim*(inquit)*Epiſcoporum plerorumq; aures &c.* vt paulo ante audiuimus: Ergo ipſo iudice pleriq; Epiſcopi ſunt *Principes fatui, fraudulenti*, &c.

Hoc ferè peccato vitioſi Eccleſiæ Principes tenentur, vt aut auari ſint, quod eſt Idola colere, aut Athei ſiue impij res humanas DEO *curæ eſſe minimè credentes.* c. 15. pag. 55.

Per pſalmodiam monachorum omnes hæreticorum conatus fiunt irriti, niſi Epiſcoporum auaritia & Atheiſmus eis ſuffragentur pag. 55. quã calũniam proſequitur pag. 56.

Epiſcopi plerique Monachorum virtutem oderunt. c. 17. pag. 60.

Hæc & plura id genus inueniuntur in Aſtrologia. Quid tibi iam videtur humaniſſime Lector? Seuero Imperatore grauiter vetuit Zepherinus Papa, ne Patriarcha, Primas aut Metropolitanus aduerſus Epiſcopũ ferrent ſententiam, niſi autoritate Apoſtolicã fulti. At Scioppius nullius fultus authoritate ſed ſola fretus Grammaticali ſua audacia, efferatum calamũ ſtringens in tot innoxios Catho-

Sciop-pius infir-mis, & Acatho-licis gra-uia offen-dicula ponit.

Catholicos Epiſcopos immanem ac barbaram profert ſententiam; quâ non ſolũ plurimis infirmis, ſed multò maximè hæreticis offendiculum ponit grauiſsimum & exitioſiſsimum; dum eos per infamem hanc accuſationem, & ſummam iniuriam, odio maximo Catholicæ fidei accendit, & exemplo maledicentiæ ſuæ ad eorundem Epiſcoporum famam ampliùs denigrandam & dilacerandam potenter impellit, atq; inſuper â ſuſcipienda Orthodoxa religione, veluti de induſtria, alienos reddit: de quo facto metuendam ad DEI tribunal redditurus eſt rationem. Licet enim in tanto Epiſcoporũ numero fortaſsis vnus aliquis dignus eſſet, *Vt fierent dies eius pauci, & Epiſcopatum eius acciperet alter*, de omnibus tamen, aut pleriſq; tam horrida, támq; infanda aſſeuerare, extremæ profectò eſt improbitatis.

Animaduerſio Septima.

De paupertate Franciſcanorum Scioppij ſcandaloſa ſententia.

QValem doctrinam tradat Scioppius de paupertate religioſa, audiamus. pag. 34. ait, *Franciſcanorum paupertatem eſſe minus mirabilem, quàm Benedictinorum. Franciſcanos enim abſtinere ab opibus, quas non habent, Benedictinos verò abſtinere etiam ab illis, quas habent. Franciſcanos etiam nihil officio egredi, ſi cupedias & ſcitamenta comedant, quibus donantur: Benedictinos autem id facientes nefas contrahere, præſcriptúmq; patris ſui parum ſartum*

tectum

rectum habere. Et pag. 22. *Benedictinos neceſſe habere, opibus ſuis abſtinere, quod non minùs arduum ſit, quam in medijs aquis ſitim tolerare: deinde non modo ad nullum peccatum, ſed neq; ad ciborum veſtiúmq; lautitias, aut ad quamcunq; ſenſuum oblectationem alijs conceſſam eas conferre: tandem in aliorum vſus eas cuſtodire ac diſpenſare & beneficentiam, & hoſpitalitatem inde exercere. Item per Regulam S. Benedicti monachis omni deliciarum genere interdici; & mandari, vt alios benignè ac hilariter accipiant, ſed ad ſuos vſus in omnibus rebus viliſsima quaque ſumant; cùm tamen S. Franciſci Regula Euangelio conuenienter liberum faciat manducare & bibere, quacunque monachis apponuntur. Itaque ſi toto anno nihil aliud pij homines Franciſcanis praebeant, quàm nectar & ambroſiam, ea cũ gratiarum actione, ſine vllo piaculo ſumi ab eis poſſent, quàm libertatem Benedictinis ſua Regula non impertitur, ſed eos etiam inter maximas opes paupere aſperóque amictu contentos eſſe imperat.*

Idem cap. 7. pag. 27. *Quoniam* inquit *Apoſtoli & 70. diſcipuli ante acceptam Spiritus S. plenitudinem nondum perfecti erant, ſed adhuc ad perfectionem tendebant, eáque de cauſa tam ardua & difficilis virtutis praeceptum ferre nondum poterant, quod etiam Chriſtus Ioann. 16. ſic ſignificat, adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, &c. Propterea Chriſtus ſatis habuit eis prioris paupertatis, de qua dictum eſt, id eſt leuis & expedita* (cùm neque in ſpeciali,

ciali, neque in communi aliquid habetur proprij) *onus imponere, per quam opes abijcerent: Sed poſtquam Spiritu S. repleti fuerunt, vt Euangelium eorum eſſet in virtute & plenitudine multa (1. Theſſ. 1.) nec tanta in eis virtus deſideraretur, ad prius illud paupertatis genus hoc alterum impedita, grauis & onerosa adiecit, vt opes nimirum admitterent, ſiue opere manibus faciendo partas, ſiue piorum hominum liberalitate collatas, ſic tamen, vt eas calcarent, nec ſibi, ſed alijs poſſiderent. De hac magna virtute ſua paſſim Paulus gloriatur, eandemque ab Epiſcopis & presbyteris requirit.* Et pag. 29. *Beatior eſt pauper dans, quàm accipiens: quod nihil aliud eſt, ac ſi diceret* (Chriſtus) *Beatitudinis maioris conſequenda medium & adiumentum eſt paupertas cum beneficentia & communionis onere coniuncta. Cui conſequens eſt, Chriſtum pecunias in loculis ad Apoſtolorum aliorúmque pauperum vſus ſeruando, non imperfectis conſulere, ſed altiorem perfectionis gradum docere, nec leuioris, ſed grauioris & difficilioris paupertatis exemplum, nec tamen niſi perfectis imitabile præbere voluiſſe. Niſi enim hoc concedatur, oſtendi non poteſt, vbi Chriſtus exemplo ſuo docuerit, Beatius eſſe eleemoſynas dare, quàm accipere, quod Epiſcopos Paulus affirmat facere oportere, tanquam perfectos, quorum officium eſt, ſuſcipere infirmos, &c.* Rom. 15. &c. denique pag. 35. ſic concludit caput nonum. *Nullum proinde eſt dubium, ſi æquè vtrique Rechabitarum exemplo obedientes ſint iuxta omnia,*

quæ

quæ præceperunt eis Patres ſui, Benedictus & Franciſcus, quin ex verbis illis Lucæ 6. Beati pauperes. & Eccleſ. 13. Beatus diues, & Actor. 20. Beatius eſt dare, quàm accipere, ſuum cuique hoc pacto tribuatur.

Beati Franciſcani pauperes, ſed diuitum ſimiles, omnia vitæ neceſſaria ab alijs accipiendo.

Beatiores Benedictini diuites, ſed pauperum ſimiles, omnia vitæ non neceſſaria alijs largiendo.

Ita Scioppius, de quo ſic ſentio. I. Eum Patribus Benedictinis minimè rem gratam præſtare, quando eos tam odiosè cum P P. Franciſcanis committit, & falſa commiſcendo, illam paupertatem, quæ cum onere hoſpitalitatis in communi aliquid proprij admittit, plùs quam par eſt publico ſcripto extollit; cuius rei teſtes audiui ex ipſo Ordine S. Benedicti integerrimos viros, qui ſibi iſtum præpoſterum laudandi modum vehementiſsimè diſplicere apertè ſignificarunt; vt proinde in hac re Scioppius nihil aliud videatur agere voluiſſe, quàm turbare pacem communem, & diſcordiam inter ſanctiſsimos Ordines excitare, quod officium ſibi ſumit ille Spiritus, qui non niſi alijs inquietis ſolet eſſe quietus. *Patribus Benedictinis nõ placet Scioppij ſcriptio.*

II. Si Scioppius tam crebrò apud P P. Franciſcanos & Capuccinos pranſitaſſet, quàm apud PP. Benedictinos, ſciret vtique *Defenduntur aduerſus*

Sciop-pium PP: Franci-ſcani & Capuc-cini.

illos neque nectar & ambroſiam, neque cupedias & ſcitamenta, qualia etiam popinonibus, helluonibus & gulonibus in vſu ſunt, ſolere ſuis apponere, tantúmque abeſſe, vt illis quotidie tam lauta fercula ab alijs ſubmittantur, vt ſi vel ſemel in anno tam ſereno vultu rideat Apollo, id peculiaris beneficij loco ab optimis Patribus habendum ſit; reliquo tempore rectiſsimè dixeris, *ideas* eſſe *Platonicas*, & *entia rationis*, quæ Scioppius de iſtis Franciſcanorum delitijs fabulatur.

III. Craſsè errat Scioppius, cum putat Franciſcanis ſuam Regulam adeo magnam libertatem impertiri, vt toto anno, (ſi copia foret) lautitijs viuere, & precioſis dapibus veſci eis liceat.

Audiamus ipſorum Patrum è S. Franciſci familia hac de re judicium, qui præ alijs optimè ſciunt, quid ſua Regula requirat.

S. Bona-uentura.

S. Bonauentura in expoſit. Regulæ c. 6. ait. *Cum Fratres ſint Profeſſores altiſſimæ paupertatis, oportet, quòd omnia, quæ in eorum vſum veniunt, habeant, vt eſt poſſibile, paruitatem, vilitatem, & aſperitatem, quæ tria paupertatem altiſsimam naturaliter conſequuntur, &c. Non ergo competit viris pauperibus habere magnas areas, vel ſumptuoſa ædificia, aut quæcunque ſimilia, non vaſa ornata, non cellaria vinaria, non promptuaria inſtaurata, ſed vt omnia, quantum patitur fragilitas, ad paupertatis ſtrictiſſimam regulam reducantur.* Idem in litteris ad totum Ordinem:

Quoni-

Quoniam paupertas eſt noſtra prærogatiua ſublimis, ſic ſumptuoſitatem, pretioſitatem, ſuperfluitatem ædificiorum, librorum, veſtium, ac ciborum amputare ſtudeas, quòd à profeſſionis excellentia, vita obſeruantia non diſcordet.

Cyprianus Crouſers Capuccinus Lectione 6. parænetica in caput. 6. Regulæ S. Franciſci, ad illa verba: *Hæc eſt illa Celſitudo altiſſima paupertatis.* pag. 420. *Obligantur quidem fratres* (inquit) *ex vi voti, non directè, ſed conſequenter ad vſum moderatum. Sicut enim de vouente caſtitatem, ita de paupertate vouente ſentiendum eſt, ex vi voti conſequenter teneri ad eas virtutes, quæ paupertati connectuntur, videlicet humilitatem in veſtitu & inceſſu, vita parſimoniam & moderantiam in victu, vt non velit aſſiduè lautis veſci, ſed neceſſarijs, ſimplicibus & paratu facilibus contentus ſit, ſuperfluáq; refutet. Quoniam ait Hugo, de ſcala clauſtralium; Sicut pauper ſuperbus abominatio eſt mundi, ita pauper delicatus abominatio eſt clauſtri. Nec vera cenſetur paupertas, inquit Politius num.* 90. *vbi vſus moderatus non eſt, ſed quotidie affluens, & abundans. & Henricus à Gandauo Quodlib. 7. q. 29. in hæc verba, paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores. Conſtat, inquit, quod ſi abunde delitioſa, vel curioſa, & mollia in vſu ſunt, talis paupertas magis ridiculoſa, quam ſanctiſſima cenſeretur, cùm ad Sanctitatem & virtutes comparandas nullo modo conferat. Nec ſummus Pontifex, inquit Vbertinus, pateretur ſub Bulla ſua prædicari altiſſimam, ſi vſus eſſet affluens.* & pag.

 414.

414. *In pleriſq; rebus ſibi conceſſis Fratres Minores obligantur non ſolum ad moderatum vſum, ſed etiam ad vſum valde ſtrictum & arctum, ſiue res ipſas conſideremus, vt ſunt veſtes, alimenta, & alia, ſiue modum ipſas comparandi, videlicet per mendicitatem, quantum fieri poteſt, profectò vſus valde arctus praſcribitur fratribus Minoribus &c.* Quæ omnia ſunt conſentanea declarationi Clementis. V. in Cap. Exiui. *Declarando*, inquit Pontifex, *dicimus, Quod fratres Minores ex profeſſione ſua Regula ſpecialiter obligantur ad arctos vſus ſeu pauperes, qui in ipſorum regula continentur, & eo obligationis modo, ſub quo continet ſeu ponit Regula dictos vſus.*

Argumentum. Ex his licet in hunc modum ratiocinari. Si illi, qui in Regula S. Franciſci *altiſſimam paupertatem profitentur*, tã in veſtibus, quàm in alimentis, obligantur quidem *ex vi voti* conſequenter ad moderatum, *ex vi Regula* verò etiam ad valde ſtrictum & arctum, vſum, ſequitur eos tam in veſtibus, quàm in alimentis debere à *ſumptuoſis, precioſis & delicatis* abſtinere, & tantum *vilia*, atq; *aſpera* quoad fieri poteſt, adhibere, quandoquidem vtriq; vſui, tam moderato, quàm arcto *pretioſitas, lautitia, & ſumptuoſitas*, præſertim integro anno continuata repugnat; Igitur euidens eſt, Patribus Franciſcanis per Regulam non conceſſum, toto anno menſam ſuam *cupedijs* & *ſcitamentis*, *nectare* & *ambroſia* onerare, Deorúmq; vt ita loquar, vitam

Quàm ſtricta paupertas S. Frãciſci.

vitam agere. Nam *Iupiter ambroſia ſatur eſt, & nectare viuit*, inquit Martialis. Sicut ergo ſi homines pij Patribus Franciſcanis ad veſtitum non offerrent, niſi *Vellera quæ folijs depectunt tenuia Seres*; aut ducta in aranearum morem Bombycina fila, hoc eſt ſericos & holoſericos pannos, eos ipſi, cùm viliores haberi poſsint, haud dubiè repudiandos cenſerent, aſperiorémque ſibi dari pannum ad veſtiendum corpus rogarent, quod precioſa & mollia vermium lanificia *ſtrictiſsimæ* ſuæ paupertati repugnent; ita ſi toto anno ipſis delicatiſsimi tantùm pretioſiſsimique cibi cum vino ab vltimis Gadibus apportato offerrentur, nullus dubito, quin illa pari generoſitate eſſent recuſaturi, & ſtudio obſeruandæ Regulæ, altiſsimæque paupertatis, vulgares eſcas, potúmque facilè parabilem flagitaturi. Quando enim in capite. 2. Regulæ S. Franciſcus illos *monet & exhortatur, ne deſpiciant, neque iudicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis, & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis, ſed magis vnuſquiſque iudicet, & deſpiciat ſemetipſum*; nonne manifeſtè, pro indubitato habet, ipſos neque ex molli materia corporum tegumenta ſibi parare, neque epulari opiparè ac prælautè toto anno poſſe.

Igitur inſigni afficit Patres Franciſcanos Scioppius iniuria, quando eorum Regulam de paupertate, non modò aduerſus verita-

tem, nimis laxè, ſed etiam ridiculè atque contemptim interpretatur.

Falſa & ſcandaloſa Scioppij doctrina.

IV. Falſa & *ſcandaloſa* eſt Scioppij doctrina, paupertatem, quæ in communi admittit aliquid proprij, cum onere beneficentiæ, ſimpliciter perfectiorem, ac maioris beatitudinis conſequendæ *medium* eſſe, ìnq; altiore perfectionis gradu conſiſtere, quàm illam, quæ omni rerum *dominio*, etiam in communi, hominem priuat. Contrarium docet S. Thomas 2.2. q. 188. art. 7. in corp. vbi ait: *Habere ſuperabundantes diuitias in cõmuni ſiue in rebus mobilibus, ſiue in immobilibus, eſt impedimentum perfectionis, licet non totaliter excludat eam;* Et in Opuſculo 17. *contra Retrahentes homines à religionis ingreſſu*, egregiè confutat argumenta eorum, qui mendicantes Ordines, quòd *poſſeßionem in communi non haberent*, impugnabant. *Inducunt*, inquit c. 14. *etiam ad hoc aliorum Sanctorum exempla. Nam B. Gregorius de facultatibus ſuis intra Vrbis Romanæ mœnia, vnum monaſterium, in Sicilia verò ſex legitur conſtruxiſſe. Beatus etiam Benedictus monachorum præceptor almificus amplas poſſeßiones pro ſuo monaſterio recepit, quod tanti viri Euangelicæ perfectionis æmulatores nullo modo feciſſent, ſi poſſeßiones communes in aliquo Apoſtolicæ & Euangelicæ perfectioni derogarent. Et ex hoc concludere volunt, non pertinere ad maiorem perfectionem, quòd aliqui poſſeßionibus careant.* Reſpondet S. Thomas ad hæc c. 16.

Expe-

Expedit quidem poſſeſſiones communes poſſideri, ſed propter eos, qui non ſummæ perfectionis capaces, qualis in primis credentibus fuit, qui tamen imperfectiores omninò negligendi non erant, &c. Vnde ſi qua ſit congregatio, in qua omnes ad maiorem perfectionem tendant, expedit eis, communes poſſeſſiones non habere. Quòd verò B. Benedictus in vita ſua amplas poſſeſſiones recepit, hoc ſufficit ad oſtendendum, quod communes poſſeſſiones non totaliter monaſticam perfectionem excludunt: non autem ex hoc haberi poteſt, quod maioris perfectionis non ſit, poſſeſſionibus communibus carere, præſertim cum idem B. Benedictus in ſua regula dicat, ſe aliqua remiſiſſe de rigore monaſticæ vitæ à prioribus inſtitutæ, condeſcendendo infirmitatibus ſui temporis monachorum, & eadem eſt ratio de B. Gregorio. Hæc S. Thomas.

Eiuſdem ſententiæ fuerunt Summi Pontifices, Greg. 9. in cap. penult. de exceſsibus Prælatorum, vbi ait, *Fratres Prædicatores & Minores in arctiſſima* (hoc eſt, perfectiſsima) *paupertate Chriſto famulari.* Nicolaus 3. in cap. *Exijt de verb. ſign.* in 6. §. *porrò.* mirificè laudat hâc omnimodam paupertatem, quâ tam in *Speciali*, quàm in cõmuni omnibus bonis *proprijs* renuntiatur: eámq; maniſeſtè tanquam perfectiorem, præponendam iudicat paupertati illi, quæ aliquid retinet in communi. *Quòd enim Chriſtus aliquando loculos habuiſſe dicatur, id tantùm factum eſſe* (ait,) *vt interdum infirmorum imperfectionibus condeſcenderet.*

ret. Innocentius IV. & Alexander IV. ſic alloquuntur Minores; *Vos qui pro nomine IESV Chriſti extremam ſuſtinetis paupertatem.*

Perfectiſſimā eſſe paupertatem, quæ nihil omnino proprij retinet, etiam in cõmuni.

Quæ omnia vberiùs de perfectiſsima paupertate explicat, & validis argumentis confirmat Aluarus Pelagius lib. 2. de Planctu Eccleſiæ c. 59. & c. 63. Quibus adſtipulatur Nicolaus à IESV MARIA Carmelita in Apologia *de perfectione Vitæ Spiritualis*, propoſit. 34. pag. 106 quem librum ipſe Scioppius Rauenſpurgenſibus typis edendum curauit anno 1631. eúmque à veritate (quam etiam Magiſter Sacri Palatij Romæ probârit) Lectori in veſtibulo pleno ore collaudauit. Hic Carmelita expreſsè dicit, *Maioris autem perfectionis eſt paupertas illa, quæ eſt ſine poſſeſſionibus in cõmuni, quàm illa, quæ poſſeſſiones in communi habet; vt expreſſè docet S. Thomas opuſc. 19. c. 6. vbi multoties id repetit, & pluribus rationibus probat.* Quæ ſi falſa ſunt, annon impoſtor eſt Scioppius, qui falſa pro veris Germaniæ obtrudit? Si autem vera, annon eſt ſtolidus, qui ea alijs commendat, ex quibus ipſe poteſt conuinci falſitatis?

Scioppius ſuo gladio cæditur.

Error Scioppij.

V. Falſum quoque eſt, paupertatem illam, quæ cum onere beneficentiæ habet bona in communi, *non poſſe exerceri, niſi à perfectis; & ſolis perfectis eſſe imitabile exemplum huius paupertatis.* Cur enim id nequirent imperfecti? vel quia non poſſent dimittere bona propria, & aliquid retinere in communi;

vel

vel quia non poſſent exercere hoſpitalitatem, neutrum verum eſt. nam hoſpitalitatem & beneficentiam in pauperes exercere poſſunt etiam ſæculares; ergo poſſunt id etiam religioſi imperfecti, ſi habeant bona: dimittere verò bona ſua in particulari, itidem poſſe imperfectos, inde oſtenditur, quod nō omnes, qui ſoleñe paupertatis votum emittunt, ſint eo ipſo perfecti. Igitur etiam in hoc errat Scioppius.

VI. Parum abeſt, quin idem ex Inferis ſuſcitet antiquum errorem Vigilantij, & aliorum, qui religioſos Ordines ſimilibus telis oppugnarunt. Vigilantij nepotes.

Fuerunt enim, qui dicerent, perfectius eſſe viuere in ſæculo, propter maiores difficultates bene viuendi: Ad eundem propè modum diſputat Scioppius; qui paupertatem Benedictinorum, (quæ diuitias in communi retinet) ob maiores difficultates, curas, ſolicitudines, & onera, quæ habet, adiuncta, perfectiorem cenſet paupertate Franciſcanorum, ac proinde illi anteferendam. hunc errorem forti malleo contundit Hieronymus Platus lib. 3. de bono Rel. c. 23.

Fuerunt quoq;, qui dicerent, cum *Vigilantio, Catharis* & *Deſiderio Lombardo* hæreticis, meliùs eos facere, qui ſua retinent, & paulatim *fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus diuidunt, quàm eos, qui poſſeſſionibus venundatis ſemel omnia largiuntur.* à quibus non mul-

tum abit Scioppius, dum ſimpliciter perfectius eſſe contendit poſsidere bona in communi, & inde beneficentiam exercere in hoſpites & pauperes, quàm propter Chriſtum omnia omnino relinquere, & mendicato viuere. *Hiſce* (ait S. Hieronymus lib. contra Vigilantium) *à Domino reſpondebitur, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes & da pauperibus, Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis patrem, & nauiculam, & rete dimittit. Iſte, quem tu laudas ſecundus & tertius gradus eſt, quæ & nos recipimus, dummodo ſciamus prima ſecundis & tertijs præferenda.* Et S. Auguſtinus lib. de bono coniug. c. 8. *Bene faciebant, qui de ſua ſubſtantia Chriſto, & diſcipulis eius neceſſaria ſubminiſtrabant, ſed melius, qui omnem ſubſtantiam dimiſerunt; vt expeditiores eundem Dominum ſequerentur.*

Neque Scioppius ſe tuebitur illa Chriſti ſententiâ Actorum. 20. *Beatius eſt magis dare, quàm accipere;* cuius longè alius ſenſus eſt, quàm ille ſibi imaginetur; hac ipſa re perſpicuè demonſtrans, ſe tam veterum hæreticorum, quàm illius diſcipulum eſſe, qui ſanctiſsimos Ordines mendicantes olim tam hoſtiliter oppugnauit, Guilielmi videlicet de Amore, qui inter alia etiam hoc ipſo argumento, *Beatius eſt dare, quàm accipere,* eleemoſynas, quas Patres Prædicatores & Franciſcani colligebant, ire voluit euerſum;

ſum; vt videre eſt ex Opuſculo S. Bonauenturæ *de paupertate Chriſti contra M. Gulielmum*: ad obiect. 5. & Opuſc. 19. S. Thomæ, *contra impugnantes Religionem*, cap. 7. ad 3. Cui S. Bonauentura ita reſpondit: *Dicendum, quòd illud, Beatius eſt dare, eſt verum, quando acceptio eleemoſynæ venit ex neceſſitate naturæ, non autem quando venit ex ſupererogatione iuſtitiæ, iuxta reſtrictionem factam in principali ſolutione. Et quod illud ſit verum, apparet per illud, quod dicitur in lib. de Eccleſiaſt. Dogmatibus. Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, melius eſt pro intentione ſequendi Deum inſimul donare, & abſolutum à ſolicitudie cum Chriſto egere. Hoc ipſum dicit, S. Aug. lib. 3. de bono coniug. c. 8. in fine.* Ita ille Seraphicus Doctor.

S. Thomas verò loco cit. hoc dat reſponſum. *Ad 3. dicendum, quod dare ſecundum ſe eſt laudabilius, quàm accippere; vnde & Philoſophus dicit in 4. Eth. quòd actus liberalitatis magis eſt in dando, quàm in accipeindo: quamuis liberalis det & recipiat. Nihil tamen prohibet receptionem eſſe meliorem ratione alicuius adiuncti, & hoc eſt per accidens. Dicendum ergo, quòd ſi in paupere nihil conſideretur, niſi receptio eleemoſynæ, tantùm beatior eſt diues, qui dat eleemosynas, quàm pauper, qui recipit. Sed talis poteſt eſſe cauſa recipiendi eleemosynàm, quod magis merebitur recipiens, quàm dans; vtpote ſi ſe in tali ſtatu propter Chriſtum conſtituerit, vt* Quæ olim reſpondit S. Thomas Guilielmo de S. Amore, nunc reſpondemus Scioppio.

elee-

eleemoſynas recipiat, non quaſi coactus, ſed voluntarius pauper. Vnde Gloſſa ibid. (in cap. 20. Actor.) dicit: Non illis, qui relictis omnibus ſecuti ſunt Dominum, diuites eleemoſynarios præponit, ſed illos maxime glorificat.

Viden iam Scioppi arundineum baculum tuum, quo niteris? Ficulneum argumentum tuum, quod ab hæreticis es mutuatus! à duobus tamen maximis & ſanctiſsimis viris ſolidiſsimo reſponſo protritum & conculcatum! pudendum eſt, te hæreticorum armis nunc dimicare aduerſus *altiſsimæ paupertatis* ſectatores, qui te Romanæ Eccleſiæ fidem non modò verbis & ſcriptis, ſed & ſanguinis impenſa confirmare paratum iactauiſti. O Scioppi, deſine S. Franciſcum tuo venenis tincto calamo vulnerare: melioribus ille gaudet vulneribus, quos amor diuinus illi impoſuit. Deſine altiora te quærere, & de ijs rebus, quæ non intelligis, diſputare. Plurimùm intereſt inter Regulam S. Franciſci, & Regulas Grammaticæ tuæ. plurimùm intereſt inter paupertatem tuam Stoicam & religioſam. Tota Chriſtiana antiquitas contra te ſtat.

Scioppius contra ſe ipſum.

Tu ipſe te cogeris condemnare. Si enim vniuersè beatius eſt dare, quàm accipere, tu profectò minimè es beatus. Nam qui abs te aliquid acceperit, nemo facilè demonſtrabitur. Te ab alijs accepiſſe plurima, Orbis nouit.

Deinde

Deinde hoc ipſo argumento tuo efficitur, Franciſcanos eſſe *Beatiores*, qui plura dant, & pauciora accipiunt, quàm illi, qui aliquid retinent in communi ad exercendam hoſpitalitatem. Per hoſpitalitatem enim dantur ſolùm temporalia bona: per prædicationem verò Verbi, & alia ſpiritualia miniſteria, quibus Franciſcani ex ſua vocatione ſunt addicti, tribuuntur æterna. Tanto autem plura dare cenſendi ſunt Franciſcani, quanto cœleſtia terrenis, temporalibus æterna antecellunt. Pauciora verò illos accipere, ſic oſtendo. Qui bona in communi poſſident, vel habent illa à ſeipſis, vel ab alijs acceperunt. Non habent à ſe ipſis; quia ad ingreſſum religionis ſuis bonis renunciârunt, ex conſilio Chriſti, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende OMNIA quæ habes, & da pauperibus.* Si ab alijs acceperunt, profectò plùs acceperunt, quàm Franciſcani, qui nihil prorſus acceperunt, vt id poſsideant in communi; ſed ſolo vſu rerum ad vitam neceſſariarum ſunt contenti.

Denique manifeſtum eſt, ex tuo iſto ratiocinandi modo ſequi, etiam S. Martham, alióſque pios homines, qui Chriſto & Apoſtolis neceſſaria vitæ ſubminiſtrârunt, eóſque hoſpitio receperunt, fuiſſe Chriſto & Apoſtolis beatiores, & perfectiores, cùm hi acceperint, illi verò dederint; quo quid poteſt abſurdius cogitari?

Itaque

Itaque admodum imperitè, ne plus dicam, hanc ſententiam Chriſti, *Beatius eſt dare,* in medium adduxiſti: ſimiliter ac olim Ariani ex eadem malè intellectâ, errorem ſuum, nempe *patrem eſſe filio maiorem*, ſtabilire voluerunt, quod pater dantis, filius accipientis habeat rationem; quos confutauit, more ſuo ſolidè, S. Auguſtinus lib 3. contra Maximinum c. 14. Tomo 6.

Animaduerſio Octaua.

Scioppius Epiſcopos iniurioſè oppugnat.

IN cap. 8. pag. 29. ait Scioppius. *Paupertas igitur, quam Epiſcopi velut Perfecti præſtare debent, quámque filijs ſuis S. Benedictus in Regula imponit, verè Euangelica eſt, & Apoſtolica, & gradus quidem melioris.* Quibus verbis indicare videtur: 1. Quaſi paupertas Franciſcanorum non ſit *verè Euangelica & Apoſtolica:* quod falſum. Quia longè alia eſt, quàm Benedictinorum: 2. Prorſus communem atque eiuſdem generis facit paupertatem Epiſcoporum & Benedictinorum: in quo rurſus turpiter errat. Nam S. Benedictus commendauit ſuis filijs paupertatem voto firmatam, & quidem talem, vt non liceat eis habere quidquam *proprij in particulari*. Epiſcopi autem nullo voto paupertatis ſe obligârunt; nec vetitum ipſis eſt, habere aliquid *proprij in particulari*, vti conſtat ex Concilio Agathenſi c. 48. & Decreti 2. p. cauſa 12. q. 1. c. 19. *Epiſcopi de rebus proprijs, vel acquiſitis, vel quid-*

quidquid de proprio habent, hæredibus ſuis, ſi volu-erint, derelinquant. & optimè docet S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 6. in corp. *Dicendum*, inquit, *quod ad ea, quæ ſunt ſupererogationis, nullus tenetur, niſi ſe ſpecialiter ad illud voto aſtringat. Manifeſtum eſt autem, quod viuere abſque proprio, ſupererogationis eſt. Non enim cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Vnde Matth. 19. cùm dixiſſet Dominus adoleſcenti, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: poſtea ſuperaddendo ſubdidit, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Non autem Epiſcopi in ſua ordinatione ad hoc ſe obligant, vt abſque proprio viuant; neque etiam viuere abſque proprio ex neceſſitate requiritur ad paſtorale officium, ad quod ſe obligant. Et ideo non tenentur Epiſcopi ad hoc, quod ſine proprio viuant.*

Scioppiò S. Thomã oppono.

An Epiſcopi obligentur ad tantã paupertatem, ad quantam Benedictini.

Et in reſponſione ad primum obiectum, quod erat, *paupertatem voluntariam requiri ad perfectionem; eò quòd Chriſtus Matth. 19. dixerit, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, dicendum*, inquit, *quod ſicut ſupra* q. 184. art. 3. *habitum eſt, perfectio Chriſtiana vita non conſiſtit eſſentialiter in voluntaria paupertate; ſed voluntaria paupertas inſtrumentaliter operatur ad perfectionem vitæ. Vnde non oportet, quod vbi maior paupertas eſt, ibi ſit maior perfectio: quin imò poteſt eſſe ſumma perfectio cum magna opulentia. Nam Abraham, cui dictum eſt, Geneſ. 17. ambula coram me, & eſto perfectus, legitur fuiſſe diues.*

Hæc

Hæc S. Thomas: ex quibus planum fit, Scioppium multò plura requirere ab Epiſcopis, quàm debet; & prorſus inſcitè c. 6. 7. & 8. ſententias è Sacris libris coaceruare, vt probet, illos ad talem paupertatem colendam obligari, ad qualem obligantur Benedictini. Hæreticorum mos eſt ad faciendum fucū *Scripturas ſacras* magna copia profundere, & à ſcopo quamlongiſsimè aberrare; Sanctorum Patrum receptas interpretationes contemnere, & noua figmenta comminiſci. Ita Scioppius pag. 18. & 19. ineptè contendit ex illo Matth. 10. *Nolite poſsidere aurū, neq; argentum, & alijs locis, &c. Voluntariā paupertatem* ſimpliciter eſſe neceſſariam ijs, qui cupiunt teſtimoniū reddere initio fidei, & ſi qui talem paupertatem non exerceant, non eſſe teſtes idoneos, neq; colligere cum Chriſto vt paſtores animarum, ſed ſpargere, vt lupos. quæ ſunt falſiſsima, & in Epiſcopos iniurioſa & ipſi Scioppio contraria, qui talem paupertatem non colit, & tamen ſe vult haberi teſtem idoneum IESV Chriſti: cuius errorem quoq; refellit S. Thomas eod. articulo ad 2. m. vbi reſpondet ad iſtud argumentum: *Epiſcopi in Eccleſia tenent locum Apoſtolorum. Sed Apoſtolis Dominus præcepit, vt nihil proprij poſsiderent, Matth.* 10. *Nolite poſsidere aurum neq; argentum. Et Petrus pro ſe & alijs Apoſtolis dixit, Ecce, nos reliquimus omnia. Ergo tenentur Epiſcopi ad huius mandati obſeruantiam, vt nihil proprij poſsideant.* Re-

Reſpondet. *dicendum quòd verba illa Domini poſſunt tripliciter intelligi.* 1. *Myſticè, vt prædicatores non innitantur principaliter ſapientiæ & eloquentiæ temporali, vt Hieronymus exponit.* 2. *vt S. Auguſtinus exponit in lib. de conſenſu Euangeliſtarum, ſuper illud Matth.* 10. *vt intelligatur hoc Dominum non præcipiendo, ſed magis permittēdo dixiſſe, permiſit enim eis, vt abſq; auro & argento & alijs ſumptibus ad prædicandū irent, accepturi ſumptus vitæ ab his, quibus prædicabunt. Vnde ſubdit, dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Ita tamen, quòd ſi aliquis proprijs ſumptibus vteretur in prædicatione Euangelij, ad ſupererogationem pertineret, ſicut Paulus de ſe ipſo dicit* 1. *Corinth.* 9.3. *ſecundū quod Chryſoſtomus exponit, vt intelligatur Dominus præcepiſſe diſcipulis, quantum ad illam miſſionem, qua mittebatur ad prædicandum Iudæis, vt per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipſius, qui eis abſq; ſumptibus prouideret. Ex quo tamen non obligabātur ipſi, vel ſucceſſores eorū, vt absq; proprijs ſumptibus Euangelium prædicarent. Nam & de Paulo legitur.* 2. *Corinth.* 11. *quòd ab alijs Eccleſijs ſtipendium accipiebat ad prædicandum Corinthijs, & ſic patet quòd aliquid poſſidebat ab alijs ſibi miſſum. Stultum autem videtur, quod tot Sancti Pontifices, ſicut Athanaſius, Ambroſius, & Auguſtinus illa præcepta tranſgreſſi fuiſſent, ſi ad ea ſeruanda ſe crederent obligari.*

Explicatur locus ſcripturæ Matthæi 10.

Hinc euidens eſt, Scioppium aut nihil probare contra Epiſcopos ex illo Matthæi.

io. aut nimiū. Si enim Chriſtus voluit obligare Apoſtolos, eorúmq; ſucceſſores in perpetuum, vt neq; aurum, neq; argentum poſſiderent, tunc illis etiam in communi non licuit, neque adhuc licet quidquam proprij habere; cùm Chriſtus nullum fecerit diſcrimen: quo argumento VVicleffus apud Thomam VValdenſem lib. 4. doctr. fidei art. 3. vniuerſè oppugnat omnia Eccleſiarum bona: Atqui hoc abſurdum eſſe, fatetur ipſe Scioppius, qui & Epiſcopis, & Benedictinis bona propria in *communi permittit*. Deinde peccaſſent Apoſtoli contra præceptum Domini, quando Actorum 4. 5. & 6. pecunias credentium acceperunt, vt alerent & ſe, & alios. Hoc autem eſt nefas dicere. Aliam igitur interpretationem verborum Chriſti, quàm in ſua Aſtrologia adferat Scioppius, admittere neceſſe eſt; ſciſcitor enim ex illo, an Epiſcopi, quando fiunt Epiſcopi, amittant jus in ſua paterna bona, nec ne? Si dicat, non amittere; fas illis eſt poſſidere aurum & argentum, nihil læsâ Chriſti ſententiâ. Si dicat amittere, repugnat non ſolùm Summorum Pontificum & Conciliorum Decretis, (apud Bellarminum lib. 1. de Clericis c. 26.) ſed etiā vſui plurimorum ſæculorum. Teſtatur enim S. Ambroſius epiſt. 33. ad Marcellinum, ſe, cùm rogaretur, vt Eccleſiam Arianis traderet, obtuliſſe patrimonium ſuum; patrimonium autem Chriſti tradere noluiſſe. Mani-

chæi

chæi olim negarunt, *licere Clericis temporalia poſſidere, ac ea propria retinere*, vti tradit M. Ant. Marſilius Columna Bononienſis I. C. Archiepiſcopus Salernitanus, in libro eruditiſsimo de Eccleſiaſticorum redituum origine & Iure part. 3. c. 22. n. 27. & apud eundem Petrus Sotus tract. de Inſtit. Sacerd. Lect. 2. & Domin. Sotus lib. 10. de Iuſt. & jure q. 4. art. 1. qui error damnatus fuit in Concilio Agathenſi. cuius ſi particeps eſſe voluerit Scioppius, de honorifica ſcilicet conſocietate poterit gloriari.

Huc pertinet, quòd idem Scioppius pag. 24. & 32. ait, Epiſcopos nullo modo eſſe Dominos vectigalium, ſeu fructuum Eccleſiaſticorum, ſed tantùm diſpenſatores; cui reſpondet copiosè & ſolidè iam dictus M. Antonius Marſilius Columna ab eod. capite 22. vſque ad finem, vbi contrarium demonſtrat, ſeptuaginta duorum Doctorum, partim Theologorum, partim Canoniſtarum & Iuriſconſultorum authoritate, quorum nullus fuit Ieſuita, ſed multi inter eos Cardinales, Epiſcopi, & in album Sanctorum relati, quos non niſi temerè & iniuriosè appellauerit Scioppius *Quæſtuarios Theologos* pag. 24. Vide 3. p. Marſilij c. 36. n. 5.

Animaduerſio Nona.

Grauis error Scioppij.

CAp. 2. pag. 9. ait Scioppius. *Vna dies homini in contemplatione exacta multò maiora bona cùm ipſi, tum alijs confert, quàm mille dies in Actione conſumpti, ſiue quis in ſcholis doceat, ſiue in Eccleſia Verbi & Sacramentorum diſpenſatione occupetur:* & cap. 12. pag. 43. *Contemplationi vacare,* (*inquit*) *longè Chriſto gratius accidit, quàm quicunque labor ipſius & proximorum cauſa ſuſceptus;* Atque vt intelligatur, de quo labore ſit ſermo, mox addit pag. 44. *Et quamuis* (contemplatiuus) *tam ſolicitus non ſit, nec erga plurima turbetur, & circa frequens miniſterium Verbi & Sacramentorum non aquè ſatagat, ac Vita actuoſa Sectatores, &c.*

Refutatur.

Hæc profectò eſt peruerſa ac perniciosa doctrina, quæ homines à procuranda ſalute proximi per prædicationem Verbi, & Sacramentorum adminiſtrationem planè auocat, & alienos reddit, manifeſtéque aduerſatur receptæ ſententiæ Innocentij III. cap. 18. *Licet*, de Regularibus; vbi ait, *ſicut maius bonum minori præponitur, ita communis vtilitas ſpeciali vtilitati præfertur. Et in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſolicitudo contemplationi, & labor quieti.* Similia leguntur in cap. *Niſi*, de Renunciatione §. *Nec putes.* Quibus conſentit S. Thomas 2. 2. q. 188. art. 6. in corp. *Sic ergo dicendum*, inquit, *quod opus vitæ*

S. Thomas Sci-

actiuæ

actiua eſt duplex. Vnum quidem quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, ſicut doctrina & prædicatio. Vnde & Gregorius dicit in 5. Homil. ſuper Ezechielem, quod de perfectis viris poſt contemplationem ſuam redeuntibus dicitur pſal. 144. Memoriam ſuauitatis tuæ eructabunt. Et hoc præfertur ſimplici contemplationi. Sicut enim maius eſt illuminare, quàm lucere ſolum, ita maius eſt contemplata alijs tradere, quàm ſolùm contemplari. Aliud autem opus eſt actiuæ vitæ, quod totaliter conſiſtit in occupatione exteriori, ſicut eleemoſynas dare, hoſpites recipere, & alia huiuſmodi, quæ ſunt minora operibus contemplatiuis, niſi forte caſu neceſſitatis, vt ex ſupra dictis q. 182. art. 1. patet. Sic ergo ſummum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & propinquiſſimæ ſunt perfectioni Epiſcoporum, &c. Ita S. Thomas. oppio repugnat.

Quare non rectè pro ſe adducit pag. 44. Scioppius eiuſdem S. Thomæ verba ex 2. 2. q. 24. art. 8. *Quando aliquis ſtudium ſuum deputat ad vacandum Deo & rebus diuinis, prætermiſſis alijs, niſi quantum neceſſitas vitæ requirit, iſta eſt perfectio charitatis, quæ eſt poſſibilis in via, non tamen eſt communis omnibus charitatem habentibus.* id eſt, inquit Scioppius, *alij qui vitam actiuam colunt, ſéque ſaluti proximorum impendunt, habent quidem charitatem, ſed non tam perfectam, vt contemplatiui, adeoque nec tantam proximos iuuandi voluntatem.* Erras Scioppi: S. Thomas non confert eo loco *ſta-*

rum cum *Statu*, nec vitam contemplatiuam cum Actiua, ſed tantùm docet charitatem in hac vita, in quouis ſtatu, tam contemplantium, quàm Actiuorum poſſe eſſe ſuo modo perfectam. Perperam igitur accipis verba illa S. Thomæ, *ad vacandum Deo & rebus diuinis*, tantummodo pro *contemplatione*. Quaſi verò non etiam *Deo vacet, & rebus diuinis*, qui *Dei Verbum prædicat*, & *Sacramenta* proximo *miniſtrat?* Gloſſa verò quâ dicis, eos qui ſe ſaluti proximorum impendunt, non habere charitatem perfectam, vt habent contemplatiui, in ipſos Apoſtolos & Epiſcopos eſt iniurioſa, imò in ipſum Chriſtum impia, qui ſe ſaluti hominum totum impendit; & apertè dixit; maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Eſt etiam Sancto Thomæ contraria vt vidimus ſupra.

Gloſſa Scioppij Apoſtolis & Chriſto iniurioſa.

Animaduerſio decima.

CAp. 13. Pag. 48. & 50. velut pro aris & focis pugnat Scioppius, *Contemplatiuos* ob eam cauſam eſſe *Actiuis* præferendos, quòd plus *Eccleſiæ & fidelibus proſint, luctãdo cum Deo, eúmque vincendo, vt cogatur peccatoribus peccata dimittere; ſe velut murum pro peccatoribus opponendo, & hoſtes Eccleſiæ profligando* &c. idque probat exemplo Iacob Geneſ. 32. Moyſis, Exodi. 32. & 33. Ioſue, cap. 10. Lot Geneſis 19. Qua in re duo ſunt obſeruanda 1. Ineptiſ-

Ineptè adducit

ſimè adferri exempla illa de Lot, Iacob, Moyſe, Ioſue &c. ad demonſtrandũ, quantum monachi contemplatiui Eccleſiæ proſint; cùm fuerint viri illi per maximam vitæ partem *actiui*: neq; enim quilibet dicendus eſt ſimpliciter contemplatiuus, qui nonnunquam per breuiuſculum temporis tractum orationi vacauit; alioquin etiam Martham quæ ſimpliciter actiua dicitur, hanc laudem promeruiſſe cenſendum eſſet, quam nemo dixerit, nunquam cor ad DEVM eleuaſſe, atq; in cœlum oculos inter orandum ſuſtuliſſe. Itaq; Scioppius quadrata rotundis imperitiſsimè miſcet, & anicularum more plurima dicendo nihil penitùs probat; quo eloquentiæ genere per totam Aſtrologiam triumphat. 2. Falſum eſſe, merè contemplatiuos, (nam de his loquitur Scioppius) vniuersè *plus prodeſſe Eccleſiæ & fidelibus, quàm Actiuos*. id expreſsè negat Innocentius. III. in Cap. *Niſi.* vbi hæc leguntur: *Nec putes, quòd ideo Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima ſatagebat, quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. quoniam licet illa ſit magis ſecura; iſta tamen magis eſt fructifera; & licet illa ſit magis ſuauis, hæc tamen magis vtilis, cum in fæcunditate ſobolis lippitudo Lia, Rachelis pulchritudini ſit prælata: quamuis in vnum & contemplatiuus eſſe valeas & actiuus* (NB vitam mixtam, ex contẽplatiuâ & actiuâ eſſe vitam Chriſti.) *Le-*

Scioppius exempla quædam ex S Scriptura.

Falſum quoque dicit.

giſlatoris exemplo, qui nunc aſcendebat in montem, vt ibi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate: nunc vero deſcendebat in caſtra, vt cum vtilitate maiori neceſſitatibus populi prouideret. quapropter faciliùs indulgetur, vt aſcendat monachus ad præſulatum, quam præſul ad monachatum deſcendat. Hæc Innocentius Papa. vtri plùs credendum? Scioppio, an Summo Eccleſiæ præſuli?

Animaduerſio vndecima.

PAg. 38. *miniſtros Satanæ, pſeudo-apoſtolos, & ſubdolos operarios* appellat Scioppius eos, qui armis aut violentia hæreticos ad Eccleſiam compellendos docent; Eadem repetit pag. 59. his verbis: *à diebus Ioannis vſq; nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. id eſt violentia, qua in ſeipſos vtuntur; alios rapiunt & in regnum DEI, ſiue Eccleſiam intrare compellunt, Lucæ. 14. quod vnum coactionis genus eo dignum eſt, qui Christum & Ioannem in regno cœlorum inſtituendo & amplificando imitari cupit. Quibus Principum arma & gladij magis placent, vt ijs homines intrare compellant, eos minimè dubium eſt, regni Satanæ miniſtros eſſe, nec cum paſtore Chriſto oues colligere, ſed cum Lupis rapere, & diſpergere, funeſtiſq; bellis ciuilibus faces miniſtrare.*

Scioppius ſeipſum & Hæc Scioppius, quibus inſigne dat inſaniæ ſuæ toti Germaniæ documentum: quippe quem nemo ignorat in libris ſuis anterioribus

oribus operoſe hoc argumentũ ſæpiùs tractaſſe, præſertim in Hypobolimæo ſuo Scaligero pag. 323. b. vbi ſic ſcribit: *Ignominia verò opprobrio, accuſatione, morte deniq; afficiendi ſunt* (Hæretici) *non ſolum, vt ne alijs noceant, quod fieri oportet, ſi viuant, propter contagionis, vt dixi, periculum, & quia lupi cùm ſint, rapiunt & diſpergunt oues, minimeq; gregi parcentes, conantur, quod poëta dicit,*

Sanctos Patres vocat miniſtros Satanæ & pſeudoapoſtolos.

Multas illuſtres animas præmittere ad orcum.

Poſt duas deinde paginas facit Digreſsionem acerrimam ad confutandam Sinonis cuiuſdam, vt ipſe vocat, clementiam, qui mitiùs cenſuit cum hæreticis eſſe agendum. Hunc acerbiſsimis modis exagitat, & prolixè docet, *SS. Patres odiſſe, & fugere hæreticos iuſsiſſe:* S. Auguſtinum teſtari, *experimentis ſe probâſſe multis prodeſſe, cogi ad fidem: Conſtitutionibus Imperatorijs & Legibus de hæreticis vltimo ſupplicio afficiendis, plenum eſſe titulum Codicis de hæreticis; has Leges à SS. Patribus laude digniſſimas, fuiſſe iudicatas: à S Leone* epiſt. 91. ad Turbium cap. 1. *palàm fuiſſe ſupplicium Priſcilliani probatum. eundem Leonem planè & diſertè affirmare, Leges, quæ corporali ſupplicio & enſe non ſolùm auctores errorum hæreticos, ſed etiam pertinaciores, & importuniores eorum diſcipulos proſequuntur, prodeſſe, & adiumento eſſe Eccleſiæ.*

pag. 329.

pag. 331. a.

pag. 332. a.

Hæc, & plura Scioppius in Hypobolimæo ſuo; nec pauciora nec mitiora leguntur in

Eccleſiaſtico illius & Claſsico Belli ſacri, quorum etiam nonnulla juuerit hic referre.

Hæreticus, qui malitioſè docet, quod falsum eſſe ſcit, ſine miſericordia igne comburatur Eccleſiaſt. pag. 370.

Hæreticorum combuſtio magna eſt vtilitatis. ibid.

Falſam religionem ſequentes odio habendi & interficiendi. pag. 372.

S. Auguſtinus prius putabat cum hæreticis agendum verbis: poſtea mutauit ſententiam in epiſt. 48. ad Vincentium, Eccleſiaſt. pag. 373. Verba S. Auguſtini hæc ſunt. *Mea primitiùs ſententia ERAT, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt: quam nunc videmus ita huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea numquam fuiſſe credatur. Ita alia multa, quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipſis rebus agnoſcerem, etiam in hac cauſa rectè intelligi poſſe, quod ſcriptum eſt: Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit.*

Moſes vir mitiſsimus Zelo religionis multa hominum millia occidit. Idem Zelus in Elia & Dauide.

uide. Dauid Hæreticos ſtatim interficiebat. Eccleſ. p. 374.

Hæretici ſunt ligna infelicia Vulcano debita: ijdem rectè camino, iudicio Epiſcoporum, comburuntur. Eccleſiaſt. pag. 495.

Metus hæreticos conuertit p. 456.

Hæretici partim auctoritate, partim metu ad verum conuertendi. Eccleſ. p. 458.

Hæreſi faciendum eſt, quidquid ipſa fecit. Eccleſ. p. 440.

DEVS promiſit Eccleſiæ fore, vt lupi de medio tollantur, Hæretici autem ſunt lupi. Itaq; tollendi, non manu, ſed ferro & igni. Eccleſ. p. 379.

Magiſtratus officium eſt timorem peccantibus incutere, & timoris cauſa hæreticos occidere. Eccleſ. p. 367.

DEVS hæreticos omnino iubet deleri. In Claſſico pag. 71. edit. papienſis in 4.

DEVS hæreticos ſine miſericordia ferro & igne deleri iubet. in Claſſ. c. 19.

Faxit DEVS, vt aliquando ſapiant, quibus ipſe populorum curam commiſit, & nationem iſtâ Conſiliariorum, qui mollibus ſententijs hæreticorum nata turbis & ſeditionibus ingenia alere ſolent, in maximam malam crucem faceſſere iubeat. In Claſsico. ad Lectorem.

Ita Scioppius; quæ ſi conferas cum ijs, quæ ipſe in Aſtrologia ſcripſit, quid aliud tibi Lector in mentem venire, poteſt niſi Scioppium grandi amentia percuſſum eſſe? Si namq; ſunt *miniſtri Satanæ, pſeudo-apoſtoli, ſubdoli*

ſubdoli operarij, lupi, & faces ciuilis belli, quicunque dicunt, *Principum edictis, minis & ſupplicijs* hæreſin compeſcendam & coërcendã eſſe, ſequitur profectò Scioppium, iam à triginta annis, ex quibus eadem in tot publicis ſcriptis tradidit, fuiſſe *Satanæ miniſtrũ, pſeudo-apoſtolum, belli ciuilis* buccinatorem, *operarium doloſum*, denique rapaciſsimum *lupum*. Nemo enim ex omni catholicorum numero vehementiùs, nemo crebriùs, nemo importuniùs hanc doctrinam adhuc in Europa inculcauit auribus, ingeſsitque animis vniuerſorum, quàm Scioppius, vt eius libri atteſtantur, quorum tamen multi ab illo per cuniculos & clàm, ſine cenſura, & ſine approbatione Ordinariorum ſunt extruſi. Qui etiam vt ab hac immoderata vehementia abſtineret, ſæpe fuit à Catholicis & acatholicis, politicis & Theologis, admonitus, ſed ſurdæ fuerunt aures Scioppianæ. Nemo igitur nunc his titulis, quos ipſe fabricauit, dignior eſt, quàm ipſe, & quidem ſuopte iudicio; ſi modò non mentiatur Aſtrologia. Itaque aut illi reſorbendum eſt aſtrologicum hoc, & infelici ſidere procuſum mendaciũ, aut patienter ferendum, vt ſua ipſius ſententia deinceps pro miniſtro Satanæ, pſeudoapoſtolo, & doloſo operario ab omnibus habeatur. Quis ergo illum vlla in re amplius fide dignandum arbitrabitur? 2. Sequitur ex eiuſdem Scioppij verbis quoque S. Augu-

Scioppius in ſeipſum tulit ſententiam.

Auguſtinum, S. Leonem Papam, alios Summos Pontifices, & Doctores innumeros Catholicos, Imperatores, præterea *Chriſtianiſsimos*, Reges, & Principes fuiſſe *Satanæ miniſtros, pſeudo-apoſtolos, & ſubdolos operarios*; quibus itidem Scioppio teſte, perſuaſiſsimũ fuit hęreſi non lento pede obuiam eundum, ſed illam, (quandoquidem teſte Apoſtolo, velut cancer ſerpit, & contagione ſua plurimum nocet) ferro præcidendam eſſe, ſi aliter fieri nequeat, ne ſimul in perniciẽ pars ſincera trahatur. Quam autem eſt hæc impia cenſura? quàm inconſideratæ temeritatis culpatio, dicere, S. Auguſtinũ & S. Leonem fuiſſe Miniſtros Satanæ & pſeudo-apoſtolos? quibus ſumma cura fuit, vt pro Apoſtolica fide excubias agerent, & aduerſus Satanam in DEI Eccleſia fortiſsime pugnarent. O maximi Athletæ Chriſti! annon expoſtulatis iniuriam cum iſto nouo hæreticorum aduocato? Certè haud ſcio, an petulantior contumelia in vos, & maius probrum iactari poſsit, quàm ſi inter pſeudo-apoſtolorum, & miniſtrorum Satanæ nomina, Auguſtini & Leones connumerentur. Iniurioſiſsimè profectò, & calamo nimis improbo ac inuerecundo. Quare non eſt, cur non æquo animo ferant ſibi illatas à Scioppio iniurias Ieſuitæ, quando vident etiam auguſtiſsimos hos Theologos & iam cœli incolas ab eodem ſine reuerentiá & metu tam inclementer verberari.

Scioppius facit ex S. Auguſtino & S. Leone miniſtros Satanæ & pſeudoapoſtolos.

Animaduerſio duodecima.

Sciopius inuidiosè cõmittit inter ſe religioſos Ordines.

CAp. 9. pag. 33. & 34. inuidiosè, ac citra omnem neceſsitatem diſputat Scioppius de perfectione Ordinum Religioſorum inter ſeſe, vbi etiam Benedictinos Camaldulenſes tanquam omnium perfectiſsimos, vniuerſis præfert; additque, Carthuſienſibus & Franciſcanis permiſſum eſſe ab Eugenio IV. vt poſsint tranſire ad Camaldulenſes, velut ad altiorem perfectionis gradum adſpirantes: *à Camaldulenſibus tamen eos non admitti, niſi maioris perfectionis magiſtram S. Benedicti regulam ſe obſeruaturos voueant, & S. Brunonis leges, ac S. Franciſci formulam velut eiurent.* Verùm cur ſilentio ſupprimit Scioppius aliam Bullam, quâ Martinus IV. *religioſos Mendicantes prohibuit ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendâ ad religionem non mendicantium quocunque quæſito colore ſe transferre?* vti cernimus in Cap. *Viam ambitioſæ,* Extrau. de Regularibus, & tranſeuntibus ad religionem; cuius inter alia hæc ſunt verba: *Nullus ex profeſſoribus alicuius ex Ordinibus mendicantium huiuſmodi in aliquem monaſticum Ordinem (Carthuſienſium duntaxat excepto) poßit aut debeat per quemcunque recipi, vel admitti, virtute alicuius licentia, vel indulti, abſque Sedis huiuſmodi licentia ſpeciali ſub dictis pœnis; & nihilominus ſecus facta non teneant ipſo iure.* Inter illos autem Ordines, ad quos non

licet

licet tranſire mendicantibus, expreſsè etiam legitur Calmaldulenſis : & additur cur id fieri vetet Pontifex; quòd nempe aliqui *fucatis coloribus, aſſerant obſiugem melioris vitæ, aut arctioris obſeruantiæ ſe ad illos alios Ordines tranſire, facti autem euidentiâ doceri, eos id facere, vt liberiùs degant, dignitatéſque & beneficia monaſtica conſequi valeant; & ex certis aliis, honeſtati non conſonis, cauſis.* Ex his iudicet Lector, quid de Aſtrologia Scioppij ſit ſentiendum; qui vt religioſorum omnium quietem turbet, de omnibus multa dicit, quę aut non intelligit, aut malitiosè deprauat.

Nam I. non eſt vniuersè certum atque indubitatum indicium Religionis perfectioris, ſi ad eam tranſiri poſsit ex alia Religione: quia vt Siluester ait, adſtipulante communi ſententia DD. u. Religio §. 4. n. 6. *Licitè ex cauſa tranſitur etiam ad Ordinem æqualem, aut laxiorem*, modò in eo vigeat obſeruantia diſciplinæ religioſæ: Vnde triplex ab eodem aſſignatur cauſa eiuſcemodi tranſitus, num. 1. eiuſdem paragraphi. 1. *ex Zelo perfectioris religionis.* 2. *propter declinationem religionis à debita profeſſione, ſecundum quam fuerat inſtituta.* 3. *propter infirmitatem ac debilitatem.* De tranſitu ad alium Ordinem.

II. Idem eod. loco tradit *religonem mendicantium perfectiorem eſſe omni non mendicante*; ex Antonino. 3. p. tit. 16. c. 4. in fin. poſt Petrum de Palude in 4. & tamen omnibus Religioſis mendicantibus permittitur tran-

ſitus

ſitus ad Carthuſianorum Ordinem, vt habetur in dicta Extrau.Martini.IV. *Viam ambitioſa;* licet ille Ordo non ſit ex mendicantibus, de qua re plura apud Leſsium de ſtatu religioſo lib. 2. c. 41. dubit. 13. Itaq; non niſi, inanem verberat auram hic Scioppius;

III. Ait Scioppius *à Camaldulenſibus Carthuſianos & Franciſcanos non admitti, niſi prius Formulam S. Brunonis & S. Franciſci velut eiurent.* Quis vnquam audiuit vel tironem abſurdiùs alucinantem? Qui enim priora vota *commutat in melius*, non eiurat priora vota: Qui verò tranſit ad Camaldulenſes à Franciſcanis & Carthuſianis, ex ſententia Scioppij tranſit ad altiorem gradum perfectionis; adeóq; mutat priora vota *in melius.* Ergo non eiurat priora vota. Maior probatur ex Cap. *peruenit* 2. de iureiurando. *propoſitum, ſeu promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat.* Qui autem non infringit promiſſum, quomodo eiurat promiſſum. ratio autem cur non infringat, eſt; Quia in eo, quod melius eſt, cenſetur minus bonum contineri. *Ideo dans melius, excellenter ſoluit quod promiſerat*, inquiunt Theologi. *Sic optimè ſoluit promiſſum, qui dat id quod promiſſario eſt gratius; vt ſi loco canis promiſsi des equum, vel loco ouis bouem, loco nummi argentei aureum.* Ita Leſsius lib. 2. de voto, c. 40. dubit. 11. n. 87.

Qui votum in melius mutat, id non eiurat.

Ani-

Animaduerſio vltima.

AD finem animaduerſionum venio, non quòd errores, aut abſurda Scioppij ſint finita: (plurima namq; adhuc ſuperſunt) ſed quod promiſerim me breuitatis rationem habiturum. Quin tamen alij, quod à me omiſſum eſt, ſint iure ſuo facturi, nulla me tenet dubitatio.

Certè in Sacra Scriptura interpretanda nimis inſolens eſt Scioppius, & non parum recedit à SS. Patrum, Conciliorúmque regulis ac Decretis; In Concilio enim 2. Mileuitano c. 2. expreſsè vetitum eſt, ne quis aliter intelligeret & interpretaretur verba Sacræ Scripturæ, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica ſemper intellexit. & in 6. Synodo Generali can. 19. Tom. 3. Concil. part. 1. pag. 237. dicitur: *Quòd oportet eos, qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè Dominicis, omnem clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia, ex diuina ſcriptura colligentes intelligentias & iudicia veritatis, & non tranſgredientes iam poſitos terminos vel diuinorum Patrum traditionem. Sed ſi ad ſcripturam pertinens controuerſia aliqua excitata fuerit, ne eã aliter interpretentur, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt.* Quid verò Scioppius? magnis laudibus prædicat in cap 2. Aſtrologiæ pag. 7. & 8. monachos, *quod per contemplationem ſic illu-*

Scioppius nouitates in interpretanda S. Scriptura ſuadet contra SS. PP. decreta.

minentur vt ſenſa ſcriptura prius nunquam viſa, nec audita perſpiciant, ſimiles patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera Matth. 13. nec vetera vaticinari contentus eſt, hoc eſt, afferre, quæ in ſacris litteris, Concilijs, & Sanctorum Patrum, ac Doctorum libris legendo, vel Magiſtros audiendo didicit. Quod nihil eſt aliud, quàm viris religioſis anſam dare, eóſque quaſi dato ſigno ad nouas, erroribus obnoxias periculoſáſque ſacrarum ſcripturarum intelligentias animo concipiendas, & quia omnis nouitas cupida eſt lucis, etiam in publicum ſpargendas prouocare, quibus ipſe Scioppius exemplo ſuo, non modò in Eccleſiaſtico aliiſque nonnullis libris, ſed etiam in hac Aſtrologia infauſto pede præiuit, ſacris Scripturis ſimiliter atque teſſeris ludendo; quas paſsim ad iniuſtam alijs infamiam inurendam, per inauditas, falſas, imò etiam fœdas ac conſpurcatas interpretationes irreuerenter producit: vt in cap. 10. pag. 38. fecit. *An ignorant,* (inquit) *de illo,* (ſcil. Diabolo) *ſcriptum Iob. 41. non fugabit eum vir ſagittarius* (*ſiue argutus diſputator*) *in ſtipulam verſi ſunt ei lapides funda* (*nihil eum lædunt ſacrarum litterarum verba*) *cum ſublatus, ſiue irritatus fuerit, timebunt Angeli & territi purgabuntur, id eſt, etiam illi, qui viribus ingenij, plurimùm pollent, præ timore ſe* concacabunt, *& quo ſe vertant, neſcient, &c.* Annon eſt hæc ele-

Fœda ſcripturæ S. explicatio Scioppiana.

elegans & reuerentiæ plena Scripturæ Sacræ ex officina Scioppij profecta interpretatio?

Nouitates in Eccleſia Chriſti ſemper meritò fuerunt ſuſpectæ, & periculis plenæ habitæ, præcipuè vbi de S. Scripturæ intellectu agebatur; neque facilè vlla hæreſis fuit, quæ non hoc ſcuto, hoc eſt, nouella Scripturæ interpretatione ſe contexerit: ideo quemadmodum concors ſententia SS. Patrum in exponendo aliquo loco S. Scripturæ certum atque indubitatum indicium eſt veritatis, ita diſſenſio ab eadem ſolet eſſe nota erroris. Proinde qui non viſa, non audita, ſiue in Sacris Concilijs, ſiue in SS. Patrum atque Doctorum libris, in medium afferre amat, & deſerta veteri ac trita ſemita nouas vias quærit, næ ille non diu ſecurè ambulabit, ſed in præcipitia eum ruere neceſſe erit. Id ne Scioppio eueniat, Deum ſummis precibus obteſtor; cui tamen vt malè, vehementérque timeam, plurima ſunt, quæ me mouent.

Scioppium itaque per Chriſti vulnera etiam atque etiam oro & obteſtor, vt iræ ſuæ atque odio in Ieſuitas frenum inijcere, ſeſéque ab infeſtanda tot injurioſis maledictis & criminationibus Societate cohibere velit; nouit enim ipſe, quid olim euenerit Sapritio cuidam, qui animum ſuum adeo inexorabili odio in S. Nice-

phorum occupari paſſus eſt , vt ei ignoſcere , ac inimicitias remittere omnino nollet.

Errat profectò , & plus æquo ſibi tribuit , ſi exiſtimet , ſe vnum poſſe calamo ſuo euertere , & peſſum premere totam Societatem , Societas enim , Deo volente , ſtatura eſt , cùm ipſe jacebit , & illis Dauidicis verbis in cœlum clamatura ; *Confundantur ſuperbi : quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me : Ego autem exercebor in mandatis tuis.*

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

APPENDIX

AD GRAMMATICVM PROTEVM, QVID DE RELATIONE Alphonſi de Vargas ad Reges & Principes Chriſtianos ſit ſentiendum.

E*Xpedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua,* inquit prouerbiorum ſcriptor c. 17. Vnde etiam Comicus ait, *Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier, ex inſania inſaniorem feceris.* Vix certè refutationem Arcanorum Societatis IESV abſolui, cùm aliud prodijt volumen atrociſsimis, deterrimis, & truculentiſsimis mendacijs ad prodigium vſque plenum; cuius titulus eſt, *Alphonſi de Vargas Toletani Relatio ad Reges & Principes Chriſtianos de Stratagematis & Sophiſmatis politicis Soc.* Alphonſus de Vargas idem qui

Grāmaticus: *Ieſu ad Monarchiam Orbis terrarum, ſibi conficiendam.* Nihil hucuſque videtur exijſſe in Societatem rabioſius; non alio tamen (vti manifeſtum) niſi illo ipſo Grammatico, qui priores *libellos famoſos* edidit, auctore; cui vt falſa nomina comminiſci, ita calumnijs innocentium exiſtimationem obterere meriſsimus ludus eſt & iocus. Credas te videre abyſſum nequitiarum, cuius fundum nulla bolide pertentare poſsis.

Debuiſſet miſerandus homo tribus iam Apologijs, hoc eſt, Anti-Melandro, Ant-anatomia, & illius Mantiſſa, veluti tribus veritatis mucronibus confoſſus, aut digito os cōprimere, petulantíque calamo ceſſationem imperare, aut ad obiecta ſibi complura *Falſi crimina*, atque immaniſsima mendacia reſpondere: Nihil tamen horum adhuc fecit, ſed potius efferatior factus, non ſolùm vetera, ac iamdudum confutata commenta iden-

identidem regerit, repolit, atque refingit; verùm etiam noua, eáque omni atrocitate atrociora excogitat, horrendíſque maledictis in Diuos cœlites, & ſuprema capita Eccleſiæ aucta, in mobile vulgus diſpergit.

Quid ergo faciemus hoc homine? An quoties ille alienæ famæ bellum indicit, & criminatrices chartas ſcelerate emittit, ſemper apponemus ei Apologias publicas? Quis erit ſcribendi finis? Nunquam enim non habet maledicus lutum, quod jaculetur in innoxios: nunquam deſunt mendacia ijs, quibus propoſitum eſt alios calumniari. Ideo bene monet Salomon: *Vir ſapiens, ſi cum ſtulto contenderit, ſiue iraſcatur, ſiue rideat, non inueniet requiem.* Prouerb. 29.

Rectiſsimè itaque egero, & abundè ſatis illum confutauero, ſi omni omnino reſponſione indignum dixero; quód verum eſſe, mecum omnes judicaturi ſunt, quibus ſiniſter Alphonſus indignus reſponſo.

matico Proteo, vel in juſta defenſione, vel denique in Cenſura Aſtri inextincti.

Accedit grauiſsima autoritas Imperatoriarum Legum, quæ, præter alias maximas Pœnas, etiam turpi infamiâ notant, atque omnino INTESTABILES, nulláque penitus fide dignos eſſe volunt *Famoſorum libellorum* ſcriptores & editores; ideóque & à Teſtamentis faciendis, & à teſtimonijs ferendis illos in omnibus tribunalibus repellunt; vti egregiè docet nobiliſsimus Iureconſultus Proſper Farinacius 3.p. Praxis crimin. q. 105. de varijs ac diuerſis criminibus n. 438. ex l. ob carmen, ff. de teſtibus, l.cum lege.&l.is cui, §.final.qui teſtamen.facere.l.lex Cornelia, §. ſi quis librũ, & ibi Gloſſ. in verbo INTESTABILIS, ff. de iniur. §. ob carmẽ, & ibi Gloſſa quarta, q.3. Ang. in d. §. ſi quis librũ. n. 1. & 4. in fine, Gloſſ. in cap. de prima, in verbo, de prima. 5. q. 1. & ibi

Eſt famoſi libelli ſcriptor ideo inteſtabilis de jure.

Dd, 5 etiam

etiam Bellam.n.1. Archdiac. etiam n. 1. Alexan. in prin. Turrecremat. poſt principium. Idem Turrecrem. in c. qui in alterius, in fine, eadem cauſa & quæſtione. Azo. in ſumma de iniur. n. 5. Capra concluſ. 102. n. 199. Summa Sylueſtr. in rubr. de Libello, poſt n. 5. Summa Angel. in verbo Libellus famoſus, poſt princip. Pet. à Plach. in epitom. delict. lib. 1. c. 3. n. 3. in fine, verſ. ex principali tandem. Clar. in §. Teſtamentum, q 25. Burſat. conſil. 20. n. 55.

Probatur eſſe famoſiſsimum libellum.

Relationem autem iſtam Vargianam eſſe non tantum *famoſum*, ſed etiam *famoſiſſimum* ac peſtilentiſſimũ *Libellum*, neminem puto tam æqui hoſtem fore, vt id neget. *Omnis* enim *ſcriptura ſeu charta, clàm vel palã ſparſa, ad lædendam proximi exiſtimationem, per obiectionem criminum, extra forum, & non ad legitimum tribunal factum, ſine animo iuridicè probandi, eſt famoſus libellus*, vti docent Iuriſperiti &

ti & Canoniſtæ Martinus Bonacina Mediolanens. Tract. de reſtit. diſp. 2. q. 4. puncto. 9. prop. 1. Iodocus Domhouderius in praxi rerum criminal. c. 127. & alij paſſim.

Sed Alphonſi de Vargas Relatio eſt talis ſcriptura, ſeu charta quod abſque difficultate oſtendo.

Nam. 1. eſſe ſcripturam ad lædendam proximi exiſtimationem, obiectu minimè vulgarium criminum, clamat ipſe liber vociferatione maxima, cuius nullam paginam facilè monſtraueris, in qua non horrenda, atrocia, immaniſſima facinora exprobrentur Societati; quibus non poteſt non eius honori tam ſæuum vulnus imponi, quin ſaltem aliqua fœda cicatrix inde remaneat: quandoquidem veriſſimum eſt vetus verbum: *Calumniare audacter; ſemper hærebit aliquid.* Profectò quidquid eſt nefandi ſceleris, id in iſto libello Societati attribuit Relationis auctor, vide- Societatẽ Ieſu iniuriosè infamat.

videlicet perfidiam, periuria, ſacrilegia, homicidia, hæreſes, talia deniq; flagitia, quæ merentur cruces, rotas, ignes, & ferreos vncos. Neque ſimplici duntaxat modo de his Societatem accuſat, ſed tantis verborum exaggerationibus vtitur, támque exquiſito Lectorem in ſuam ſententiam pertrahendi artificio, vt manifeſtum ſit, eum velle, ſi poſſit, hac ſua ſuadela etiam optimos quoſque à tramite bonæ de Societate opinionis abducere: & Societatem eandem omni non tantum infamiæ, ſed cuiuſcunque læſionis genere transfigere & conſauciare.

Etiam in S. Ignatiũ iniurius.

Neque tamen ſolam Ieſuitarum famam lacerat grauiſſimè aduerſarius, ſed etiam impium calamũ ſtringit in Societatis Fundatorem S. Ignatium, qui non eſt illi niſi ſemiſſis homo, & nec crepitu digiti dignus.

Nec minùs in S.

Vrbanum quoque *octauum Pontificẽ* (inquit pag. 14.) *Doctorem non dicam,*

cum

cùm Theologiæ ne diſcipulus quidem unquam fuerit. & pag. 84. *Quoniam ſatis exploratum habent Ieſuitæ, ſi Cæſar Pontificem Romanæ Curiæ ingenio uti, déque monaſterijs arbitratu ſuo ſtatuere permittat, ut NULLA DIVINI HUMANIQUE IURIS RELIGIONE, alia Cardinalibus in commendam concedat, alia Epiſcoporum prodigorum, maléque rem gerentium menſis applicet, alia penſiones annuas Aulæ Pontificiæ Vernulis præſtare iubeat. &c.* Pontificem Urbanum VIII. cõtumelioſus.

De Ferdinando. II. Imperatore hæc ſcribit pag. 107. *Eat nunc aliquis, & miretur, cur Cæſar iuſtiſſimi propoſiti Ieſuitarum ſuorum impulſu mutati, tótque monaſteriorum, INVITIS DIVINIS ET HUMANIS LEGIBUS, aliò tranſlatorum, hoc nunc precium ferat, ut domi ſuæ inimicos Reges ac principes ſumma imis miſcere, ferro & flamma graſſari, omnia deniq; ex libidine agere videat, ac neque in SERVIS SUIS QUIDQUAM FIDEI INVENIAT; omníſque eius fortuna diuino* Similiter in Ferdinandum II. Imperatorem.

uino nudata præſidio, ac propè modò ſolo arundineo Hiſpanorum baculo innixa, tenui filo pendere videatur.

Etiam ſcelera-tus in Epiſcopos.

Epiſcopis, ita calumniatur: pag. 109. *Dolendum eſt Epiſcopos legi ex medio porcorum.* Item *Iuſtiſſimam dolendi, ac populi ſortem deplorandi cauſam habent, cùm Epiſcopos ex Suilibus, aut porcorum caulis, ſiue Haris legi vident, qui nutriti in croceis amplexantur ſtercora. Thren. 4.*

Annon hoc eſt ſupremorum Eccleſiæ capitum videlicet S. Pontificicis, & Cæſaris, exiſtimationem lædere? Annon hoc eſt eorum vtrique, vt & toti Romanæ Curiæ crimen violati iuris diuini & humani imponere? Annon hoc eſt omnes Cæſaris miniſtros perfidiæ, atque periurij inſimulare? Annon hoc eſt omnia Canonicorum Collegia appellare porcorum ſtabula? Annon denique hoc eſt Epiſcopos porcos & Sues nominare? Et adhuc dubitare quiſquam

poteſt,

poteſt, quin Relatio iſta alieni nominis honorem depeculetur atq; proximi famam diminutum eat?

2. Hoc ipſum fieri non coram *competente Iudice* aut ad legitimum tribunal, ſed *extra forum*, vbi non eſt fas alijs exprobrare crimina, in propatulo quoque eſt; cùm iſta *Relatio* typis emiſſa, Regibus & Principibus Chriſtianis inſcribatur: quæ tamen nulli Regum ac Principum ab auctore ritè atque ordine oblata eſt, ſed quaquaverſùm ad imperitum vulgus in publicum diſſeminata. Deinde hi Reges & principes, non ſunt à DEO conſtituti Iudices Summi Pontificis, neque Cæſaris neque Curiæ Romanæ, neque Epiſcoporum, neque miniſtrorum Cæſaris; imò nec Societatis, quam liquet Sanctæ Apoſtolicæ Sedi eſſe *immediatè* ſubiectam; ad cuius tribunal illam ſi vocetur, de obiectis ſibi criminibus reſpondere oportet.

Non agit legitimo modo, nec corã *competente* Iudice.

3. Rela-

Relatio eſt edita animo infamandi, non juridicè probandi.

3. Relationem iſtam eſſe editam, animo tātummodo infamandi, non autem *iuridicè* obiecta alijs crimina probandi, inde demonſtro, 1. Quia auctor non voluit ſe cognoſci, ſed ignorari: idcirco ſine *cenſura & approbatione legitima*; item ſine nomine, tam loci, quàm Typographi (contra decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 4. & Cōſtitutiones Imperij factas Francofurti Anno 1577. tit. 35.) hunc librum euulgandum curauit, ne poſſet ipſe ab vllo judice ad examen vocari, & ad probationem, qualem leges exigunt, adigi & compelli. 2. Ob eandem cauſam etiam ſuum proprium nomē mutauit, & ſe Alphonſum de Vargas Toletanum falsò nominauit, (cum ipſi longè aliud ſit nomen) vt haberet videlicet ſemper elabendi rimam & occaſionem negandi ſe eſſe auctorem.

Probatur eſſe confictum nomen Alphonſi de Vargas.

Porrò non eſſe hoc illius verum nomen etiam in expedito eſt commonſtrare. Nam 1.

Nam 1. pro exploratiſsimo ex haud leuibus teſtimonijs liquet, Grammaticum noſtrum alias etiam priuatim ſolitum fuiſſe antehac, ſe hoc Alphonſi de Vargas nomine, quando latere voluit, palliare. Valde igitur credibile eſt illum etiam hîc ſuum morem tenuiſſe. Quia alias etiam hoc nomen vſurpauit.

2. Huius ſcriptionis ſtylus, argumentum, Scopus, aliaque quamplurima, nequtiquam opinionis ambiguę veſtigia, omnibus indubitatam fidem faciunt, eundem eſſe huius Relationis auctorem, qui fuit Aſtrologiæ Eccleſiaſticæ, Anatomiæ, cui ſuũ nomen expreſsè præpoſuit, aliorúmque aduerſus Societatem publicatorum voluminum; de qua re ad judicium totius Orbis, & omnium eruditorum, qui illa omnia legerint, ſententiam prouoco; Cum ergo liquidum ſit, illos priores libros famoſos non eſſe ſcriptos ab aliquo Hiſpano, qui vocetur Alphonſus de Vargas, 2. Quia ſtylus & alia eum produnt.

etiam de hac Relatione eſt minimè dubitandum.

3. Quia partem huius libri cuidã legendã, & ad typos mittendam dedit.

3. Teſtes fidedigniſsimos habeo, eundem Grammaticum, cum anno proximè ſuperiore 1635. pridie Aſſumptæ in cœlum Virginis, Italiam petiturus, Lucernam in Heluetiam veniſſet, poſteriorem huius ipſius *famoſi libri* partem cuidam Domino legendam dediſſe, atque vt eam mitteret Baſileam ad Typos, quo iam partem priorem miſerat, vel ipſemet (vti ſpargebatur) cuidam Apoſtatæ Mediolanenſi ibi tradiderat, commendaſſe.

4. Quia talia acriter defendit.

Memoranda Epiſtola cuiuſdam Patris Benedictini.

4. Idem Grammaticus paulò antè, itineris cauſa, quod Baſileam tunc à fide dignis dicitur ſuſcepiſſe, diuertit in Monaſterium Murenſe Ord. S. Benedicti, ibíque inter epulas coram honoratiſsimis viris, plurima ex ijs, quæ in iſta Relatione Vargiana leguntur, contentioſiſsimè declamauit, quemadmodum doctiſsimus quidam

quidam Religioſus Benedictinus, qui quoque menſæ tunc aſſedit, ad Rectorem cuiuſdam Collegij Societatis ſuis litteris teſtatus eſt; quas operæ precium eſt hîc adiungere, quæ ſic habent.

Vt inopinas has mittam, non temeritatis id eſt, ſed prouidæ cuiuſdam cautelæ, vt autẽ ad Pat.tem potiùs Veſtrã, affectus & obſeruãtia ſuaſit. Eſt autem ſcriptionis hoc argumentum: Cùm ipſis nonis Iunij in menſa Domini Abbatis Murenſis agerem, præſente Domino Commiſſario Lucernate, & duobus Guardianis Cappuccinis, ex inſperato ſuperuenit notus ille Scioppius, quem aut ambitus, aut nimiæ litteræ ad inſaniam redegerunt. Illicò turbauit conuiuium, quòd omnes metueremus, ne ſua nos loquacitate occideret. Vix prima libauit fercula, mox capta ab Hiſpanorum læuis ſucceſſibus occaſione, ſanctum Cæſarem noſtrum perſtrinxit, Carolo ipſum Craſſo comparans, & paris infortunij caſum, vti Societatis manci-

 pio,

pio, præſagiens. Deinde Illuſtriſsimos Archiepiſcopos & Epiſcopos inuerecundè fures, latrones, venatores, & ne mercenariorum quidem nomine dignos, vniuerſim, & nullo per Imperium excepto, aſſeruit. Aggreſſus demum eſt Societatem IESV, Patres palàm dixit eſſe hypocritas, atheos, peſtem, & more Templariorum exterminandos. Vno verbo quæ ſparſim famoſis chartis ſuis illeuerat, hîc affatim & vno cumulo effutiuit. Nos verò mirari primum, quo fine talia, extra omnem conuerſationis ordinem, proferrentur; plerique abſurdum hominis judicium, & fœdam criminandi libidinem execrati. Mihi autem cùm rei indignitas pallorem iracundia mixtum expreſsiſſet, in mentem venit, hominis impudentiam vel obiter confutare. Dixi ergo: multa in medium proferre habes, Domine Scioppi, ſed opus tibi credulo auditore. Ille omnia, quæ narraſſet, meridie clariora eſſe dixit. Ego: ſi vel maximè vera, & clara eſſent, debere tamen Scioppium ſcire, Magnum Cæſarem,

Archie-

Archiepiſcopos, Epiſcopos, Societatem IESV, hactenus apud nos præclaram æſtimationem, adeóque jus bonæ famæ poſſediſſe, quo ipſos qui ſpoliet, è communi Doctorum ſententia, iniuſtitiæ crimen admittere; neque ab hoc ſenſu alienos eſſe, quotquot in Diuum Thomam ſint cōmentati. His meis, grauiter, & ſapienter, pro Illuſtriſſimo Principe noſtro Cōſtantienſi, Dominus Commiſſarius eſt adſtipulatus. Ad quæ Scioppius: quid ego curo Diuum Thomam; non eſt ille verbum DEI. Cui ego: at Oraculum illud in Eccleſia Dei paſſim receptum eſt; Probâſſe DEVM cælitùs ſcripta Diui Thomæ; & porro mercedem ſcriptionis obtuliſſe. Rurſum Scioppius, quid mihi fabulas Æſopi narras? ipſe Neapoli vidi, & riſi illam epigraphen. Perrexi ego: ex meris, Scioppi, particularibus argumentaris; adeóque nihil concludis. Eſto enim vnus atque alter Epiſcopus muneri non reſpondeat ſuo; Vnus atque alter è Societate IESV perperam ſcribat, aut doceat, vt aſſeueras, an tu

paucorum vitia toti es Ordini impactu-rus? Ille autem, ſe in ſuis libris ſolidè omnia de omnibus demonſtrâſſe, nec niſi duas Chriſti Societates noſſe, quarũ alterutram Ieſuitis nolit inuidere; Vnam in ſtabulo cum aſino, alteram in cruce cum latrone; nihil obſtare ſe, quin aut aſini patres eſſe velint, aut dici latrones. Repoſui ego, Scomma hoc acutius, quàm modeſtius eſſe, Dari tamen tertiam, de qua 1. Corinth. 1. v. 9. &c. Adhæc dum quererer, de meliora meritis Patribus adeo ſiniſtrè ſentiri, Reſpondit Scioppius: Summum Societatis meritum eſſe, quòd in Concilio Tridentino reformationem impediuerit Cleri. Oppoſui ego: amauiſſe Patres, ne Sacerdotum coniugia, & Communio ſub vtraque vulgo concederentur; ſubiecit Scioppius: Conducibilius futurum, ſi his conceſſis reformatio Cleri promota fuiſſet; me ſubridente & ſimul mirante, qualiſnam fuiſſet reformatio, iuxta quam coniugia Sacerdotum tolerata eſſent? me ille, & Dominum Commiſſarium, vt Ieſuita-

rum Scholares, & homines exiguæ lectionis, ſupinè eſt aſpernatus, Sophiſtas nuncupando, & negando Sanctum Auguſtinum dialecticis artibus quicquam tribuiſſe, imò nec Logicen didiciſſe. Contra hæc ego Confeſſionum Libros, in quibus ſe ſine Magiſtro categorias intellexiſſe ſcribit, citaui; ille è diuerſo librum primum eiuſdem contra Creſconium allegauit, in quo tamen S.^{us} ille diſertè hæc verba ponit. c. 14. CAVE NE CVIQVAM DIALECTICEN PRO CRIMINE OBIECERIS, QVA VSOS APOSTOLOS CONFITERIS. *Nihilominus in ſententia Scioppius perſtitit, gloriatus ſe per DEI Gratiam ne vna quidem hora Societatis diſcipulum fuiſſe: Ego ex oppoſito cùm non modò ſeptennem Patrum diſcipulum fuiſſe, ſed Sanctum quoque Ignatium in album Patronorum meorum adlegiſſe me dicerem, velut amens ille, non eſt certum, inquit, Ignatium Sanctum eſſe; Eccleſia enim circa Canonizationem errare poteſt. Cui ego: ergo & circa Inuocationem Sancto-*

rum; ergo & circa articulum fidei errare poteſt, quòd hæreſin ſonat. Denique cùm palàm conuictus abs me fuiſſet, nomen Fratris Iuniperi de Ancona fictitium, at verè Scioppium Calumnioſæ illius farraginis auctorem eſſe, & multa ille tum in meam inſcitiam, tum in Cappuccinorum ſimplicitatem garriuiſſet, in hæc verba mentem reſolui. Vtinam per ſanctam obedientiam confutatio libellorum Scioppianorum mihi incumberet? publicis illum typis aggrederer. Abſoluto dein conuiuio, in quo dominus Abbas, optimus ſenex, vel ideo maximè oppoſitiones meas probauit, ne cum Reuerendis Patribus ſuis, qui omnes aderant, adeo famoſis criminationibus applauſiſſe, aut tacendo conſenſiſſe videretur. Idem Scioppius contra me abſentem grauiter conqueſtus eſt, quòd ei tot nominibus de Ordine noſtro præclarè, vt putat, merito, tam audacter in faciem ſim obloquutus, &c.

Hæc optimus ille Religioſus, cuius nomen paratus ſum edere, ſi fuerit opus.

5. Non

5 Non multò poſt etiam Romam peruenit ad ipſum S. Pontificem, & Eminentiſſimos Cardinales fama, Grammaticum iſtum confictis varijs nominibus, contra Societatem infamia ſcripta euulgare; quâ re permotus Eminentiſſimus Cardinalis Antonius Barberinus ad Illuſtriſſimum Nuntium Apoſtolicum apud Heluetios has litteras dedit. Eminentiſſimi Cardinalis Barberini Epiſtola.

Molto Ill.re è Rcu.mo.

Molto Illuſtre e Reuerendiſſimo ſignore, come fratello; ſono pur troppo inquieti gli ſpiriti di Gaſparo Scioppio, & ſi rende molto oſtinato nel volere con ſuoi ſcritti, che dà alla ſtampe ſotto finti nomi, lacerare la fama de Padri Gieſuiti. Hà però N. ſignore con ſenſo di diſpiacere veduto i titoli di quelli, che pur hoggi cerca d' imprimere, che voſtra ſignoria hà inuiati qua, e col parere di queſti miei Eminentiſſimi hà commendato, che vſcendo alla luce ſiano prohibiti dalla S. Con-

gregatione del Indice, come opere di ſuppoſto autore. Et il ſignore la proſperi ſempre, e conſerui. Oſi Roma li 8. di Decembre. 1635.

Di. V. S.

Come Fratello affectionatiſſimo.

A. C. Barberino.

Perilluſtris & Reuerendiſſime Domine tanquam Frater.

GAſparis Scioppij ſpiritus nimis quàm inquieti ſunt; & videtur obſtinaſſe ad lacerãdam ſcriptis ſuis, quæ ſub fictis nominibus euulgat, Patrum Ieſuitarum famam. Eorum proinde, quæ in hodiernum diem ſtudet imprimere titulos, à Dominatione Veſtra huc tranſmiſſos, ſanctiſſimus D. N. cum ſenſu diſplicẽtiæ vidit; & ex meorum Eminentiſſimorum ſententia mandauit, vt in lucem edita, tanquam ſuppoſititij auctoris opera,

opera, à S. Congregatione Indicis prohiberentur. DEVS Dominationem Veſtram proſperet ſemper, & conſeruet Romæ 8. Decemb. 1635.

Dominationi Veſtræ.

Tanquam frater addictiſſimus.

A. C. Barberinus.

6. Iam à plurimis annis eidem Grammatico valde vſitatum, & ſolenne fuit, hunc ludum ludere, & ſuis libris, alia & alia ementita nomina præfigere, quemadmodum in præfatione Grammatici Protei indicaui, & tot opuſcula in *Arcanis Societatis* diuerſis nominibus inſcripta, eodem tamen prorſus ſtylo & modo conſcripta, plus ſatis, faciunt conteſtatum. Nullum igitur mihi dubium eſt, etiã Alphonſi de Vargas nomen in hac Relatione alioqui ſtylo cæteris libris ſimillima, eſſe ſuppoſititium; ob il-

6. Quia iam diu ſolemne illi fuit nomina mutare.

lam

lam Juris notiſsimam Regulam: *Qui ſemel eſt malus, ſemper præſumitur malus.*

7. Quia voluit in Italia ſimiles libros tradere typis.

7. Conſtat itidem certò ex litteris 8. Decembris anno 1635. Româ datis atteſtante id etiam Eminentiſsimo quodam Cardinale, cuius nomen ſubticeo, eundem Grammaticũ circa idem tempus in quadam ciuitate Italiæ non parùm laboraſſe, vt in infamiam Societatis liber ab ipſo conſcriptus typis euulgaretur, ſed reiectum eſſe, ac poſtea Salonam conceſſiſſe;

8. Reſidẽtis Veneti Teſtimonium.

Habetur quoque indubitatũ Reſidentis cuiuſdam Veneti, ad quendam R:mum & Ill:m Legatum teſtimonium, quo ſignificat, Grammaticum noſtrum edere Geneuæ librũ contra Societatem, in eóque iuſtitiam Decreti, quo Senatus Venetus Societatem è ſuis terris exire iuſſit, defendere. Verba illius Reſidentis hæc ſunt. *Certus ſio opus Scioppij, Geneua con-*

ua contra Ieſuitas typis mandari: nec-dum tamen cognitus habetur titulus: in-terim mihi videtur, quod ſuſceperit de-fendendas Actiones Reip. Venetæ in ex-pellendis eiſdem de ſuo ſtatu, in eúmq; finem producat rationes, publicando inti-ma ſecreta eius Religionis. Huic autem aſſeuerationi reſpondit poſtea euen-tus, vt videre eſt in *Arcanis Societatis*; in quo libro etiam cernitur vnum de hoc ipſo argumento opuſculum, cui fictitium nomen Bernardini Giraldi Patauini eſt præfixum. Quàm ergo certum eſt, Gramaticum iſtum eſſe auctorem Arcanorum Societatis, tam nihil nos ambigere ſinit de hac Relatione Vargiana, quæ eodem ca-lamo, eodémque atramento eſt con-ſcripta.

9. In omni colloquio, quod cum alijs ſerere ſolet Grammaticus, vix a-liud ex ore illius audias, quàm ea ipſa, quæ in hac Relatione Alphonſi de Vargas, alijſque prioribus libellis, contra

9. Quia vix alia habet in ore.

contra Ieſuitas contra Epiſcopos, contra Cæſarem leguntur; quæ tanto animi ardore, atque contentione vocis, támque prompta memoria & linguâ propugnat; vt ne minima quidem cuiquam ſuboriri poſsit dubitatio, quin ipſe per multam meditationem ſit artifex atque faber omnium iſtarum tam infamium chartarum. Ita omnes teſtantur, ad quos hoſpitij cauſa ille diuertit: cuius rei pulcherrimũ ſupra audiuimus exemplum ex litteris illius Patris Benedictini.

10. Quia ipſa Relatio autorem prodit.

10. In hac ipſa Relatione Alphonſi de Vargas pag. 30. cap. 10. prodit ſe auctor clariſſimis indicijs. Etenim conqueritur Alphonſus quẽdam Foreri amicum, cui is animam ſuam tradiderat, à Forero antehac laudatum, nunc libris editis ab eodem *ſemidoctum, futilem, & nullius precij deſcribi*; qui tamen *vir tantus* (Scioppium indicat, cuius ibidem nomen

mox

mox exprimit) *Cimicis tam fatidi, hoc eſt, Foreri, contactu digitos inquinare meritò aſpernetur. In tauros enim Lybicos ruere Leones, non eſſe papilionibus moleſtos: & multum rationem fugere carduum Libani, ſi Cedro Libani perſuaſurum ſe putet, vt filio ſuo filia eius vxor detur ipſe mox à beſtijs tranſeuntibus conculcandus.* Ex quibus verbis, qui artes Sinonias iſtius Grammatici nôrunt, confeſtim etiam ipſiſſimum eſſe, qui hæc ſcribat, agnoſcunt, quippe in huiuſcemodi ſcribendi genere exercitatiſſimum, præſertim contra Ioſephum Scaligerum, vt Amphotides Sciopianæ cum Mantiſſa, quam ſub nomine Oporini Grubinij edidit, demonſtrant; in quibus libris opertus ſimiliter ficto pallio Gaſpari Scioppio, hoc eſt, ſibi ipſi epinicia gloriabundus compoſuit, laudéſque immenſas cum incredibili aliorum contemptu affinxit. Certè de ijs, quæ ego cum Grammatico antehac aut

aut præſente verbis, aut abſente litteris egi, nullum vnquam Hiſpanum, cui Alphonſo de Vargas nomen ſit, certiorem feci: qui proinde eorum conſcius eſſe non poteſt, niſi dicas Grammaticum eſſe Alphonſum, & Alphonſum eſſe Grammaticū: neq; vllo modo credibile eſt, Toleti in Hiſpania, magis compertum eſſe, quid agat Forerus, quàm in Germania; in quâ tamen ridiculè Alphonſus c. 10. putat, vitam, mores, & actiones Foreri, à ſocijs adhuc ignorari.

11. Epiſtola Grāmatici in dolio reperta.

11. Sed en aliud argumentū! Anno. 1633. 5. Iulij, ſcripſit Mediolano Grammaticus litteras ad quendam Michaelem Kraff *Organœdum* & *Componiſtam*, vt vocant, Weingartenſem, in hunc modum.

Cardinalis Infantis præceptor, qui hic eſt in Hiſpania Ieſuitas ad inquiſitionis tribunal multarum atrociſſimarum Hæreſeon reos egerat; tanquam Academia-

rum

rum Salmanticenſis, Complutenſis & Vallis olearum Procurator. Et nunc totus in eo eſt, vt eorum hæreſes, fraudes, Impoſturas & ſcelera Orbi vniuerſo patefaciat. Ieſuitæ extrema omnia fecerunt, vt eum ex Cardinalis familia expellerent, ſed irrito conatu. Imò quoties Ieſuitæ ad Cardinalem veniunt aliquid acturi, aduocatur Præceptor, vt eorum dicta examinet; Neſciũt itaq; pauperes diaboli, quid debeant incipere. Wiſſen alſo die arme Teüffel nit/ was ſie anfangen ſollen. *Contra quos quidquid ego habueram, friuolum plane eſt, ſi cũ ijs comparetur, quorum eos magiſter iſte Principis conuincit. Et cum octo primarijs Ieſuitarum publicè congreſſus eos elingues & mutos reddidit.*

Hic plurima mecum communicat, quæ mirificè erunt vſui, ac fortaſſis ipſe quoq; ad me in Germaniam veniet, vt domi meæ libros ſuos edendos curet. Cupit ſibi conquiri, quidquid vndiq; in Ieſuitas exijt, quocunque Idiomate, quam rem tibi curæ eſſe velim. Dn. N. Argentinâ afferendum

curare poterit, quidquid ad rem pertinet, &c. Hactenus Scioppius.

Obſeruāda in his litteris.

In his litteris obſeruet Lector 1. hincmanifeſtum euadere, Grammaticum noſtrum Franciſco Roales Hiſpano (hoc enim dicitur eſſe nomen illius præceptoris) Societatis jurato hoſti valde familiarem fuiſſe, atque cum illo, clandeſtinum fædus & amicitiam ad mutua ferenda auxilia in oppugnatione Societatis inijſſe; 2. dictum Franciſcum Roales non de rebus in Imperio Romano, ſed in Hiſpania geſtis contra Ieſuitas dimicare: ac proinde illi adſcribi non debere, ſed alij auctori, quæ de rebus Germanicis Societati exprobrantur. 3. Eundem Grammaticum fateri, ſe *aliquid contra Ieſuitas habuiſſe*, id eſt, typis euulgaſſe; videlicet in actione perduellionis, Anatomia & Myſterijs PP. Societatis, quos libros iam tum in publicum emiſerat. 4. Ipſum confiteri quoque, plurima, quæ à Franciſco

ſco Roales communicata ſunt, *ſibi mirificè futura vſui*, id eſt, ſe illis vſurum in ijs libris, quos contra Ieſuitas typis adhuc cogitaret in publicum emittere. 5. Eundem Grammaticum illo tempore aut re ipſa iam occultū, & Legibus vetitum Typographîum in Germania priuatim in ſuis ædibus inſtituiſſe, aut de eodem inſtituendo iam fixum animo, & certū conſilium habuiſſe: quandoquidem Franciſco Roales ſuas ædes in Germania, ſuóſq; furtiuos typos ad edēdos libros tam beneuolè obtulit: ex quo apparet, vtrumque *publicam cenſuram*, quam Leges ciuiles & Eccleſiaſticæ poſcũt, ſubterfugere, & deuitare voluiſſe; quo ipſo ſe nō parum ſuſpectos reddiderunt. 6. Ea ipſa, quę à Franc Roales cum Grammatico communicata fuêre, reperiri huic *Alphonſianæ Relationi* partim cap. 18. 19. 57. inſerta, partim in fine per diuerſa opuſcula adnexa, & conſociata, vt vel hinc mani-

feſtum ſit, jactatas à Grammatico minas neutiquam fuiſſe inanes atque irritas; ſed hoc ipſo tempore in rem exijſſe. 7. Cum tanto ſtudio omnia, quæcunque aduerſus Societatem *famoſa volumina* prodijſſent, vterque ſibi conquiri & coëmi, etiam per Acatholicos, & in locis Acatholis voluerit, oſtendit quoque vterque, quas verſaret in pectore curas; quídue in Societatem adhuc moliretur. Si ergo nunc veſpertilionū more circumuolitēt eiuſmodi criminatrices chartæ, quis ambigere queat, quin ab iſtis auctoribus ſint profectæ? præſertim cum autographum huius epiſtolæ Rauenſpurgi in dolio vnà cum trecentis Anatomijs Societatis, per vniuerſam Sueuiam diſſeminandis, repertum fuerit; quem Anatomiæ librum mendacijs & iniurijs eſſe refertiſsimum, agnouit Romæ, *Sacra Indicis Congregatio*, eúmque idcircò damnatis libris ſolenni ſententiâ adiudicauit.

cauit. Atque hæc omnia ſi Lector æqua lance perpenderit, non exiſtimo quenquam fore, qui à noſtra ſententia diſcrepet, & non pro indubitato Grammaticum huius Vargianæ Relationis auctorem affirmet.

Eſſe porrò hanc Epiſtolam Rauenſpurgi repertam, teſtatur Liber Conſiſtorij Stutgardiani; quem in manibus meis habeo; his verbis. *Epiſtola* (hæc Scioppij) *erat incluſa vaſi trecenta exemplaria Anatomiæ Soc. Ieſu continenti. Epiſtola in Originali Biberaci in Bibliotheca Dn. M. Melchioris Syluestri Eccardi, Miniſtri Eccleſiæ ibidem primarij, menſe Auguſto ann. 1633. relicta eſt.* Rauenſpurgi repertam eſſe epiſtolam teſtantur Stutgardiani.

Epiſtolæ verò hæc præfixa leguntur ibid. *Caſpar Scioppius Comes à Claraualle, hæc ſubſequentia ad amicum quendam. In margine; Is eſt Michael Kraff Organædus & Componiſta* zu Weingarten. *Iterum in margine: Ex autographo Gaſparis Scioppij Biberaci intercepto* vom

Herren Obriſten Specrreütter. Ad illa verò verba: *Dn. N. Argentinâ afferendum curare poterit*, in margine quoque hæc eſt gloſſa; *Mangoldus primarius ciuis Rauenſpurgenſis Euangelicus Vlmæ habitans.* Vnde euidẽter liquet, Grammaticum noſtrum etiam calamitoſiſsimo illo Suecicæ turbationis tempore in Germania, cum hoſtibus Catholicæ fidei, in perniciem Ieſuitarum colluſiſſe, & dum ſuperos flectere non potuit, Acheronta mouiſſe.

Id quod hodiéque facere non ceſſat. Quem enim lapidem non mouet, vt vel tandem aliquando voto potiatur? Quæ quantáque non comminiſcitur, vt Societati omnem bonam exiſtimationem detrahat? Vt S. Ignatium toti Orbi ridendum & explodendum propinet. Ecce Specimen! In cap. 7. Relationis pag. 22. ſcribit. *Vſque eò Ieſuitæ ſibi de igne ſuo placent, vt pyrotechnicam, id eſt, artẽ ignes miſſiles* Mendacium de Land-

conſi-

conficiendi, eorúmque iaculatione domibus & ciuitatibus incendia & conflagrationes inferendi, velut Ignatij ſui non minus menti & inſtituto, quàm nomini conſentaneam profiteri audeant. In qua quantùm profecerint, Illuſtriſſimi Principis Landgrauij Leuchtenbergici filius, ſi minus oculatus, ſaltem exoculatus teſtis eſſe poteſt. Is enim cùm ſuperioribus annis apud Ieſuitas educaretur, & ludos eorum in honorem Ignatij nuper conſecrati ſeu canonizati actos ſpectaret, eiuſmodi miſſilis ignis ictu alterum oculorum amiſit. Vnde hominibus dicacibus ioci nata occaſio, vt dicerent, alios Diuos in feſtiuitatibus ſuis cæcos illuminare, ſed Ignatium videntes excæcare. Quantum verò, & quam ſceleratum ſit hoc mendacium, videre eſt ex Teſtimonio, quod auditis legitimè teſtibus ciuibus Vniuerſitas Ingolſtadienſis dedit, in qua dum Landgrauius ſtudiorum cauſa ageret, illud infortunium tulit.

grauio Leûchtē. bergico.

RECTOR, CAMERARIVS, ALIIQVE PROFESSORES Sæculares Electoralis Vniuerſitatis Ingolſtadienſis omnibus has inſpecturis S.

VEritati Teſtimonium dare, quando meritò poſcitur, tum per ſe præclarum eſt; tum, vbi id ad defenſionem innocentûm, ac præſertim ad Sanctorum cum Chriſto in cælis regnantium honorem ab improbis blaſphemijs tuendum ſpectat, maximè Chriſtianum eſt. Cum itaq; nobis relatum ſit, ſpargi à quodam Alphonſo de Vargas edito libro hæc ſequentia: Vſque eò IESVITÆ ſibi de ſuo igne placent, vt pyrotechnicam, id eſt, artem ignes miſsiles conficiendi, eorúmque jaculatione domibus & ciuitatibus incendia & conflagrationes inferendi, velut Ignatij ſui non minus menti & inſtituto, quàm nomini conſentaneam profiteri audeant, In qua quantum profecerint, Illuſtriſsimi Princi-

pis Landgrauij Leuchtenbergici filius, ſi minus oculatus, ſaltem exoculatus teſtis eſſe poteſt. Js enim cùm ſuperioribus annis apud Ieſuitas educaretur, & ludos eorum in honorem Ignatij nuper conſecrati ſeu canonizati actos ſpectaret, eiuſmodi miſsilis ignis ictu alterum oculorum amiſit. Vnde hominibus dicacibus ioci nata occaſio, vt dicerent, alios Diuos in feſtiuitatibus ſuis cæcos illuminare, ſed Ignatium videntes excœcare: *Nos publico hoc Teſtimonio palàm facimus, ac teſtamur.*

Jlluſtriſſimi S. R. I. Principis Landgrauij Leuchtenbergici filium Guilielmũ Fridericum, Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, Die decimo quarto Menſis Ianuarij, recens huc profectum, Vniuerſitatis noſtræ Matriculæ inſcriptũ eſſe: Poſtea verò eundem iuniorem Landgrauium anno eodem in feſto Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, dum ignem, antiquo more huius diei excitatum ſpectauit, pyrobolis

roboliſ exilientibus, caſu tactum, & altero oculo læſum eſſe: nec eum ignem in honorem S. Ignatij Confeſſoris Soc. IESV Fundatoris, aut eiuſdem Canonizationis, ſed in atrio S. Ignatij Epiſcopi & Martyris, pro more temporis & lætitiæ eius diei, à Conuictoribus tunc præſentibus, inter quos educabatur iunior Dominus Landgrauius, excitatum eſſe: illos verò, de quibus Vargas, ludos Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo in honorem S. Ignatij Conf. & Soc. IESV Fundatoris, tunc canonizati, in vere exhibitos eſſe, annis amplius tribus ante aduentũ Landgrauij iunioris Ingolſtadium, quibus neutiquam interfuit: ac proinde hanc prædicti Domini Landgrauij læſionem, non niſi maleuolè in S. Ignatij Confeſſoris, aut cuiuſquam alterius Sancti irriſionem trahi poſſe: Neque verum eſſe, quòd ex hac Illuſtriſsimi Landgrauij læſione vlla occaſio nata ſit ioci in S. Ignatium Confeſſorem à Varga allati; quem quidem iocum nemo vnquam Ingolſtadij aut excogitauit,

uit, aut edixiſſe hucuſque auditus eſt: deniqueea, quæ de pyrotechnica Ieſuitarum Ingolſtadienſium adferuntur, fabuloſa eſſe, nec apud vllum honeſtum verique amantem poſſe fidem moueri contra apertam veritatem, qua nobis conſtat, nullam talem pyrotechnicam à Varga deſcriptam, Societatis IESV religioſos hîc profiteri & exercere, aut vnquam exercuiſſe & profeſſos eſſe. Ad cuius noſtræ aſſertionis, ac Teſtimonij robur, Vniuerſitatis noſtræ Sigillum eſt appreſſum, cum ſubſcriptione Notarij iurati eiuſdem Vniuerſitatis. Datum Ingolſtadij Anno Salutis Milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſexto. Die vigeſimo ſeptimo Octobris.

Quis iam mendaciſsimo huic calumniatori & Sanctorũ in cœlis impio illuſori non omnem deinceps fidem abrogandam cenſeat, qui tam impudenter, támque perfrictâ fronte audet in ſummam S. Ignatij ignominiam hanc oculi læſionem refer-

re, ac mendaciſſimè ſcribere, ioci in S. Ignatium occaſionem natam eſſe, ac iocum illum (quem ipſe in cerebro ſuo impiè excogitauit) prolatum tunc eſſe & oculis atque auribus omnium Regum ac principum Chriſtianorum, tanquam ſi eſſet ipſiſſima veritas, & Pythij Apollinis oraculum hæc omnia ingerere?

Alia eiuſdem generis mendacia.

Neque dubitet Lector, quin eiuſdem omnino furfuris ſint, quæ c. 3. de Florentinis, c. 11. de Confeſſario S. Caroli Borromæi & c. 15. de Grætienſibus Ieſuitis maleuolentiſſimè & ſpurciſſimè confinxit. Nullo enim alio teſte nituntur, niſi ipſo: cui nihil penitus eſſe credendũ, ſi alia argumenta, quæ iam attuli, deeſſent, vel ex eo nobis meritò perſuaderi poſſet, quod ipſemet antehac, vt Amphotides Scioppianæ Pariſijs editæ pag. 189. teſtantur, palàm confeſſus fuerit, ſe Ieſuitis Italis, & Grætienſibus, parùm eſſe amicum. Cùm ergo etiã apud

apud Barbaras Gentes hoſti, ſeu inimico aduerſus alterum teſtificanti fides non habeatur, planè confido & illa quoque omnium iudicio viſum iri falſiſſima, quæ de iſtis Ieſuitis ab hoc homine commemorantur.

Ingentem triumphũ canit Vargas c. 2. pag. 9. & Ieſuitis nil ampliùs credendum eſſe, euiciſſe iam ſe gloriatur, quòd Ioannes Argentus, vnus ex primoribus & veteranis Ieſuitis, in Libro ſuo ad Poloniæ Regem c. 17. pag. 219. mendaciter dicat; *Paulus IV. tanti ipſe quoq; Societatem & Societatis parentem Ignatium fecit, vt nihil in ea vnquam innouari permiſſerit*; Contrarium autem apertè legatur in Hiſtoria Societatis part. 2. lib. 2. n. 58. & lib. 3. n. 30. *Pauli IV. iuſſu tota vitæ quotidianæ ratio ac diſciplina perturbanda erat, cunctaq; ſuo loco mouenda, non pauca ſatis vtiliter inſtituta poſthabenda, vt CHORO ſpacium, quod non modicum occupat, quæreretur.*

Ite

Ite nunc (Inquit aduerſarius) *Pontifices maximi, ite Reges ac Principes Catholici, & deflexis credite auriculis, quidquid apud vos Ieſuitæ de priorũ Pontificum erga ſuum Ignatium veneratione & obſequio gloriantur.* Reſp. Si Alphonſus in malitiam non deflexiſſet auriculas, totúmque animum veneno aſpidis & baſiliſci tinctum gereret, facilè cernere potuiſſet, Ioannem Argentum Hiſtoriæ Societatis neutiquam repugnare, ſed potiùs cum eadem examuſſim conuenire, & ab omni mendacio abſoluendum eſſe. Annon enim affirmatè Hiſtoria Societatis p. 2. lib. 1. n. 31. dicit Paulum IV. Ignatij veneratione retardatum fuiſſe, vt ipſo viuente quidquam in Societate innouauerit? Eodem planè ſenſu accipi poſſunt Ioannis Argenti verba, de illo duntaxat tempore, quo S. Ignatius adhuc in viuis fuit; & ſic veriſſiima ſunt. nam quid poſtea euenerit, ipſe Argentus qui

tot

tot annis in Societate ſuperiorem egit, ignorare non potuit, multo minus negare, cùm id vel duodennes pueri nôrint. Deinde obſeruandum quoque eſt Ioannem Argentum non dicere, Paulum IV. nihil vnquam in Societate *innouâſſe*, ſed *nihil innouari permiſiſſe*; ab alijs videlicet, præter ipſum pontificem; præſertim à Ferdinando Romanorum Rege, de quo ibid. exemplũ ſumit Argentus. Plurimum enim laborauit apud Pontificem Rex ille optimus vt è Societate crearentur Epiſcopi, quæ vtique magna fuiſſet *innouatio*; ad eam tamen permittendam nunquam potuit induci Pontifex, licet ſæpius, admodúmq; vehemẽter vrgeret Ferdinandus Rex; vt videre etiam eſt in 1. p. Hiſtoriæ Soc. lib. 6. n. 31. & 34. lib. 13. n. 26. & lib. 15. n. 9. Itaque vaniſſimus eſt Alphonſi triumphus, nequiſſima autem eſt calumnia, cuius feraciſsimi ſunt illius Libri.

Pate-

Patefeci hucuſque in *AntiMelandro*, *Antanatomia*, & eius *Mantiſſa* plurima huius generis monſtroſa figmenta, quæ iſte figulus multigenis variata figuris, affabrè concinnauit; falſitatíque improbæ, inuolucra detraxi: vndè capitali odio in me quoq; Grammaticus exarſit: idcirco meis ſcriptis contrà ſe editis fidem omnem ademptúrus, ſuo iam vſitatiſſimo more, immania, atrocia, & nefanda crimina etiam de me, in hac ipſa ſua Relatione (à cap. 10. vſque ad 16.) eſt commentus exiſtimans ſe confeſtim pro candidiſſimo cygno habitum iri, ſi modò me fœdiſſimè collutulâſſet, nigerrimóque carbone notâſſet.

Quà in re planè id egit, quod hæreticos agere S. Hieronymus lib. 3. in Rufinum ſcripſit. *Iſta*, inquit, *ſunt machina hæreticorum* (& grandium calumniatorum) *vt conuicti de perfidia ad maledicta ſe conferant. Sic Euſtathius*

Antio-

Antiochenus Epiſcopus filios dum neſcit, inuenit. Sic Athanaſius Alexandrinæ Vrbis Pontifex tertiam Arſenij amputauit manum: duas enim qui mortuus priùs fingebatur, viuens poſtea habere monſtratus eſt. Quibus addo; Sic etiam Robertus Bellarminus milleſexcentas concubinas (quarum tamen nullam tetigit vnquam, aut vidit) dum Cardinalis eſſet, habuit, & pleraſq; earum cum plurimis liberis ferro, igni, veneno, aquis crudeliter interemit: Sic Ieſuitas Molshemienſes, qui tamen adhuc hodie viuunt, ex theatro, cum perſonam Lutheri agerent, Cacodæmon ſpectante tota ciuium corona ad orcum rapuit; vti Famoſus libellus anno. 1614. Lauingæ editus mentitus eſt: Sic multi alij maximi & ſanctiſſimi viri horrenda & immania ſcelera perpetrarunt, de quibus tamen nullam vnquam cogitationẽ ſuſceperunt. Quid ergo mirum, ſi in meum quoque caput, qui

 neque

neque Athanaſijs, neque Hierony-mis, neque Bellarminis conferendus ſum, aliquando calumniæ lapis decidit?

Fateor me ſæpè miratum fuiſſe, cur Grammaticus, qui in alios nonnullos Ieſuitas tam furiosè debacchatus eſt, me tamdiu tacitus præteriret; Præſertim poſtquam publicis ſcriptis cæpi Societatem contra illum defendere. Vnde etiam nonnunquam in mentē venit illius Sanctæ Virginis & Martyris *Secundæ* quæ anno Chriſti 260. à Iunio Donato Vrbis præfecto in carcerem coniecta, cum videret ſororem ſuam Ruffinam pro Chriſto formidandum in modum loris cædi, ſibi autem parci, præfecto dixit, Cur iſte honor à te meæ ſorori tribuitur, mihi autem parcendo ignominiam in fers? Non equidem minùs Chriſtū colo. Quare æquum eſt, me pariter flagris conſcindi, quæ pariter Chriſtum profiteor,

fiteor. Nam Chriſtianorum nomen verberibus honoratur, numerus cruciatibus augetur.

Pari modo poteram & ego antehac conqueri, me à Grammatico negligi: quippe qui etiam Societati IESV nomen dederim; quíque ex eiuſdem legibus & viuere, & mori deſiderem. Cur ergo inquiebam apud me, in multos alios innoxios viros *flagello* tuo *Ieſuitico* tam horrendè ſæuis, eóſque tuis dehoneſtamentis honoras, me verò dignum non cenſes, qui *pro nomine IESV* quoque *contumeliam patiar.* Sed ecce! voti me tandem compotem facit Grammaticus, plenîſque iam & modijs, & plauſtris, in me atroces calumnias non ſolum metitur, ſed etiam mentitur, tarditatémque ſuam, iniuriarum grauitate egregiè compenſat, ſex integris capitibus ad meam infamationem conſcriptis.

In his autem conſiſtit Grammati- Mēdacia

de Fore-ro. ci de me accuſatio. I. Me eſſe turbatorem Imperij R. facem belli, omnium calamitatum, quæ ab aliquot annis Eccleſiam afflixerunt maximũ auctorem, & cauſam. 2. Me eſſe hominem voracem, qui omnibus diebus eſurialibus ſeu piſculentis, contra præceptum Eccleſiæ, carnibus electiſſimis veſcar. 3. Me eſſe vinoſum & bibulum, qui non niſi merum exoticum, & ab vltimis Gadibus magnâ impensâ aduectum potem. 4. Abeſſe iam non poſſe, quin etiam ſim libidinoſus & ſpurcus: cui ſi puellæ deſint, pueros in Principis aula non deeſſe: 5. Me etiam Magum eſſe, ac Magiſtro diabolo vti in medicina, cùm olim pharmacopæus fuerim, & medicinæ pluſculum ſtudij impenderim.

Reſp. Magno mihi ſolatio eſſe illud Seruatoris noſtri monitum; Matth. 5. *Beati eſtis cũ maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixe-*

dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante nos. Nec tantùm Prophetas, ſed & ipſum Prophetarum Dominum, qui hæc dixit; cui eandem calumniæ ſecurim impegerũt quondam impij.

Etiam Christo talia obiecta fuerunt.

Nam Ioann. 7. *ſeducit turbas*, inquiunt, Lucæ 23. *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari.* Matth. 11. *Ecce homo forax & potator vini.* Lucæ 6. *Ecce homo deuorator & bibens vinum, amicus Publicanorum & peccatorum.* Marci 3. *Quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Ioan. 10. *Dicebant autem multi ex ipſis, dæmonium habet & inſanit.*

Itaque meritò gaudere debeo, & loco magni habere beneficij, mihi eam felicitatem obtigiſſe, vt poſſem eſſe in eorum numero, quibus diui-

no munere datum eſt, *Redemptoris* noſtri veſtigia ſequi, ijſdémque quibus ille indutus fuit, ignominiæ veſtibus indui & condecorari; ad præſcriptum videlicet Regulæ noſtrę vndecimæ in ſummario, cuius hæc ſunt verba: *Sic qui procedunt in ſpiritu, & ſeriò Chriſtum D.N. ſequuntur, amant & ardenter exoptant, quæ ijs omnino contraria ſunt; indui nimirum eadem veſte, ac inſignibus Domini ſui pro ipſius amore ac reuerentia, adeo vt ſi ſine offenſione vlla diuinæ Maieſtatis, & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia, & iniurias pati, ac ſtulti haberi & exiſtimari (nullâ tamen ad id per eos data occaſione) eò quod exoptant aſſimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum N. Ieſum Chriſtum, eiuſq; veſtibus & inſignibus indui, quandoquidem illa ipſa propter maiorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobiſque exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri potuit, diuina gratia adſpirante*

Regula vndecima Societatis in Summario.

ſpirante eum imitari & ſequi, cùm vera ſit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.

Cæterùm licet indubitatum ſit, iniurias eſſe à Ieſuitis ad Chriſti imitationem patienter & libenter ferendas, obuijſque vlnis amplectendas, nihilominùs tamen etiam certum eſt, ab ijſdem ſummo ſtudio cauendum, ne anſam alijs ad eas inferendas præbeant; quemadmodum expreſsè Regula iam recitata monet per illam parenthesin (*nulla tamen ad id per eos data occaſione*) Quibus verbis aliqua mihi imponitur neceſſitas oſtendendi alijs, me juſtam tam graui inſimulationi cauſam non dediſſe.

Poſſem quidem ſatis tutari innnocentiam meam, illis Nehemiæ verbis lib. 2. Eſdræ c. 6. v. 8. & Grammatico dicere: *Non eſt factum ſecundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc.* Cùm enim tu accuſatoris partes ſuſceperis, ego verò ac- | Poſſem me ſola negatione tueri.

cuſati, ſeu *Rei* ſuſtineam, nullo jure à me poteſt exigi, vt me probem integrum vitæ, ſceleríſq; purum, ſed ſola criminum mihi impoſitorum infitiatione poſſeſsionem boni nominis retineo, donec tu ritè atque ordine tantorum flagitiorum me conuincas: quod in tua Relatione Alphonſe neutiquam feciſti: neque in omnem æternitatem es facturus.

Ne tamen hæc tanta accuſatio fraudi ſit alijs, ſiue Societati, in qua viuo, ſiue ijs, cum quibus ago, quamdiu diuinæ placuerit voluntati, cogor profectò tam immania obiecta flagitia, non ſilentio, nec ſola negatione, ſed robuſtiore telo refutare.

Defenſio Foreri. Itaque ad primum pro mea defenſione dico I. Quòd 3. Reg. 18. v. 19. Elias dixit impio Regi Achab, qui Prophetam ſic fuerat allocutus. *Túne es ille, qui conturbas Iſraël? & ille ait; Non ego turbaui Iſraël, ſed tu, & Domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini*

mini, & ſecuti eſtis Baalim. Tu, inquam, Grammatice, & Hæreſis mater tua, quæ te genuit. Tu qui claſſicum belli dudum ceciniſti: Tu, qui Heldum rediuiuum in theatrum ſæpius produxiſti: Tu, qui Carolo V. Imperatori in tuo Eccleſiaſtico (libro à nemine approbato) octodecim grauiſſima errata ex modica fide de Dei auxilio profecta exprobraſti: Tu, qui Cæſaris, & aliorum Principum conſiliarios mollibus ſuis conſilijs hæreſin fouentes, in malam maximam crucem faceſſere juſſiſti. Eccleſiaſtici Scioppiani c.115. pag. 399. & 400.

Dico II. mihi apertè iniuriam abs te fieri, cùm me quoque libri illius, cuius titulus eſt, *Compoſitio Pacis*, auctorem facis. Illuc enim collineant verba tua pag. 30. *eum tandem effodit* Forerus *ſenſum* (ex Pace religionis) *per quem ius fáſq; eſſet Catholicis in diuerſæ religionis homines vim facere &c.* Certè omnes, qui Dilingæ tunc fuerunt, præſertim typographi, nôrunt, De libro, qui dicitur Compoſitio Pacis.

& ſi opus fuerit, iurati teſtari poterunt, me eo ipſo tempore, quo *Pacis compoſitio* ad prelum typographicum præparabatur, cum Saxonicis prædicantibus, de *Vbiquitate* & alijs rebus concertâſſe, ac cum illo Libro nihil negotij habuiſſe.

Adhæc in AntiMelando part. 2. c. 1. demonſtraui, Sueciæ Regem iam in armis contra Cæſarem fuiſſe, antequam illa *Compoſitio Pacis* euulgaretur. Non igitur per hunc Librum commotus ille Rex, pedem in Germaniam intulit, tantíſq; illam cladibus affecit: præſertim cùm etiã Ipſe longè alias cauſas hoſtilis irruptionis in ſuo *Manifeſto*, attulerit.

Neque liber ille, *Compoſitio Pacis*, vllo vſquam verbulo, aut minimo apice cuiquam Principum ſuadet, vt arma corripiat, pacem publicam turbet, aut vim diuerſæ religionis hominibus faciat, ſed poſtulata duntaxat Catholicorum diuinis humáníſque

niſque legibus conſentanea eſſe oſtendit, & partes inter ſe diſſidentes ad legitimi Iudicis tribunal, hoc eſt, ad *viam Iuris*, ſiue in Aula Cæſaris, ſiue in Camera Spirenſi, non autem ad *ius gladij* dirigit, & ablegat: Ideo nemo abſque euidenti falſitate dicere poteſt, pluſquàm Troianum incendium patriæ fuiſſe ex hoc libro conflatum, niſi etiam accuſare *Sacra Biblia* velit, ijſque culpam attribuere, quòd tot hæreſes in Eccleſia ſint exortæ; quarum nulla eſt, quæ non ſuis erroribus aliquod ſuffibulũ ſiue *perizonium* ex ſacris ſcripturis malè intellectis ſoleat prætexere.

Pacis autem fœdera in Imperio anno. 1555. ſancita tantùm abeſt, vt Liber ille dicat eſſe ſoluenda, vt cap. 5. q. 29. fol. 150. 151. edit. 2. fortiſſimè propugnet pro eorum ſententia, qui docent, Catholicos nullo modo poſſe, aut debere contrauenire paci,

quæ

quæ publica authoritate cum Acatholicis eſt firmata.

Accedit teſtificatio trium Facultatum Iuridicarum in tribus celeberrimis Academijs, videlicet Ingolſtadienſi in Bauaria, Friburgenſi in Briſgoia, Herbipolenſi in Franconia, quæ Volumen illud poſt diligentem & accuratã lectionem ſuo calculo approbârunt, palámque ſuo ſigillo omnibus fidem fecerunt, *Tranſactioni Paſſauienſi* non ſolum non eſſe contraria quæ in illo traduntur, ſed ad verum & genuinum illius ſenſum clarè, & ſine falſitate ac dolo patefaciendum quàm maximè idonea. Hos omnes Clariſſimos Viros nemo ſine iniuria incendiarios & Germaniæ Turbatores appellauerit.

Notiſſimum inſuper eſt, Acatholicos plurimos antehac de Pace religionis varios libros typis euulgaſſe, vti teſtantur Iuſti Springeri, Henrici Andreæ Cranij, Theodori Thummij, Domi-

Dominici Arumæi, Chriſtoplori Mingij, Quirini Cupachij, Ioannis Nordemanni, Remigij Feſcij, aliorúmque lucubrationes, Tractatus, diſputationes, Gloſſæ, & Aſſertiones, Ienæ Lipſiæ, Wittebergæ, Tubingæ, Baſileæ & alibi typis emiſſæ; quibus libris cùm non pauca Decreta Pacis religionis perperam, & in magnum præiudicium Catholicorũ per lubricas, contortas ac falſas interpretationes explicentur, quis Catholicis vitio vertat, ſi & ipſi ſuum ſenſum de illa *Pacis formula* publico ſcripto prodere, & iſtorum technas, ne Iuniores Iureconſulti Catholici in errorem inducerentur, denudare voluerunt?

Fuerunt præterea Catholici Ordines Imperij clàm & palàm apud exteros Reges, principes, & populos, tam Catholicos, quàm Acatholicos, violatæ pacis Religionis, non ſine calumnijs, grauiter inſimulati,

ad

adquam infamiam amoliendã omnino neceſſarium viſum eſt, Iura Catholicorum in apertum producere, & cum diuinis humaníſque Legibus congruentia eſſe demonſtrare.

Hæ aliæque rationes apud prudentes facilè poterunt hunc Librum à crimine *Violentiæ* quod ei exprobrat Alphonſus, liberare.

Dico. III. Me Cæſaris Conſiliarium nunquam fuiſſe, neque in omni vita, niſi ſemel per quadrantem cum S. Cæſ. Ma.te verba feciſſe: Cum Cæſaris verò Conſiliarijs excepto vno atque altero, neque commercium literarum neque familiaritatẽ habuiſſe: vti optimè nouit Grammaticus; qui non niſi poſtquam in Anti-Melandro, & Ant-anatomia cónſpexit ſua mendacia à me confutari, talia de me confinxit; cùm adhuc anno. 1631. & 1632. non modò aliter de me locutus fuerit, ſed etiam ſcripſerit, vti teſtantur partim libelli eiuſdem,

Quia Societatem defendi, de me confinxit talia crimina Grammaticus ex odio.

dem, poſt proxima Comitia Electoralia Ratiſponenſia Auguſtæ typis expreſſi; partim priuatæ litteræ, in quibus me optimè de Eccleſia Dei meritum eſt conteſtatus. In publicis verò ſcriptis, quibus Societatem impugnauit, hoc eſt, in Actione perduellionis, in Anatomia, & alijs *famoſis libellis*, tametſi alios quoſdam Ieſuitas nominet, quorũ culpæ turbatum Imperij R. ſtatum adſcribendum eſſe contendit, mei tamen nunquam vel verbulo meminit: quod minimè facturus fuiſſet, ſi ea cum veritate congruerent, quæ in hac Relatione de me diuulgauit.

Ex quo planiſſimum fit, eum, non niſi ex priuato & hoſtili odio, per iſtam meam defenſionem Societatis concitato, de me iam talia confingere, poſtquam meis libris ipſius improbitatem orbi demonſtrare incepi. Cauſæ verò huius publicæ cladis in Germania, alibi ſatis ſunt expreſ-

ſæ, &

ſæ, & omnibus notæ. Totus Orbis nouit fundum calamitatum ab aliquot annis eſſe alium. Si quis demõſtrauerit me facta illius aut minimo conſilio adiuuiſſe, paratus ſum me ſiſtere cuicunque magiſtratui, vt accipiat me necatũ exquiſitiſſimis tormentis.

Reſpõſio ad reliquas accuſationes.

Quid porrò de reliquis accuſationibus, quas in me inſtruxit Aduerſarius, ſentiendum ſit, ex ſequentibus palàm fiet.

1. Ad Aulam R.mi & Ill.mi Principis Auguſtani non meo arbitratu, aut quæſito ſtudio, ſed vocatus, & à *Superioribus* juſſus anno 1621. acceſſi. 2. Vſque ad annum 1631. ſemper, & *ordinariè*, in communi Collegij menſa prandium ſumpſi, ibíq; interdiu habitaui, & aliquot annis etiam ſimul profeſſioris in Academia, nec non Cancellarij munere functus fui: noctu verò in aula Principis ob afflictam illius valetudinem manere juſſus fui.

3. Cùm

3. Cùm circa annum 1625. etiam ipſe peſſimè valere inciperem, ac de recuperanda ſanitate cuncti deſperarent, ex medicorum & ſuperiorum voluntate diebus vetitis, ad aliquod tempus carnes, ſeorſim tamen, comedi. 4. A triginta iam annis non alio vino vſus fui, niſi aquâ benè diluto, vti nôrunt omnes, quicunque me nôrunt. 5. Rariſſimè in Societate operam medicinæ dedi, (quam à puero in pharmacopolio natus didici) niſi iam vltimis his annis, quibus Principem in exilio per varia loca errantem comitatus fui, vbi nec pharmacorum copia haberi potuit; & ſubinde nec medici; quo neceſſitatis caſu, ex priuilegio à Gregorio XIII. Societati conceſſo, aliquid operæ colligendis ſimplicibus & parandis medicinis impendi: id autem parum fuiſſe oſtendunt alij labores, & libri à me illo ipſo tempore conſcripti & publicati. 6. Poſtquam autem anno

1631. vnà cum Principe Thermis Fabarienſibus vſus, aliquantulam ſanitatem corporis recuperaui, nũquam diebus piſculentis per annum, extra Quadrageſimam, carnes vllas comedi, nec imperata ab Eccleſia jeiunia ſolui; vti teſtari poterunt, quicunque mecum à plurimis annis familiariter, & quotidie vixerunt. 7. Cùm ergo falſiſſima ſint, quæ de voracitate & vinoſitate mea calumniatur Aduerſarius, etiam per ſe corruunt, quæ de libidine confictis his criminibus conſequentia eſſe criminatus eſt. Tot annis, quibus afflictiſſima ſemper valetudine fui, reuera dicere potui cum quodam ex veteribus monachis: *Viuere mihi vix licet, & fornicari libeat?* 8. Etiam indigna homine Chriſtiano calumnia eſt: Pharmacopæus fuit, & ſubinde medicinas tractat. Ergo *dæmonium habet.* Ego dæmonium non habeo. Tu quid habeas, Grammatice, fortè adhuc tempus

pus docebit. Cæterum vt Lectori nullus de his, quæ dixi dubitandi locus relinqueretur, Teſtimonia eorum teſtium, qui fide digniores ſunt, quàm Alphonſus de Vargas, toties palàm mentitus, ſubiungere placuit.

I. TESTIMONIVM CANCELLARII ET CONSILIARIORVM R.mi & Illuſtriſſimi Epiſcopi Auguſtani.

Nos Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis ac Domini Domini Henrici Epiſcopi Auguſtani Cancellarius & Conſiliarij, ex officio veritatis ac innocentiæ defendendæ, notum omnibus facimus, exhibitas nobis eſſe iniurias & calumnias, cuiuſdam Alphonſi de Vargas, Relationi ad Reges & Principes Chriſtianos &c. inſertas, aduerſus R. P. Laurentium Forerum Societatis IESV Theologum, ſcriptis ſuis aduerſus hæreticos clariſſi-

mum, & memorati Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Principis Domini noſtri clementiſsimi Confeſſarium, quæ hiſce punctis continentur. 1. Occulto in Aulam ex Collegio commeatu, ſeu tranſitu, ad licentiam abnoctandi, & foris tum prandendi, tum cœnandi ipſum abuti. 2. Carnibus electiſsimis per omnes dies eſuriales aut piſculentos totius anni, ventrem implere, & Eccleſiæ ieiunia ſoluere. 3. Potu meri exotici, & ab extremis vſque Gadibus aduecti, eum ætatem irrigare, & venas inflare, nec quidquam in his quà familiarium, & Catholicorum, quà Proteſtantium ſcandalo moueri. 4. Pharmacopæum, antequam nomen Societati dedit, fuiſſe, indéq; medicinæ pluſculum ſtudij impendiſſe, ac etiamnum ad curam corporis, tuendámq; ſanitatem, plus æquo eſſe attentiorem. 5. Non temerariam eſſe ſuſpicionem, ipſum Diabolo vti medico, & medicinæ Magiſtro. 6. Ob hanc viuendi rationem, cuiuſcunque libidinis & nequitiæ, cuius ei in Aula copiam ſuppetere

petere

petere appareat, ſuſpectum haberi poſſe. Quæ etſi talia ſint, vt eorum ſuſpicio in illum, quo tot annis Princeps noſter conſcientiæ ſuæ moderatore vſus eſt, omniū, qui illum nôrunt, ſententiâ, cadere non poſſit, nos tamen de præfati Reuerendi Patris Laurentij Foreri plurium annorum familiaritate, cohabitatione, viſu & auditu teſtes Idonei, has meras eſſe calumnias, teſtamur, & tantam in hoc ſæculo innocentibus maledicendi eſſe licentiam deploramus.

Primò enim Præfatus Pater nō occulta, cùm nulla talis in rerum natura exiſtat, ſed publicâ ad Aulam graditur viâ, & ex mandato Superiorum ſuorum ad inſtantiam Illuſtriſſimi Principis ſenio & laboribus fracti, in Aula, (non alibi) ab aliquot annis cibum ſumit & pernoctat, quâ ratione plures alij Principes ex diuerſis religionibus Confeſſarios & Theologos nonnunquam ſecum habent. 2. Ieiunia Eccleſiæ carnis eſu, cùm ex febri hectica, & pectore grauiſſimè laboraret, antehac

ad tempus ſoluit, medicorum conſilio, ſuperiorum voluntate, & valetudinis ſeruandæ neceſſitate; nunc à quinque annis & amplius, vtcunque reſtitutus, à carnibus prorſus abſtinet, cùm abſtinendum eſt, neque antea illis, niſi parciſſimè, diebus vetitis vtebatur, & priuatim duntaxat, abſq; vllius offenſione. 3. Vinum peregrinum & exoticum non adhibet, ſed omnes nouimus, & oculati teſtes ſumus, illum duntaxat hiſce locis conſuetum, & facile parabile, idque ab ipſomet in ipſa menſa bene aquâ dilutum potare: vt proinde falſum ſit, ſiue familiares & Catholicos, ſiue proteſtantes vllos, iuſtam offenſionis materiam in hac victus, & cibi potúſque ratione, vnquam reperiſſe, vel reperturos eſſe. 4. Innocentiſſimã Pharmacopæi artem, ſi olim ſub cura parentum didicit, nemo vitio vertere poteſt, quòd in Religione oblitus non ſit, ſed eam moderatè, exercitij & animi recreandi cauſa, in colligendis herbis ſalutaribus, communibúſque medicinis parandis, ſubinde exer-

exerceat, cum magno familiarium, & pauperum maximè commodo, vti proximis exilij annis, cùm Medici & medicinæ deficerent, ſæpius re ipſa oſtendit. 5. Quæ de Diaboli operâ & Magiſterio Vargas adiungit, curanda non ſunt; nulli enim viri integræ famæ, ſcelerum eiuſmodi ſuſpicio gratis obijci debet. Teſtamur tamen dictum Patrem, quamdiu nos illum nouimus, nullam vnquam occaſionem dediſſe, ob quam cuiquam potuerit de tam atroci Magiæ crimine vel minimum eſſe ſuſpectus; ſed ab omnibus ſemper fuiſſe pro viro religioſo, Deum timente & amante, Diaboli verò Diabolicæque artis hoſte habitum & laudatum. 6. Deniq; libidinis & nequitiæ notam de ſuo affingit idem Vargas. Nemo ſiniſtram de integerrimo hoc viro ſuſpicionem vnquam concepit; cuius Religio, Zelus, & commodorum, cultúſq; corporis neglectus, nullum, niſi caſtæ mentis præbent argumentum. Neque vel ipſi, vel cuiquam alteri in Aula Illuſtriſſimi Epiſcopi Auguſtani, libi-

dinis, aut nequitiæ copia ſuppetere poteſt, vbi, vt omnis ſceleribus rima occludatur, pro viribus laboratur. Quàm non blandè teneriorem ætatem tractet ſæpe memoratus Pater, id argumento eſt, quòd omnes ſeu nobiles Ephebi, ſeu alij adoleſcentiores miniſtri, illum veluti rigidum diſciplinæ, probitatis, induſtriæ exactorem, ſemper reueriti fuerint, & nullum improbæ ſuſpicioni locum, mores illius omnibus nati relinquant. Quibus breuiter pro defenſione innocentiſſimi Patris publicâ noſtrâ atteſtatione confirmatis, manifeſtum eſt, nullam hiſce calumnijs fidem tribui debere, vel poſſe. Quod Teſtimonium veritatis innocentiæque ex officio elargiti ſumus, & conſueto Curiæ Epiſcopalis Sigillo roborauimus Dilingæ XVII. Octobris. Anno M. D. C. XXXVI.

Matthæus VVanner D.
Cancellarius ſubſcr.

M. Ioannes Keſsler
Secretarius ſubſc.

II. Te-

II. TESTIMONIVM VICARII GENERALIS R.mi: ILLVſtriſsimi Epiſcopi Auguſtani.

CASPAR ZEILLERVS SS. Theologiæ Doctor, Vicarius Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini HENRICI Epiſcopi Auguſtani in ſpiritualibus Generalis, Omnibus ac Singulis, notum facimus, quod ex parte Reuerendi in Chriſto Patris Laurentij Foreri Societatis IESV, Doctoris Theologi, nobis expoſitum fuerit, quod quidam calumniator, ſub conficto nomine, Alphonſi de Vargas, librum quendam calumnijs ac conuitijs plenum, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ & Curiæ Romanæ, Auguſtiſſimo item Cæſari, Principibus & Epiſcopis Catholicis, alijsq; ordinibus Eccleſiaſticis maximè iniurium, per quaſdam Europæ, potiſſimùm verò Germaniæ prouincias ſparſerit, in eóq; etiam dicti Patris Foreri nomen atrociſſimis calumnijs, confictis cri-

minibus, talibúsq; mendacijs, quæ honeſtæ aures exhorrent, nóſq; veluti falſiſſima ſcriptis inſerere noſtris dubitamus, impudentiſsimè obſcurare, & orbi facere ſuſpectum malitiosè laborauerit. Quali-cet contra hunc Patrem, ob libros pro defenſione Eccleſiæ Catholicæ cum laude conſcriptos, Vitámq; religioſam omnibus notam apud bonos & prudentes, maximè autem eos, qui actiones & mores ipſius quotidie intuentur, nullam prorſus repertura ſint fidem; Virtúſq; ipſius abſq; vllo alio patrocinio per ſe ſatis defensa conſiſtat: nihilominus tamen nos innocentiæ & Veritatis amore ducti, contra calumniatores eiuſmodi in hac communi patriæ noſtræ calamitate pro innata mentiendi libidine & inuidia impune quidlibet audentes, fidelem hunc Eccleſiæ Catholicæ propugnatorem noſtro etiam teſtimonio, ab his mendacijs ex officio vindicandum eſſe duximus. Cùm itaq; ab annis prope viginti, quibus, & Ingolſtadij & Dilingæ Philoſophiam ac Theologiam magnâ dili-

diligentiâ docuit, atq; Ill:^mi Reuerend.^mi ac Clementiſſimi Principis noſtri confeſſarium egit, vitam, actionéſq; Religioſi huius Doctoris ſatis perſpexerimus, ex ijs nihil aliud, quam ardens honoris diuini vbiq; promouendi ſtudium; flagrantem animarum ex hæreſi & peccatis ad ſalutem reducendarum Zelum; impigerrimũ in aduerſa ſemper valetudine ſcribendi laborem; temperantiam; Virtutes deniq; eas, quæ religioſum Societatis IESV decent, ſemper aduertimus. Quocirca manifeſtum eſt, crimina, quæ infamis calumniator ſub larua Alphonſi de Vargas contra innocentem hunc Societatis IESV Doctorem impiè comminiſcitur, non niſi apud eos, qui innocentiæ hoſtes ſunt, fidẽ eſſe repertura; quæ omnia nos pro mirifſimis figmentis, libidinoſis mendacijs, & impudentiſſimis calumnijs grauiſſima pœna multandis habenda eſſe ducimus, & hac noſtra publica atteſtatione talia pronũciamus, omnes ac ſingulos ex officio obteſtantes vt huic tam impudenti crimi-

natori

natori in innocẽtiſsimi cuiuſq; famã graſſanti aures non præbere, ſed memorati Patris innocentiam, vt Chriſtiana charitas, æquitáſq; ipſa poſtulat, iuxta veritatem, velut æquiſsimi æſtimatores iudicare velint. In quorum omnium fidem has litteras officij noſtri ſigillo, & propria manûs ſubſcriptione munitas fieri curauimus. Auguſtæ die XX Octobris Anno CIↃ. IↃC. XXXVI.

Gaſpar Zeiller D.

Georgius Fauler R.mi Epiſcopi Auguſtani Fiſcalis & Conſiſtorij eiuſdem juratus Notarius in fidem ſubſcriptorum ſubſcripſit.

III. TE-

III. TESTIMONIVM CLARISSIMI DOMINI Bartholomæi Moſeri, Medici Dilingani, &c.

QVoniam Reuerendus in Chriſto P. Laurentius Forer Societatis IESV Presbyter & Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principis, Epiſcopi Auguſtani Confeſſarius, à Calumniatore quodam, qui ſe Alphonſum de Vargas vocat, circa vitam in aula principis hactenus actam ſcripto publico petulanter ac nequiter traductus, in ijs ſaltem calumnijs, quarum falſitas mihi tanquam eiuſdem aulæ, menſæq́; Epiſcopalis conſorti indigno apertè conſtat; Veritatis teſtimonium à me requirit, id quod humanitatis iuxta ac æquitatis eſt, paternitati ſuæ denegare nec volui, nec debui.

Inter ceteras itaque criminationes & contumelias à ſycophanta mendaciſſimo impudenter confictas aſſeritur, prædictū patrem Reuerendum ad curam corporis,

ris, tuendámqne ſanitatem ſeſe attentiorem præbere quam in eo ferendum videatur; item quod incerto & fortaſſis ementito ventriculi refrigerati prætextu, Eccleſiæ præcepto imperata ſoluat Ieiunia,& quotidie ſe repleat carnibus, ijsq; Electiſſimis, meróque vetuſtate edentulo exotico, ab extremis Gadibus magnâ impensâ aduecto venas inflare gaudeat, vnde aulæ familiares, aliíque plurimi non mediocriter offendantur, & ſcandalizentur; quod deniq; diabolo in medica acroaſi operã dare ſoleat, idque non vt mederi velit, ſed vt occidere poſſit &c.

Teſtor equidem, & hoc Chirographo fidem facio, eam inprimis R. P. Foreri quoad valetudinem corporis eſſe diatheſin, quæ propter raram quandam diſcraſiam ſiccam, cerebri, & partium neruoſarum, nec non calorem viſcerum quorundam hecticum, & inextinguibilem perpetuò periclitetur; ideóq; curam admodum diligentem,

gentem & exactam circa diætam, ſeu victus rationem, vt à grauioribus periculis præſeruetur, nõ modò requiri, at verũ etiã ſummopere neceſſarium eſſe. Denſiſſimum proinde mendacium eſt, quod calumniator ſcribit, ementito ventriculi refrigerati prætextu *R. Patrem Eccleſiæ præcepto imperata* ieiunia temerè ſoluere &c. *cùm is non niſi ante plures annos, quando peſſima valetudine affectus fuit, ex medicorum ſuaſu, & conſenſu Superiorum, non autem auctoritate propria, diebus vetitis carnes ad tempus comederit; à quib. tamen iam à quinq; annis & vltra, ex quo videlicet melius habere cœpit, diebus Veneris & Sabbathi prorſus abſtinuit, iiſdemq; planè edulijs, quibus vniuerſi menſæ Principis accumbentes, veſcimur, etiam ipſe contentus fuerit. Imo in hoc quoq; cæteris longè infelicior, quòd ratione valetudinis infirmioris ſæpiſſimè à cibis ſapidioribus, & palato gratioribus, vt à ferculis pinguioribus, lacte, butyro, vino, melle, aceto, ſaccharo paratis,*

paratis, & aromatibus vel leuiter conditis, vitioſam corporis conſtitutionem ad putredinem, & exarſiones febriles celeriter concipiendas promptiſsimam, penitus abſtinere cogatur. Vt proinde tantum abſit aulæ familiares ab illius viuendi norma offendi, vel ſcandalizari, vt potius tritum illud vulgi dictum; Medicè viuere, miſerum viuere, in bonum Patrem omnium iudicio apprimè quadrare, atq; adeo commiſeratione magis, quam inuidia & odio dignus eſſe videatur.

Eadem ſanè & potus eſt ratio: Cum enim è vinis noſtratibus & indigenis, ne mediocria quidem, cuiuſmodi in menſa Principis communiter bibere ſolemus, niſi admodũ diluta, & aqua copioſa permixtione, veriùs, quam ætate, vt cauillator loquitur, edentula, ſine ſanitatis diſpendio, prout aulæ familiaribus, & hoſpitibus notiſsimum eſt, ferre poſsit, quanto minus exoticis & peregrinis ceu fortioribus (cuiuſmodi à pluribus annis vix ſemel atq; iterum menſa Principis: ídque-tan-

tantum libandi gratiâ illata ſunt) eundem delectari, & vt calumniator comminiſcitur, ijs liberalius indulgere credendum eſt?

Quod deniq; ad ſcientiam & praxin medicam attinet, qua R. Pater rogatus & exoratus ægris interdum, præcipuè pauperibus, & ſubinde in abſentia medicorum, alijs quoq; indigentibus (non lucri tamen, aut vanæ gloriæ captandæ cauſa, ſed humanitatis, charitatis & pietatis Zelo) ſuppetias ferre ſolitus eſt, propterea in ſuſpicionem fraudis, aut conmercij diabolici vocandum, nimis profectò rude conuiciatoris commentum hoc, & cum riſu magis explodendum, quàm teſtimonio redarguendum eſſe cenſeo: ſiquidem neminem tam hebetis ingenij, ſeu potius peruerſæ mentis, niſi fortè calumniatori ſimillimum, reperiri puto, qui non abſurdiſſimum eſſe credat, ſupradictum R. P. Forerum, vtpote inter pharmaca quodammodo natum, ac educatum, & plurimis annis cum præſtantiſſimis medi-

cis verſatum, propria induſtria & propenſione, ſine cacodæmonis ope tantam ſibi notitiam comparare non potuiſſe, vt in morbis & affectibus ſaltem leuioribus (neque enim grauiores ſine Doctoris Medici conſilio, & opera communicata, temerè, vt decet, aggreditur) ægrotantibus conſilium aliquod vtile dare, & commodam aliquam medicinam ſuppeditare aut præſcribere queat. Alioquin omnium aliorum medicorum eandem eſſe rationem & conditionem fatendum foret. Addo quod de ſtrage illa occiſorum, ſeu malè à P. Forero curatorum nihil penitus, imò ne de vnico quidem homine ſiniſtra, vel infelici illius medicatione extincto, quidquam vnquam audiuerim. Contra verò non paucos reperiri affirmare poſſum, qui poſt Deum ſuam ipſi ſalutem & ſanitatem, non ſine perenni gratiarum actione, acceptam referunt, ideóque benignitatem & humanitatem illius multis encomijs deprædicant, Atque hæc vera & indubitata eſſe, germanâ & ſincera

fide

fide teſtor & affirmo ſubſcript. Actum XXII. Octob. M. D. XXXVI. in Acad. Dilinganâ.

Bartholomæus Moſer Medic. Doct: Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi Principis Epiſcopi Auguſtani Conſiliarius & Medicus Cubicularis.

EX his minimè contemnendis Teſtimonijs coniecturam faciet Lector, quantus mendaciorum figulus ſit iſte Grammaticus, quámque malitioſus & fædus calumniator, qui non dubitat tam horribilia & atrocia crimina, ad famam meam conuulnerandam, ſpargere, & Regibus ac Principibus Chriſtianis totius Orbis, nullo teſte, nullo legitimo argumento probata, inuerecundè obtrudere. Annon ſummo jure talem eſſe *famoſi Libelli* Scriptorem & Auctorem dixero?

Equidem quod me attinet, paratiſsimus ſum legitimo Iudici, quocunque loco & tempore vocatus, me è veſtigio ſiſtere, & ad obiecta crimina pro innocentia mea *juridicè* reſpondere: ſi Vir eſt Grammaticus, & honeſti ſanguinis guttam habet, depoſitâ laruâ mecum compareat, Actionis partes, vti par eſt, agat, & pedem pedi conferat. Niſi id faciat, jure talionis, omnium ſcelerum, etiam hoc titulo, reus erit, quæcunque mihi iniurioſiſsimè imputauit.

Non miror me hiſce calumniæ telis nunc impugnari ab eo, qui iam à plurimis annis hac infamia clarus fuit, quòd contra Sereniſsimum Iacobum Angliæ Regem, necnon Paulum V. Pontificem Max. ſimiles *famoſos libellos* flagitioſiſsimè per Europam diſſeminauerit: à qua infamia ſe nunquam liberauit.

Nec deſunt viri nobiles, qui teſtentur, ſe audiuiſſe Grammaticum hunc

cum

cum riſu ſuauiter glorianteṁ, quo modo is ſuo calamo Ioſephum Scaligerum, & Iſaacum Caſaubonum confeciſſet, déque ijs non pauca atrocia, quæ procul abfuerint à vero, ingeniosè confinxiſſet. Prô ſuperi! Quis erit innocens, ſi hoc modo ſufficiat accusâſſe?

Vix poteſt aliud in mentem venire, niſi hunc Grammaticum accenſis omnium Eumenidum facibus agitari, atque ad *nocendum terra & mari*, & ipſi cœlo, ſi poſſit impelli; adeo nemini parcit, ſed ferox in omnes etiam ipſos Sanctos, crudeles ſuos dentes exacuit, ſuáque ramoſa cornua vertit: Omnes denique perſequitur gratis, & ſine juſta cauſa. *Gratis enim perſecutionem patitur* (inquit S. Ambroſius in pſal. 118.) *qui impugnatur ſine crimine; impugnatur vt noxius, cùm ſit in tali confeſſione laudabilis: impugnatur quaſi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur, cùm pietas*

virtutum omnium fundamentum ſit: quà denique apud impios & infidos impietatis accerſitur, cùm fidei ſit magiſter.

Si quis tamen eſſet, qui fidem habere omnino vellet tot jactis in me à Grammatico contumelijs & falſis criminationibus, illo S. Auguſtini ſcuto me tegere mihi jus fáſque erit: qui ſic ſcripſit contra Petilianum de vnico Baptiſmo cap. 36. *Si eſt vlla humanitas in rebus humanis, puto nos iuſtius reprehendi, ſi ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen vlla teſtificatione demonſtrant, nocentes potius, quàm innocentes crediderimus. Quia ſi fortè aliter ſe veritas habet, ipſi certè humanitati debitum redditur, cùm homo de homine nihil temerè ſuſpicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit, quando ſine teſte, ac ſine vllo documento crimen obijciens, maledicus potius conuiciator, quàm veridicus accuſator extitit. Itaque quiſquis*

volens

volens detrahit famæ meæ; nolens addit mercedi meæ.

Ex his omnibus æſtimare licebit, quid de reliquis, quæ in hac Relatione Alphonſi de Vargas Societati auctor, vt vera & explorata, mendaciter impoſuit, ſit ſentiendum. Tam enim parùm iſta cum veritate congruunt, quàm illa. Sed neque horrifica illa Symbola, à Franciſco Roales ſceleratiſsimè confiicta, vllam fidem, aut reſponſionem merentur: cùm notum ſit, illius auctoris accuſationes aduerſus Societatem in Hiſpania, publica authoritate Vulcano traditas eſſe, & condemnatas; adeóq; vlteriore reſponſo indignas.

Atque hæc ſunt, quorúm Lectorem de iſta Relatione Vargiana monere neceſſarium duxi: Ipſum Grammaticum, huius Relationis Auctorem, illis Horatianis verſiculis (vnico tantum mutato) appello.

Tandem nequitiæ ſige modum tuæ;
Famosíſque laboribus;
Maturo propior deſine funeri,
Diuos ludere cælites,
Et ſtellis nebulam ſpargere candidis.

Quòd ſi tibi diſplicent iſti verſiculi, non repudiabis, opinor, S. Benedicti hortatiunculã, breuem quidem, ſed valde efficacem, quam habuit anno Chriſti 543. ad Totilam Tyrannum: *Multa mala facis, multa mala feciſti: iam aliquando AB INIQVITATE CONQVIESCE.*

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAp. I. De inſtructione ſecreta pro ſuperioribus Soc. Ieſu. fol. 26.
Cap. II. De cauſis publici erga Ieſuitas odij. 35.
Cap. III. Augustini Ardinghelli parado-xa Ieſuitica. 106.
Appendix Ardinghelli ex Placida diſceptatione, juſta defenſione, &c. 141.
Cap. IV. Bernardini Giraldi Patauini pro ſenatu Veneto Apologia, &c. 183.
Cap. V. Controuerſia Pragenſis de Carolo-Ferdinandæa Academia. 253.
Cap. VI. De ſtudijs litterarijs Ieſuitarum ex cap. 6. Ioan. Marianæ lib. de Regim. Societ. 271.
Cap. VII. Danielis Hoſpitalij ad Reges Principeſque Catholicos conſultatio, de cauſis & modis conſeruandæ & amplificandæ Societatis Ieſu. 277.

Cap. VIII.

Cap. VIII. Deliciarum Ieſuiticarum ſpecimina. 297.

Cap. IX. Teſtimonia de Societate Ieſu. 299.

Animaduerſiones in Aſtrologiam Eccl. Gaſparis Scioppij. 318.

Appendix ad Grammaticum Proteum, quid de relatione Alphonſi de Vargas ad Reges & Principes Chriſtianos ſit ſentiendum. 419.

ERRATA SIC EMENDANDA.

PAg 12. v. vlt. pro debuerat, l *debuerant*. Pag. 23. v. 9. pro actu, l *auctu*. Pag. 37. v. 20. pro quolibet, l. *ex quolibet*. Pag. 39. v. 6. pro ipa, l. *ipſa*. & v. 8. pro nihilomnius, l. *nihilominus*. Pag. 42. v. 4 pro iſta, l. [illegible] pag. 58. v. 5. pro Ratisbonæ, l. *Ratiſponæ*. pag. 60. v. 15. pro vulget, l. *fulget*. pag. 65. v. antepenult. pro, ſit conatibus, l *ſit minus conatibus*. pag. 72. pro tibubas, l. *titubas*. pag. 76. v. 5. pro Chriſti, l. *Chriſti*. pag. 80. pro Aduerſſarius, l. *aduerſarius*. pag. 88. v. 1. pro ſtudioſorum, l. *ſtudiorum*. ibid. v. 4. pro hominis, l. *hominũ*. & v. 23. pro fiat, l. *fieret* pag. 90. v. 21. pro clamdeſtinas l. *clandeſtinas*. pag 98. v. 24. pro falſiſſima, l. *falſiſſima*. ibid. v. 28. pro ne tu, l. *natu*. pag. 100 v. 28. pro ſcire, l *attinet ſcire*. pag 103. v. 4. 5 & 6. ſic lege. *Vt videre eſt ex variјs Pontificum decretis, præſertim ex Clementina, Vnica &c*. pag. 109. v. 12. pro perſuaſerit, l. *per-*

l. *peruaſerit*. pag. 112. v. 6. pro inſidioſè, l. *qua inſidioſè*. pag. 123. v. 18 pro Ardinghellufa, l. *Ardinghellus*. pag 129. v. 3. pro Turtur maleuolè, l. *Vts Turtur maleuolè*. pag. 142. v. 23 pro officijs, l. *offucijs*. pag. 151. v. vlt pro fraudulentur, l *fraudulenter*. pag. 152. v. 22. pro placita, l. *placida* pag. 157. v. 1. poſt verbum, *propoſita* adde, *Fatentur pleniſſimo ore Ieſuita*. pag. 161. v. 16 pro conſulatione, l. *conſultatione*. pag. 162. v. 4. pro competis. l. *competu*. pag. 165. v. 8. pro faturam, l *futuram*. pag ead. v. 29. pro refomatione, l. *reformatione*. pag. 167. v. 20. pro quis, l. *quiuis*. pag. 172. v. 17 pro perſuaſerat, l. *peruaſerat*. pag. 184. v. 28. dele *quia*, & l. *Verſtatiq;*. pag. 186. v. 6. pro Florauentio, l. *Florauantio*. ibid. v. 21 pro aduerſatur, l. *aduerſantur*. pag. 193. v. penult. pro Patre, l. *Padre*. pag. 198. v. 16. pro teſticari, l. *teſtificari*. pag. 199. v. 25. pro detrimentum, l. *detrimentoſum*. pag. 205. v. 11. pro Grammticus, l. *Grammaticus* pag. 207. v 23 pro diſquitionibus, l. *diſquiſitionibus*. pag. 213. v. 5. pro quempiam, l. *quemquam* pag. 214. v. 20. pro ſententiam, l. *ſentiam*. pag. 221. v. antepen. pro poro, l. *porrò*. pag. 225. v. 21. pro lolecifmis, l. *ſolaciſmis*. pag. 227. v. 5. pro mutatio, l. *mutuatio* pag. 234 v 11. pro quendum l. *quondam*. pag. 236. v. 15. pro caluminæ, l. *calumnia*. pag. 242 v. 28 pro præſtet; l *praſtat* & v. ſeq. pro cum l. *cui*. pag 243. v. 2. pro parterentur, l. *paterentur*. pag. 271 v. 12. pro ſit, l. *fit*. pag. 285. v. 28. pro ſacràmmento, l. *ſacramento*. pag. 286. v. 21 pòſt verbum *meditationibus*, adde, *legunt*. pag. 289. v. 17. pro occaſionis, l. *occaſiones*. pag. 298. pro Demonſthenes, l. *Demoſthenes*. pag ead. pro alienæ, l. *ſed aliena*. pag. 322. v. 14. pro neque, l. *meque*. pag. 325. v. 2. pro nec, l. *ne*. pag. 330. v. penult. pro quanquam, l. *quamque*. pag. 280. v. 12. qnem, l. *quem*. pag. 304. v. 14. rometitum, l. *remetitum*. pag. 309. v. vlt. tettium, l. *tertium*.

tertium pag.313.v.24.coutra,l.*contra.* pag.314. v.19. damnæ, l.*damna* pag.316. v 4. Troiauo, l. *Troſano.* pag.328. pauperratis, l. *paupertatis.* pag. 336. v. 13. Chro, l.*choro.* pag 343. v.19. reſcare, l.*reſecare*.pag. 344. aream, l. *arcam.* pag. 352. v.27. conuinendo, l. *conuincenda.* pag. 358. v. vlt. fine, l.*fini.* pag. 369. v. 1. couuerti,l.*conuerti.* pag.370.v.2.quidquod, l *quidquam*.ibidem v.8.qui,l.*qua* pag.374.v.10. Parienſi, l.*Pariſienſi.*pag.385.v.12.paupertate,l.*paupertatem.* pag.389.v.12.ſolicitudie,l.*ſolicitudine*.pag.399.v.17. mittebatur, l. *mittebantur.* ibidem v.29. eæ, l. *ea.* v.32.Epiſcopes,l.*Epiſcopos.* pag.403. v.11.exterori,l. *exteriori.*pag.406 v.11 Satana, l. *Satanæ.* pag 409. v.9.fote, l.*fore.* pag. 416. eoſque, l.*eóſque.* pag. 435. v.5.crimeu,l.*crimen*.pag.459.v.16.permiſſerit.l.*permiſerit.*pag.467. v.13. forax, l.*Vorax.* pag. 468. v.21. ipſa, l. *ipſe*.pag.468. potuit, l.*poterit.*pag.478. v.19.Profeſſioris, l.*Profeſſoris.*

(o)

FINIS.

A01 1470725

XXXVI.
13.59